
43
4
F
14

HISTORIA
ECCLESIASTICA
PER ANNOS DIGESTA
VARIISQUE OBSERVATIONIBUS ILLUSTRATA

AUCTORE

GASPARE SACCARELLO

TAURINENSI

CONGREGATIONIS ORATORII ROMANI PRESBYTERO

TOMUS DECIMUSQUARTUS

AB ANNO JESU CHRISTI 633. USQUE AD AN. 701.









ROMÆ MDCCLXXXVI.

EX TYPOGRAPHIA PAULI JUNCHI.

SUPERIORIBUS ADPROBANTIBUS.

APPROBATIONES.

JUbente Reverendissimo P. Thoma Mamachio, S. P. A. Magisttro, Librum, cui titulus *Historia Ecclesiastica per annos digesta &c. Auctore Gaspare Saccarello Congregat. Oratorii Rom. presbytero, Tom. XIV.*, legi perquam diligenter; atque typis vulgari posse censeo.

Romæ pridie Idus Aprilis 1786.

Joseph Can: Regis Vaticanæ Biblioth. Præfectus.

QUum decimusquartus hoc Ecclesiasticæ Historiæ volumen Cl. P. Gasparis Saccarelli Congr. Oratorii Presb. nihil contineat contra fidem, aut bonos mores, quod ad me præcipue pertinere arbritror, publica luce donatnm, præcedentibus voluminibus sociari dignum censeo.

Joseph. Theoli S. Th. Doctor.

IMPRI-

IMPRIMATUR,


Si videbitur Reverendissimo Patri Magistro Sacri Palatii Apostolici.

Fr. Ant. Marcucci Vicesgerens.



IMPRIMATUR.

Fr. Thomas Maria Mamachi Ordinis Prædicatorum Sacri Palatii Apostolici Magister.



HISTORIA ECCLESIASTICA

JESU CHRISTI AN. 633. HONORII PAPÆ 9.
HERACLII IMP. 24. ARIOALDI LONGOB. REGIS 9.

JESU CHR. AN. 633.

ArabesRom. Imperium invadunt.



Ahumete Pseudoprofeta anno proximo e vivis erepto, ut ibidem diximus; creatum ab eo Imperium, & cum Imperio nova ejusdem falsa secta, nequaquam extincta est; quin potius rapidiori cursu cum impura ejusdem secta, Imperium quoque, vel sub ipso Abubechri, Maumetis immediato successore, vel sub Omaro, qui Abubechro paulo post successit, propagatum est; atque hoc eodem anno Romanos inter, & Arabes bellum instauratum est, cui Heraclii Imperatoris imprudentia, & nimia securitas, causam dedisse narrant historici. Cum etenim Persarum vires eousque Heraclius excidisset, ut eos quaslibet pacis conditiones ferre coegerit; post Persas devictos, nil ultra sibi ab Arabibus, seu Seracenis, eorumque Caliphis, sive Principibus timendum censuit; hinc in Romani Imperii limitibus tutandis, vel Siria, quæ Arabiæ proxima erat, nullam adhibuit curam; Unde in eam subito irruentes Arabes, cladibus cœdibusque repletam, facile occuparunt; ac inde

Jesu Chr. an. 633. in ceteras Imperii provincias, ut ex his, quæ sequentibus annis dicturi sumus, constabit. Interea hoc anno cum in Siriam Arabes irruissent, *Heram, & universam Gazæ regionem cepere, quæ versus montem Sineum deserti fauces occupat. Quibus cum Sergius tandem aliquando Cæsareæ Palestinæ Præses, cum paucis adeo militibus obviam percurrisset, certamine inito, ipse primus cum ceteris militibus, qui tercenti omnino erant, cæsus est: Quare ipsi ingenti præda parta, pluribusque captivis abductis, insigni victoria potiti, domum reversi sunt*, ait Theophanes in chronico. Eodemque anno ut pluribus narrat Elmacinus, Bosram Arabes cœperunt, *quæ prima fuit civitas in Syria occupata*. Siriam porro, & Palæstinam, Arabes primo impetu invasisse constat, easdemque provincias ab iisdem occupatas fuisse, non multis ab hinc annis videbimus.

Monothelitarum hæresis in apertum prodit.

2. Nec Imperio tantum Græcorum infaustus hic annus fuit, sed etiam ecclesiæ, nam hoc eodem anno, hæresis Monothelitica quæ hactenus in nonnullis Orientalibus ecclesiis, clanculum latuerat, in apertum prodiit, cum in Alexandrina synodo a Cyro ejusdem urbis Episcopo celebrata, confirmata fuit. Extant synodi acta in concilio Œcumenico sub Agathone Papa congregato anno 680. sessione* sexta; eaque die quarta mensis Maii, indictionis sextæ celebrata dicitur. Atque, ut hæresis venenum facilius propinaret, hunc astutus homo prætextum invenit, quod hæreticos omnes in Ægypto positos, Ecclesiæ Catholicæ jungere posset, si duarum voluntatum, & operationum voces silentio supprimeret; satis esse dicens, si in Christo tantum Deivirilis voluntas & operatio diceretur, ex qua duarum in Christo naturarum exacta professio ederetur; eo quod etsi non voces, res ipsæ tamen expressæ haberentur. Res visa est specimen præseferens pietatis & charitatis, si (ut dicebant) absque detrimento Catholicæ fidei, voces interdum tacerentur, quibus discordiæ nutriebantur, verum dolo malo cuncta tunc acta esse, exitus declaravit. Quod autem ad tempus spectat, & Synodi cogendæ causam, hæc habet decretum ejusdem Synodi, sive (ut scribitur) satisfactio, cujus hoc est exordium: *Domino Christo vero Deo nostro omnibus perfulgenti, omnesque ad saluberrimam veram ejus fidem dirigenti, & in unam eamdemque sanctam suam Ecclesiam convocanti, præsentem satisfactionem facimus pro unitate sancta.*

ctarum Dei Ecclesiarum, mensis Maii, quarta die, Indictione sexta. Satisfactio facta a Cyro misericordia Dei Episcopo, per divinam sanctionem benignissimorum atque triumphatorum dominorum nostrorum, locum exhibente Apostolicæ Sedis hujus Alexandrinæ Episcopo amabilis civitatis. &c. Quale autem fuerit ejusmodi decretum, satis dictum est superius. Porro in ea Cyri Episcopi satisfactione novem sunt scripta capita; quibus Monothelitarum hæresis comprobatur. Recitata illa habentur in dicta Synodo Alexandrina, missa vero ad eum qui ea extorquebat, Sergium Episcopum Constantinopolitanum, ad quem etiam litteras dedit, quibus inter cetera ajebat.

JESU CHR. AN. 633.

Epistola Cyri Alex. Episc. ad Sergium CP.

3. *Notum facio, quod omnes, qui dicuntur dogmatis Theodosiani circa hanc Alexandrinorum Christo amabilem civitatem clerici, una cum iis, qui in dignitatibus, & militibus clarent, insuper & qui ex plebe sunt in militibus constituti, per tertiam Junii mensis adunati sanctæ nostræ Catholicæ Dei Ecclesiæ interminabilia nobiscum Dei mysteria perceperunt ad hoc adducti, previante profecto beneplacito Omnipotentis Dei consilio, per collatam mihi doctrinam, tam a piissimis & invictissimis nostris dominis, quamque a Deo inspirata domini mei sanctitate, ut per hoc stabiliretur secundum quod scriptum est: In frequentationibus dies festus usque ad cornu altaris.* Hæc & alia de hæreticorum reditu ad ecclesiam ex Alexandrina synodo Cyrus ad Sergium CP. Episcopum, & ne tam facile hæresis argui posset; Dominum quidem nostrum Jesum Christum Deum, & hominem, ex duabus naturis in unam personam subsistere aperte, Cyrillum sequens, se fateri testatur; eumdemque tamen *Unum Christum, & filium operantem Deo decibilia, & humana, una Deivirili operatione, secundum sanctum Dionysium &c.*

Sophronius Cyro Alex. Episc. resistit.

4. Cum vero Sophronius tunc monachus, postea vero Hierosolymorum Episcopus Alexandriæ degens, ut synodo adesset, rogatus esset, non solum Cyri decretis, & præsertim septimo, ubi Jesum Christum, *una Deivirili operatione*, humana & divina patrasse ajebat, subscribere recusasset, sed etiam ut ea deleret Cyrum Episcopum enixe rogasset; frustra in id laborasse narrat S. Maximus in epistola ad Petrum virum illustrem his verbis. *Divinus ergo magnusque Sophronius tunc Alexandriam veniens, mox ex prima lectione (dederat enim etiam ipsi Cyrus ad retractandum illa novem im-*

Jesu Chr. an. 633. *pietatis capitula*) *lugubre quiddam & ingens vociferatus, fontes emittebat lacrymarum, illum fervide obsecrans, supplicans, expostulans, in pavimento ipsius vestigiis provolutus, quo nihil horum super ambonem contra Catholicam Dei Ecclesiam prædicaret: quippe cum hæc liquido impii essent Apolinaris dogmata*. Hujus etiam rei testem habemus ipsum Sergium in epistola ad Honorium Papam, quæ in actione XII. sextæ synodi recitatur. Eamdemque ob causam cum Cyrum in propinanda hæresi, de unius Dei virilis operatione obstinato animo perseverare vidisset, Alexandria relicta, Sergium CP. Episcopum adiit, sperans ab eo tantis malis remedium aliquod allaturum fore; at cum Sergius eodem cum Cyro hœreret luto, ac Cyri etiam sententiam tueretur, re infecta CPoli discessit. De gestis porro Sophronium inter & Sergium CPoli, idem Sergius in epistola ad Honorium Papam hæc inter cetera narrat; scilicet nimis durum sibi visum fuisse, ut vox unius operationis de Capitulis Alexandrinis tolleretur, ne scinderetur iterum unio cum Eutychianis, aliisque Hæreticis per hanc synodum inducta. Subjungit postea, *Sophronium*, quamvis rogatum, nulla prorsus potuisse exhibere Patrum testimonia pro gemina in Christo voluntate & operatione: *Ille autem hoc facere penitus non valuit*, ait Sergius. Verum mera hæc fuit calumnia; nam, ut inquit Stephanus Dorensis Episcopus, in Concilii Lateranensis Secretario II. Sophronius *superius dictis temeratoribus, non tantum in Oriente validissime contradixit, contestans eos & admonens, ut a propria hæresi quiescerent, & rectam Patrum fidem remearent: verum etiam in duobus libris, sexcenta dedit testimonia Patrum ad evictionem impietatis eorum, & veritatis ostensionem &c.*

Orthodoxi etsi Deivirilem operationem admitterent, non tamen unam Deivirilem admittebant.

5. Hoc autem tempore, cum in apertum hæresis Monothelica prodiisset, a nonnullis, qui bona fide agebant, tolerandam utcumque eorum sententiam fuisse, adnotat Baronius, qui unam in Christo Deivirilem operationem prædicabant; donec in herba anguem latere intellexerunt; at non satis distinxit Annalium Pater, aliam omnino eorum mentem fuisse, qui Deivirilem operationem admittebant, quod ab ipso Sophronio, aliisque catholicis factum est; Nam duas distinctas, integrasque naturas in Christo confitentes, in una persona, secundum Deum, & hominem, unum eumdem-

demque Christum multa egisse Deivirili operatione fatebantur; at alia erat eorum mens, qui non tantum Deivirilem operationem admittebant: Sed unam tantum Deivirilem confitebantur; nam unica admissa operatione, unicam quoque in Christo fuisse naturam, aut saltem ex duabus naturis, alteram omnis actionis expertem fuisse, ac proinde informem, & inertem admittere cogebantur, quod proprie Eutychianorum erat, aut saltem Eutychianæ hæresis surculus; ut per plura invictis demonstrat argumentis Natalis Alexander. Hinc synodus Lateranensis sub Martino primo, hanc loquendi formulam anathemate damnavit Secretario quinto. *Si quis secundum scelerosos hæreticos Deivirilem operationem, quod Græci dicunt Theandricam, unam Operationem insipienter suscipit, non autem duplicem esse confitetur, secundum Sanctos Patres, hoc est, Divinam, & humanam, aut ipsam Deivirilis, quæ posita est, novam vocabuli dictionem, unius esse designativam, sed non utriusque mirificæ & gloriosæ unitionis demonstrativam, condemnatus sit.*

JESU CHR. AN. 633.

Nat. Alex. hist. sec. 7. cap. 2. §. 3.

6. Sophronius interea Hierosolymam vix reversus, Hierosolymorum Episcopus ordinatus est, cum eo tempore Modestus e vivis ereptus esset; Hic quidem in Menæis Græcorum die 16. Decembris recolitur, non solum pietate, sed etiam doctrina celebris, cujus apud Photium extant excerpta trium sermonum, quorum primus in mulieres, quæ unguentum ad Christum tulerunt, secundus de transitione, seu de dormitione Beatæ Mariæ Virginis inscribitur, tertius vero in Christi occursum ad Simeonem, cum in templo est præsentatus habitus est, eorumque summam Photius refert.

Modestus Hierosolym. Episcopus obiit, d. ejusdem scriptis.

Phot. biblioth. Cod. 275.

7. Modesto autem defuncto, cum Sophronius in ejus locum Hierosolymorum Episcopus ordinatus esset statim synodum Episcoporum Palestinæ congregavit, eaque Monotheliticam hæresim, epistola sua synodica condemnavit; *actaque sua synodica Honorio Papæ, & Sergio CP. Episcopo misit*, ait auctor libelli synodici; Ejusdem concilii meminit Theophanes in chronico ad annum Heraclii Imp. 20.. Sed Joannem Romanum Pontificem, loco Honorii per errorem inserit. *Ea tempestate*, inquit, *Sophronius Hierosolymorum Episcopus instituitur, qui congregatis, quibus præerat Episcopis, Monotheliticum dogma condemnavit, synodicaque acta Sergio CP, & Joanni* (lege Honorio) *Romæ Episcopo per epistolas transmisit.* 8. Sy-

Sophronius Hierosolym. Episc. ordinatur Monothelitarum hæresim condemnat.

JESU CHR. AN. 633. Sergii CP. Episc. epistola ad Honorium

8. Synodicam Sophronii epistolam ad Honorium Papam, & Sergium CP., ceterosque Patriarchas datam, præcesserunt Sergii litteræ ad Honorium, ac Honorii ad Sergium, quare de Sophronii epistola anno proximo, quo scripta est, acturi, ad Sergii CP. litteras ad Honorium, & Honorii ad Sergium sermo noster devolvitur; Cum itaque Sergius, excitatam a Cyro Alex. Episcopo, de unica in Christo voluntate quæstionem, cui etiam ipse subscribebat, indies augeri videret, eique tum Alexandriæ, cum CPoli Sophronium restitisse sciret, ne is Episcopus mox ordinatus, Cyro æque, ac sibi vehementius resisteret, Romanum Pontificem, tamquam supremum in ecclesia quæstionum fidei judicem adiit Sergius, sperans si eum in suam sententiam traxisset, ceteros etiam Orientis Episcopos in suam sententiam facile ituros; Hanc ob causam epistolam suam catholico stylo aspergens, hoc unum præ ceteris petebat, ne scilicet Cyri Alex. Episcopi capitulum revocaretur, quo unam Deivirilem in Christo operationem docebat, ac ne deinceps, de una, vel duabus Christi operationibus, quæstio fieret. Ea autem epistola, quam integram exhibet Baronius, quæ hactenus inter se, & Cyrum transacta fuerant, exponit, ac unionem a Cyro cum Acephalis factam fuisse narrat: deinde de Sophronio conqueritur, quod solus ob capitulum de unica in Christo operatione a Cyro vulgata, unitati ecclesiæ resisteret, ac tandem hæc addit. *Quia igitur ante parvum tempus cooperante gratia Dei, qui omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, pio zelo fortissimi ac invictissimi magni Imperatoris excitatus Cyrus-sanctissimus Alexandrinæ magnæ civitatis Patriarcha, & communis frater noster & consacerdos Dei, amabiliter & modeste adhortatus est eos, qui in magna civitate Alexandrina Eutychetis, & Dioscori, Severi quoque, & Juliani sunt Deo odibilium hæresi languentes ad Catholicam Ecclesiam accedere: & post multas disputationes, & labores, quos cum nimia prudentia & saluberrima dispensatione in hac causa impendit, hoc quod festinabat, per supremam gratiam ordinavit. Factaque sunt inter utrasque partes dogmatica quædam capitula, in quibus omnes, qui antea quidem in diversas portiones divisi fuerant adversus Dioscorum, atque Severum hæreticos scribentes, coadunati sunt cum sanctissima ac sola Catholica Ecclesia, & unus*

unus grex Christi veri Dei nostri, omnis Christo amabilis Alexandriæ populus factus est, & pene universa cum eis Ægyptus, & Thebais, & Lybia, & ceteræ Ægyptiacæ dispositionis regiones, quas olim considerabant (ut diximus) in innumerabilem copiam hæresum multitudine discissas, nunc autem beneplacito Dei, & studio prædicti sanctissimi Alexandrinorum Antistitis, unum labium facti sunt omnes, una vox, & in unitate spiritus, recta Ecclesiæ dogmata confitentur. Ex his autem, quæ dicta sunt atque stabilita, unum existit capitulum de una operatione Christi magni Dei, & Salvatoris nostri. JESU CHR. AN. 633.

9. *His itaque provenientibus, Sophronius venerabilis monachus, qui (ut ex nunc auditis didicimus) Hierosolymorum Præsul est ordinatus (necdum enim hactenus ejus ex more Synodicam suscepimus) apud Alexandriam tunc temporis positus, cum præfato sanctissimo Papa, quando (ut diximus) admirabilem illam circa eos, qui dudum hæretici fuerant, Dei beneplacito unitatem componebat, atque cum eo iisdem capitulis pertractabat, adversatus est, & contradixit ad unius operationis capitulum, duas omnino operationes Christi Dei nostri dignum inquiens censeri. Prænominato autem sanctissimo Papa præsertim testimonia ei quorumdam sanctorum Patrum proferente, dispersim in quibusdam opusculis suis unam operationem asserentium: ad hæc quoque, & ex abundanti inquiente, quod multoties sancti Patres nostri, ut lucrarentur plurimam animarum salutem, dum alia emergerent capitula, Deo placitis dispensationibus ac placitis usi fuisse videntur, nihil de subtilitate Ecclesiæ dogmatum exagitantes, & dicentes, quod oporteat uti etiam in præsenti, dum tantorum millium populorum salus præ manibus ponitur, nihil de hoc per contentionem altercari, idcirco quod (sicut dictum est) etiam a quibusdam sacris Patribus vox hujusmodi dicta est, nihilque de hoc lædatur rectæ fidei ratio: memoratus Deo amabilis Sophronius talem dispensationem nullatenus accepto tulit.*

Sophronius Sergii opinioni resistit.

10. *Quia igitur pro hoc cum litteris ejusdem sanctissimi comministri ad nos conjunxit; de hoc quoque etiam apud nos sermonem movendo insistens, ut de talibus adimeretur capitulis, post sanctam unitionem vox unius operationis: durum nos hoc arbitrati sumus. Quomodo enim non esset durum, & valde one-*

Sergius cum Honorio de Sophronio queritur.

Jesu Chr. an. 633.

onerosum; quando hoc, resolvere evertereque erat futuram quidem omnem illam concordiam atque unitatem, quæ bene fuerat effecta, tam apud Alexandrinam magnam civitatem, quamque per universas sub ea provincias, quæ nullo tempore usque nunc acquieverant, nomen saltem simplex divini atque laudabilis patris nostri Leonis, aut sancti & magni atque universalis Chalcedonensis Concilii mentionem facere, nunc vero præclara & magna voce in divinis Missarum arcanis hoc prædicantes? Multis igitur a nobis de hoc motis sermonibus, ad prænominatum venerabilem Sophronium, postremo adhortati sumus, testimonia nobis proferre sanctorum ac probabilium Patrum, illorum videlicet, quos omnes communiter doctores confitemur, & quorum dogmata legem sanctæ Dei cognoscunt Ecclesiæ, duas nominatim & ipsis verbis operationes in Christo dicendas tradentia: ille autem hoc facere penitus non valuit.

Honorius Papa de una, vel duabus operationibus silere jubet.

11. *Nos vero considerantes incipientem ex hoc inter quosdam hic contentionem exardescere, & scientes, quod semper ex hujusmodi decertationibus illæ hæresum dissensiones effectæ sunt: necessarium judicavimus, omne studium ponere ad secandum atque amputandum talem superfluum verborum conflictum: & ad sæpe dictum sanctissimum Alexandriæ Patriarcham scripsimus, ut postquam unitatem cum his, qui pridem refragabantur, Deo auxiliante, composuit, de cetero nullum permittere unam, aut duas proferre operationes in Christo Deo nostro: magis autem sicut sancta & universalia tradiderunt Concilia, unum eumdemque filium unigenitum Dominum nostrum Jesum Christum, verum Deum operatum confiteri, tam divinam, quamque humanam, & omnem Deo decibilem, & homine dignam operationem, ex uno eodemque incarnato Deo Verbo indivise procedere, & ad unum eumdemque redigere; eo quod unius quidem operationis vox, quamquam a quibusdam sanctis dicta est Patribus, tamen peregrina videretur, & perturbare aures quorumdam suspicantium ad peremptionem hanc proferri inconfuse, atque secundum subsistentiam unitarum in Christo Deo nostro duarum naturarum: quod non est unquam, nec fuit. Similiter autem & duarum operationum dictio multos scandalizet, utpote a nullo sanctorum ac probabilium Ecclesiæ institutorum edita. Insuper & consequens ei est, prædicare duas voluntates, contrarietates circa*

ca invicem habentes, tamquam Deo quidem Verbo salutarem volente adimpleri passionem, humanitate vero ejus obsistente ejus voluntati & resistente; & perinde duo contraria volentes introduci: quod impium est. Impossibile quippe est, in uno eodemque subjacente duas simul, & erga hoc ipsum contrarias subsistere voluntates. Quare post aliqua iterum. *Hanc igitur (ut dictum est) contentionem incipientem accendi videntes, necessarium judicavimus, attritas potius sanctorum Patrum voces, & synodice definitas semper sequi; & neque quae raro a quibusdam Patribus dicta sunt, & non circa haec intentionem habentibus, quasi planam & inambiguam de eis doctrinam exponerent, ad regulam & legem per omnia dogmaticam reducere, quale est, & quod de una operatione ab eis dictum est: neque iterum, quae nullatenus dicta sunt a probabilibus Patribus, nunc vero a quibusdam Patribus proferuntur, duas, inquam, operationes, tamquam dogma Ecclesiasticum proferre. Et ad ultimum stetit ac placuit, quatenus praedictus Sophronius venerabilis nullum sermonem de cetero de una, sive duabus operationibus movere debeat; sed ei sufficiat praefata cautaque, ac trita sanctorum Patrum recta traditio atque doctrina. His itaque contentus saepe nominatus venerabilis vir, & haec custodire certificans, petimus nos etiam per epistolam de his ei praebere responsum, quatenus hujusmodi epistolam (ut ait) ostendatis, qui forsitan interrogare eum de praedicta quaestione voluerint. Quod & alacriter egimus, & ille quidem in his hinc enavigavit.* Id est Sophronius; His vero multa alia in eamdem rem addit, quae longum esset exscribere, atque integra extat in synodo sexta actione 12. Neque ob hanc Sergii epistolam errori, aut haeresi fovisse Honorium Pontificem dici potest, cum ea nil aperte contineret, quod aut Chalcedonensi concilio adversaretur, aut S. Leonis epistolae ad Flavianum, quam etiam Sergius laudaverat, ac duas in Christo naturas praedicaverat, ac se, suaque omnia judicio sedis Apostolicae in fine epistolae subjecisset. Quare nil mirum si tamquam catholico Episcopo his acceptis litteris, Honorius suas ei dederit, quem etiam catholicum, & catholicae fidei defensorem, cum tota Orientali ecclesia, & Sophronio Hierosolymorum Episcopo Monotheliticae haeresis impugnatore acerrimo, eum hucusque habuit.

JESU CHR. AN. 633.

Labb. T. 6 I.

Jesu Chr. an. 633. Honorii Papæ epist. ad Sergium CP. Episc.

12. His acceptis a Sergio epistolis, quid eidem rescripserit Honorius Papa nunc videamus, cujus litteræ eadem actione duodecima synodi sextæ insertæ sunt; quarum hoc est exordium. *Scripta fraternitatis vestræ suscepimus, per quæ inventiones quasdam, & novas vocum quæstiones cognovimus introductas per Sophronium quemdam tunc monachum, nunc vero ex auditu Episcopum Hierosolymitanæ urbis constitutum adversus fratrem nostrum Cyrum Alexandriæ Antistitem, unam operationem Domini nostri Jesu Christi conversis ex hæresi prædicantem. Qui denique ad vestram, fraternitatem Sophronius veniens, querelamque hujusmodi deponens, multiformiter eruditus, petiit de his, quæ a vobis fuerat instructus, paginalibus sibi syllabis resecari. Quarum litterarum ad eumdem Sophronium directarum suscipientes exemplar, & intuentes satis provide circumspecteque fraternitatem vestram scripsisse, laudamus novitatem vocabuli auferentem, quod posset scandalum simplicibus generare. Nos enim in quo pervenimus, oportet ambulare. Enimvero, duce Deo, pervenimus usque ad mensuram rectæ fidei, quam Apostoli veritatis Scripturarum sanctarum funiculo extenderunt, confitentes Dominum Jesum Christum mediatorem Dei & hominum, operatum divina, media humanitate Verbo Dei naturaliter unita, eumdemque operatum humana ineffabiliter atque singulariter, assumpta carne discrete, inconfuse, atque incorvertibiliter plena divinitate.* His multa de Incarnationis mysterio, & quidem apposite, differit, ac inconfusam duarum naturarum unionem adstruit; atque inter plurima his verbis explicat: *Profecto nos instruens, quod divinitati unita est caro passibilis, inneffabiliter atque singulariter, ut discrete atque inconfuse, sic indivise videretur conjungi, ut nimirum stupenda mente mirabiliter manentibus utrarumque naturarum differentiis cognoscatur uniri*, quibus sane verbis longe se ab Eutychianorum, vel Monothelitarum deliriis, unam tantum in Christo, aut naturam, aut operationem prædicantium abesse demonstravit. His addit, *Unde & unam volontatem fatemur Domini nostri Jesu Christi, quia profecto a divinitate assumpta est nostra natura non culpa, illa profecto, quæ ante peccatum creata est, non quæ post prævaricationem vitiata*, utpote de Spiritu Sancto conceptus; Cum porro unam in Christo volontatem fuisse ait Honorius, id tantum intellexit, quod duæ contrariæ inter

inter se in Christo non essent voluntates, ut in hominibus peccato primi parentis corruptis accidit, in quibus caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem, Unde de hac pugna ingemiscens Apostolus post alia *quod nolo malum hoc ago*, ajebat, atque eodem loco probat Honorius; Utrum autem una, vel duæ in Christo operationes dicendæ essent, *Ad nos*, inquit, *ista pertinere non debent, relinquentes ea grammaticis, qui solent parvulis exquisita derivando nomina vindicare*. Duas tamen operationes ob vitanda dissidia, ac pacis conciliandæ causa non rejiciendas, sed reticendas esse his verbis jubet. *Nos enim non unam operationem, vel duas, Dominum Jesum Christum, ejusque Sanctum Spiritum sacris litteris percepimus, sed multiformiter cognovimus operatum; Scriptum est enim: Si quis spiritum Christi non habet, hic ejus non est. Et alibi: Nemo potest dicere, Dominus Jesus, nisi in Spiritu Sancto. Divisiones vero gratiarum sunt, idem autem spiritus: & divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus: & divisiones operationum sunt, idem autem Deus, qui operatur omnia in omnibus. Si enim divisiones operationum sunt multæ, & has omnes Deus in membris omnibus pleni corporis operatur: quanto magis capiti nostro Christo Domino hæc possunt plenissime coaptari? ut caput & corpus unum sit perfectum, ut profecto occurrat (sicut scriptum est) in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Si enim in aliis, id est, in membris suis spiritus Christi multiformiter operatur, in quo vivunt & mouentur, & sunt: quanto magis semetipsum mediatorem Dei & hominum plene ac perfecte multisque modis & ineffabilibus confiteri nos communione utriusque naturæ condecet operatum?* Cur autem de duabus voluntatibus, & operationibus tacendum ducat, caussam haud contemnendam astruit, quod scilicet communis ista esset assertio cum Nestorianis id ipsum profitentibus, non ob duarum (sicut Catholici) naturarum differentiam, sed ob duas, quas illi, constituebant in Christo personas. Subdit ergo: *Et nos quidem secundum sanctiones divinorum eloquiorum oportet sapere, vel sperare, illa videlicet refutantes, quæ quidem novæ voces noscuntur sanctis Dei Ecclesiis scandala generare: ne aut duarum operationum vocabulo offensi, sectantes Nestorianos, nos vesana sapere arbitrentur*: Eo quod illi duas ponerent in Christo personas. Rursum vero

Jesu Chr. an. 633.

ad Rom. 7. 19

Jesu Chr. An. 633. vero tacendum putat de una operatione, ne fovere causam Eutychianorum, unam tantum asserentium in Christo naturam videri posset; nam subdit: *Aut certe si rursus unam operationem Domini nostri Jesu Christi fatendam esse censuerimus, stultam Eutychianistarum attonitis auribus dementiam fateri putemur; præcaventes, ne quorum inania arma combusta sunt, eorum cineres & redivivos ignes flammivomarum denuo renovent quæstionum, simpliciter atque veraciter confitentes Dominum nostrum Jesum Christum unum operatorem divinæ & humanæ naturæ: electius arbitrantes, ut vani naturarum ponderatores, otiose negotiantes, & turgidi adversum nos insonent vocibus ranarum philosophi, quam ut simplices, & humiles spiritu populi Christiani possint remanere jejuni. Nullus enim decipiat per philosophiam & inanem fallaciam discipulos piscatorum. Eorum enim doctrinam sequentes, omnia argumenta scopulosa disputationis callidæ, atque fluctivagæ intra eorum retia sunt collisa. Hæc nobiscum fraternitas vestra prædicet, sicut & ea nos vobiscum unanimiter prædicamus, hortantes vos, ut unius, vel geminæ novæ vocis inductum operationis vocabulum aufugientes, unum nobiscum Dominum Jesum Christum Filium Dei vivi, Deum verissimum, in duabus naturis operatum divinitus, atque humanitus fide orthodoxa, & unitate Catholica prædicetis.* Et subscriptio: *Deus te incolumem custodiat, dilectissime atque sanctissime frater.*

Quæ & quanta Honorii Papæ culpa fuerit.

13. Hactenus de his Honorius ad Sergium CP. Episcopum, cujus epistolam tamquam petram scandali, & offensionis lapidem catholicis fuisse, eumque Monotheliticæ hæresis assertorem, hæreticorum plurimi, ac catholicorum nonnulli aperte tradiderunt; cum præsertim epistola etiam altera ad eumdem Sergium, cum jam synodicas a Sophronio Hierosolymorum Episcopo accepisset, hæc eadem de observando silentio circa unam, aut duas in Christo voluntates, præceperit. Nihilominus etsi omnino excusari a culpa non possit Honorius Papa, tanta tamen non fuit, ut hæresis Monotheliticæ insimulari facile possit, aut eidem subscripsisse dicamus; Nam etsi eum graviter etiam peccasse dicatur, ut non semel Natalis Alexander, & Gravesonius, ut ceteros prætercam, scribunt; hæreticum tamen fuisse, sicuti hæterodoxi passim, atque ex his Caveus, qui de eodem Hono-

rio

Jasu Chr. an. 633.

rio hæc adnotat; *Laterem lavant, operam oleumque perdunt, quotquot Honorium ob hæresim Monotheliticam a synodo generali sexta damnatum hac labe eximere laborant*. In eamque sententiam catholicorum etiam aliquot subscripsisse non ignoramus; ea potissimum innixi ratione, quod synodus sexta, quæ Monotheliticam sectam damnavit, Honorium etiam Pontificem, inter ejusdem hæresis sectatores, recensuit; Ut argumentum ex sextæ synodi actis petitum, quo Honorii fama lœditur, eluderet Baronius, corrupta quidem fuisse acta sextæ synodi evincere conatus est, idemque confirmare curavit Schelestratus. Verum hanc Eminentissimi annalium Parentis conjecturam ab omni veri specie abhorrere adnotant celeberrimi scriptores; ut opportunius infra, ait Gravesonius, dum de sexta synodo, deque actorum integritate sermo redibit; nosque etiam opportuniori loco adnotaturi sumus. Quare etsi negari non possit, Honorium quoque cum ceteris Monothelitarum fautoribus a synodo sexta damnatum fuisse, eum tamen hæreticum ob id fuisse non sequitur. Nam quo sensu in Christo unam operationem admitteret, jam supra diximus, ac catholico sensu ejusdem verba interpretanda esse demonstravimus. Eum tamen graviter etiam in ea causa peccasse, ac officio suo defuisse, extra dubium est. Cum etenim utpote Petri successor, cui dictum a Christo fuerat, *& tu confirma fratres tuos*, suo muneri non solum non satisfecit; sed etiam, ut Leo secundus Rom. Pontifex ad Episcopos Hispanos scribit. *Flammam haretici dogmatis, non ut decuit auctoritate Apostolica incipientem extinxit, sed negligendo confovit*; tum quia consultationem Sergii Patriarchæ CPolitani, & Cyri Alex., qui Monothelitica hæresi aspersi erant, ambiguis responsis elusit; neque statim erumpentem hæresim damnavit. Nec silentio solum & dissimulatione peccavit, ac œconomia sua effecit, ut latius interea hæresis grassaretur, sed etiam jussit, ut de una, aut duabus in Christo operationibus, altum silentium servaretur, cum geminam in Christo voluntatem, & operationem aperte prædicare debuisset. His adde quod Honorius in suis epistolis dixerit, voces geminæ voluntatis, & operationis, *novas* fuisse, *Patribus ignotas, recenter inductas*, ac proinde in ecclesia nequaquam admittendas, ac etiam *ineptum, otiosum, & grammaticale verbum*, eosque, qui de una vel gemina in

Jesu Chr. an. 633.

in Christo voluntate, veritatem inquirebant, *vanos*, appellat, *naturarum ponderatores*, *otiosos negotiatores*; quibus certe loquendi modis Monothelitarum hæresi patrocinari visus est. Nimia etiam facilitate assensus est Honorius consiliis Sergii CP. Patriarchæ, qui Monotheliticam hæresim jam tunc disseminare incœperat, ac plus æquo faciles aures eidem Sergio præbuit, dum calumniis fidem adhibuit, quas idem Sergius adversus Sophronium Hierosolymorum Episcopum, ac Monothelitarum acerrimum hostem, in epistolis suis confixerat.

Qua ratione Honorius Papa damnatus fuerit.

14. Ob has itaque causas sextæ synodi Patres Honorium quidem, tamquam hæreseos fautorem, & dissimulationis reum condemnarunt, non tamen hæreticum eum fuisse dixerunt; cum certe nullibi Monotheliticæ sectæ aperte eum favisse, aut cum pertinacia, quæ sola hæreticum facit, eidem subscripsisse constet. Hinc factum, ut celeberrimi sanctitate, & doctrina viri, ab hæresis labe Honorium Papam innoxium fuisse dixerint. Inter eos Joannes quartus Pontifex in apologia pro Honorio ad Constantinum Imp. Heraclii filium, Sanctus Maximus martyr in Dialogo cum Pyrro Monothelita, & in epistola ad Marinum, quæ extat inter Anastasii collectanea, Anastasius bibliothecarius, in suis ad Joannem Diaconum collectaneis. Nec privati tantum scriptores id testati sunt, sed etiam acta publica confirmant, idest acta synodalia, cum post annos decem & octo Romæ sub S. Martino Papa & martyre celebrata est Synodus Lateranensis, cui interfuerunt centum & quinque Episcopi, præsidente ipso Summo Pontifice, & exacte cognita atque tractata est causa Monothelitarum, ac damnati in ea fuerunt una cum hæresi atque ipsorum scriptis Theodorus Pharanites Episcopus, Cyrus Patriarcha Alexandrinus, Sergius, Pyrrus, & Paulus successores Patriarchæ Constantinopolitani, auctores & propugnatores erroris: Honorius autem nullam prorsus, vel ab hæreticis de hæresi calumniam passus, nec a sancta Synodo levissima est suspicione pulsatus. Post hæc autem cum iterum a sanctissimo Pontifice Agathone celebrata est Romæ Synodus centum viginti quinque Episcoporum, in qua repetita est eorumdem damnatio hæreticorum Theodori, Cyri, Sergii, Pyrri, & Pauli, nec levis quidem mentio, quod erraverit Honorius, facta est; qui si errasset, dissimulari minime potuisset. Sed & in ea, quæ ex eadem Synodo instru-

Jesu Chr. an. 633.

instructio data est legatis, ad Sextam Synodum Constantinopolim proficiscentibus, & in iis, quas ipse summus Antistes Agatho litteras tunc ad Imperatores Constantinum, Heraclium, atque Tiberium dedit, ore libero, firma, iterataque attestatione & contestatione fatetur, numquam aliquando Apostolicam Sedem a recto fidei tramite deviasse. Sed reddamus hic verba ipsius. *Christi*, inquit, *adnitente præsidio, hæc Apostolica ejus Ecclesia numquam a via veritatis in qualibet erroris parte deflexa est*. Et post aliqua iterum: *Hæc est enim veræ fidei regula, quam & in prosperis, & in adversis vivaciter tenuit, ac defendit hæc spiritalis mater vestri tranquillissimi Imperii Apostolica Christi Ecclesia, quæ per Dei omnipotentis gratiam a tramite Apostolicæ traditionis numquam errasse probabitur, nec hæreticis novitatibus depravata succubuit: sed ut ab exordio fidei Christianæ percepit ab auctoribus suis Apostolorum Christi principibus, illibata finetenus permansit*. Et de suis prædecessoribus paulo post speciatim hæc addit: *Consideret itaque vestra tranquilla clementia, quoniam Dominus & Salvator omnium, cujus fides est, qui fidem Petri non defecturam promisit, confirmare eum fratres suos admonuit: quod Apostolicos Pontifices, meæ exiguitatis prædecessores, confidenter fecisse semper, cunctis est cognitum: quorum & pusillitas mea, licet impar & minima, pro suscepto tamen divina dignatione ministerio, pedissequa cupit existere. Væ enim mihi erit, si veritatem Domini mei, quam illi sinceriter prædicarunt, prædicare neglexero*. Hucusque Agatho; quæ quidem quomodo adeo firmiter asserere, libere prædicare, ac sincere profiteri potuisset, si ad eamdem firmandam, quam confutat, hæresim, Honorius in crimen adduci potuisset. Sed tum de Honorii culpa, cum de vindiciis ab hæresis labe plura apud Combefisium in historia Monothelitarum, aut Natalem Alex. dissert. 2. in seculum septimum, vel utrosque Pagios Antonium, & Franciscum videri possunt.

Honorii Papæ epistola ad Edvinum Angliæ Regem.

15. Dum in Oriente Monothelitica hæresis caput erigeret, Honorius Papa cum ab Eduino Anglorum Rege legationem accepisset, qua Pontificalia pallia tum Paulino, cum Honorio Episcopis mitti petebat, una cum paliis exhortatorias litteras dedit, quibus eum, ut in christiana fide suscepta, bonisque operibus perseveraret, hortatus est, signi-

JESU CHR. AN. 633. significatque se *duo pallia utrorumque Metropolitanorum, idest Honorio, & Paulino direxisse*. De his audiendus est Beda, qui primum de Paulino hæc narrat. *Quo tempore præsulatum sedis Apostolicæ Honorius Bonifacii successor habebat, qui ubi gentem Nordhumbrorum cum suo Rege ad fidem confessionemque Christi, Paulino evangelizante conversam esse didicit, misit eidem Paulino pallium; misit & Regi Eduino litteras exhortatorias, paterna illum charitate accendens, ut in fide veritatis quam acceperant, persistere semper, ac proficere curaret*. Deinde litteras Honorii Papæ ad Eduinum Beda recitat, quæ apud Labbeum, & Baronium extant. Quarum hæc est inscriptio. *Domino excellentissimo, atque præcellentissimo filio Eduino Regi Anglorum, Honorius Episcopus, servus servorum Dei salutem*; atque in Eduini laudem hæc præfatur: *Ita christianitatis vestræ integritas, circa conditoris sui cultum fidei est ardore succensa, ut longe lateque resplendeat, & in omni mundo annunciata vestri operis multipliciter referat fructum &c.* De accepta legatione, & palliis missis, subdit. *Ea vero quæ a nobis pro vestris Sacerdotibus ordinandis, sperastis, hæc pro fidei vestræ sinceritate, quæ nobis multimoda relatione per præsentium portitores laudabiliter insinuata est, gratuito animo attribuere illis sine ulla dilatione prævidemus. Et duo pallia, utrorumque Metropolitanorum, id est, Honorio, & Paulino direximus, ut dum quis eorum de hoc sæculo ad auctorem suum fuerit accersitus, in loco ipsius alterum Episcopum ex hac nostra auctoritate debeat subrogare. Quod quidem, tam pro vestræ charitatis affectu, quam pro tantarum provinciarum spatio, quæ inter nos & vos esse noscuntur, sumus invitati concedere, ut in omnibus devotioni vestræ nostrum concursum, & juxta vestra desideria præberemus. Incolumem excellentiam vestram gratia superna custodiat*. Hucusque ad Regem Eduinum Honorius. Porro etsi anno, & die, quo data est, epistola, careat ex alia tamen epistola, eodem tempore ab ipso Pontifice scripta, ad Honorium Episcopum Dorovernienfem, Justi successorem, cum petitum a Rege pallium ad eum mittit, hoc anno datam esse, certissimum redditur. Successerat namque Honorius Justo, de quo hæc iterum Beda: *Inter hæc Justus Archiepiscopus ad cælestia regna sublatus est quarto Iduum Novembrium die, & Honorius pro illo est in præsulatum*

latum electus: qui ordinandus venit ad Paulinum, & occurrente sibi illo in Lindocolino, quintus ab Augustino Dorovernensis Ecclesiæ consecratus est Antistes: cui etiam præfatus Papa Honorius misit pallium, & litteras, in quibus decrevit hoc ipsum, quod in epistola ad Eduinum Regem missa decreverat: scilicet, ut cum Dorovernensis, vel Eboracensis Antistes de hac vita transierit, is qui superest, consors ejusdem gradus habeat potestatem alterum ordinandi in loco ejus, qui transierat, sacerdotem, nec sit necesse ad Romanam usque civitatem, per tam prolixa terrarum & maris spatia pro ordinando Archiepiscopo semper fatigari. Quarum etiam textum litterarum in nostra hac historia ponere, commodum duximus.

Honorii Papæ epist. ad Honorium Dorovornensem Episc. Labb. tom. 5. pag. 1684. Pagi an. 633. not. 21.

16. Ea epistola Honorius Papa Honorium Dorovornensem Episcopum admonuit, ut in suscepto munere conversionis Anglorum strenue fortiterque persisteret; His vero præmissis, quod pallium iisdem transmiserit, hanc rationem refert; *Et nos quidem fratres carissimi, hæc vobis, pro æterna charitate exhortationis verba præmittentes, quæ rursus pro Ecclesiarum vestrarum privilegiis congruere posse conspicimus, non desistimus impartire. Et tam juxta vestram petitionem, quam filiorum nostrorum Regum, vobis præsenti nostra præceptione vice beati Petri Apostolorum principis auctoritatem tribuimus, ut quando unum ex vobis, divina ad se jusserit gratia vocari, is, qui superstes fuerit, alterum in loco defuncti debeat Episcopum ordinare. Pro qua etiam re singula vestræ dilectioni pallia pro eadem ordinatione celebranda direximus, ut per nostræ præceptionis auctoritatem possitis Deo placitam ordinationem efficere: quia ut hæc vobis concederemus, longa terrarum marisque intervalla, quæ inter nos ac vos obsistunt, ad hæc nos condescendere coegerunt: ut nulla possit Ecclesiarum vestrarum jactura per cujuslibet occasionis obtentum quoquo modo pervenire, sed potius commissi vobis populi devotionem plenius propagare. Deus te incolumen custodiat, dilectissime frater. Data die tertia Idus Junias, imperantibus dominis nostris piissimis Augustis, Heraclio, anno vigesimo quarto, Proconsulatus ejusdem anno vigesimo tertio, & Consulatus ejus anno tertio: sed & Heraclio felicissimo Cæsare, id est, filio ejus, anno tertio, Indictione septima, id est, anno Dominicæ incarnationis sexcentesimo trigesimo tertio.* Hanc alteram Honorii Papæ epistolam ad Honorium Episcopum datam, an

Jesu Chr. an. 633.

hoc, vel sequenti anno eam scripserit Honorius, dubitat Pagius, ac longo examine disputat; Mansius vero in notis ad Pagium ibidem additis, ad hunc annum pertinere scribit, cum idem argumentum ac altera hoc anno scripta pertractet, hoc loco eam commode inseruimus, nil omnino solliciti, an eam definente hoc anno, aut proximi initio Honorius Papa scripserit.

De nece Edvini Regis Anglorum.

17. Dum felicibus progressibus Anglicana ecclesia floresceret, ac sub Regibus Eduino, & Eadbaldo, novis quotidie fœtibus augeretur, ob Eduini necem turbata, ac pene prostrata est: Rem gestam pluribus narrat Beda his verbis. *At vero Eduinus cum decem & septem annis genti Anglorum, simul & Britonum gloriosissime praeesset, e quibus etiam Rex ipse (ut diximus) Christi regno militavit, rebellavit adversus eum Carduella Rex Britonum, auxilium praebente illi Penda, viro strenuissimo, de regio genere Merciorum, qui & ipse ex eo tempore gentis ejusdem regno annis viginti, & duobus varia sorte praefuit. Et conserto gravi praelio in campo, qui vocatur Hethfelt, occisus est Eduinus die quarta Iduum Octobris, anno Dominicae incarnationis sexcentesimo trigesimo tertio, cum esset annorum quadraginta, & septem; ejusque totus vel interemptus, vel dispersus est exercitus. In quo etiam bello ante illum unus filius ejus Osfrid, juvenis bellicosus cecidit; alter Edfrid, necessitate cogente ad Pendam Regem transfugit, & ab eo postmodum, regnante Osvvaldo, contra fidem jusjurandi peremptus est. Quo tempore maxima est facta strages in Ecclesia, vel gente Nordhumbrorum, maxime, quod unus ex ducibus (a quibus acta est) Paganus, alter, quia barbarus erat, Pagano saevior. Siquidem Penda cum omni Merciorum gente idolis deditus, & Christiani erat nominis ignarus. At vero Carduella, quamvis nomen, & professionem haberet Christiani, adeo tamen erat animo, ac moribus barbarus, ut nec sexui quidem muliebri, vel innocuae parvulorum parceret aetati; quin universos atrocitate ferina morti per tormenta contraderet, multo tempore totas eorum provincias debacchando pervagatus, ac totum genus Anglorum Britanniae finibus erasurum se esse deliberans: sed nec religioni Christianae, quae apud eos exorta erat, aliquid impendebat honoris: quippe cum usque hodie moris sit Britonum, fidem religionemque Anglorum pro nihilo habere, neque in ali-*

aliquo cum eis magis communicare, quam Paganis. Hæc, exardescens odium adversus gentem peregrinam, quæ Britannorum invaserat sedes, suadebat: quin etiam eos redditos Christianos, in ipsis Christianam execrantur fidem (ut idem Auctor est Beda) iisque inviderant Christianam, quam susceperant, fidem, ob idque inviso quoque animo in eos erant, qui illis Evangelium prædicaverant. Sed pergit Beda funera recensere, & dispersionem regiæ prolis: *Allatum est autem caput Eduini Regis Eboracum, & illatum postea in Ecclesiam beati Petri Apostoli, quam ipse cœpit, sed successor ejus Osvvaldus perfecit, ut supra docuimus: positum est autem in porticu sancti Papæ Gregorii, a cujus ipse discipulis verbum vitæ susceperat. Turbatis itaque rebus Nordhumbrorum hujus articulo cladis, cum nihil alicubi præsidii, nisi in fuga esse videretur, Paulinus, assumpta secum Edelburga Regina, quam pridem adduxerat, rediit Cantium navigio, atque ab Honorio Archiepiscopo, & Rege Eadbaldo multum honorifice susceptus est. Venit autem illuc duce Basso, milite Regis Eduini fortissimo; habens secum Heanfredam filiam, & Vulcfream filium Eduini, nec non & Iffi filium Osfridi filii ejus, quos postea mater metu Edvvaldi, & Osvvaldi Regum misit in Galliam nutriendos Regi Dagoberto, ibique ambo in infantia defuncti, & juxta honorem, vel regiis pueris, vel innocentibus Christi congruum, in Ecclesia sepulti sunt. Attulit quoque secum*, Paulinus scilicet, *vasa prætiosa Eduini Regis perplura, in quibus & Crucem magnam auream, & calicem aureum consecratum ad ministerium altaris, quæ hactenus in Ecclesia Cantii conservata monstrantur. Quo in tempore Rhofensis Ecclesia pastorem minime habebat, eo quod Romanus præsul illius ad Honorium Papam a Justo Archiepiscopo legatus missus, absorptus fuerat fluctibus Italici maris, ac per hoc curam illius præfatus Paulinus, invitatione Honorii Antistis, & Eadbaldi Regis suscepit, ac tenuit usque dum & ipse suo tempore ad cœlestia regna cum gloriosi fructu laboris ascendit: in qua Ecclesia moriens, pallium quoque, quod a Romano Papa acceperat, reliquit. Reliquerat autem in Ecclesia sua Eboraci Jacobum Diaconum, virum utique Ecclesiasticum & sanctum, qui multo ex hinc tempore in Ecclesia manens, magnas antiquo hosti prædas docendo, & baptizando eripuit: cujus nomine vicus, in quo maxime solebat habitare,*

JESU CHR. AN. 633.

JESU CHR. AN. 633.

tare, juxta Cataractam, usque hodie cognominatur. Qui quoniam cantandi in Ecclesia erat peritissimus, recuperata postmodum pace in provincia, crescente numero fidelium, etiam magister Ecclesiasticæ cantionis juxta morem Romanorum, seu Cantuariorum multis cœpit existere. Et ipse senex & plenus dierum (juxta scripturas) patrum viam secutus est. Hucusque Beda.

Edvini Regis successores a fide deficiunt

18. Sed quid accidit? Ob tantam illatam cladem scandalum passi successores Edvini Regis, cum Christiani essent, sanctum ejuravere baptismum, & redditi sunt Gentiles, idolorum cultum in suis populis revocantes. Quos pro abdicata christiana fide, cito pœnas dedisse, his verbis idem Beda narrat. *Interfecto*, inquit, *in pugna Eduino, suscepit pro illo regnum Deirorum (de qua provincia ille generis prosapiam & primordia regni habuerat) filius patrui ejus Elfrici, vocabulo Osrichus. qui ad prædicationem Paulini fidei erat sacramentis imbutus, Porro regnum Berniciorum (nam in has duas provincias gens Nordhumbrorum antiquitus divisa erat) suscepit filius Edelfridi, qui de illa provincia generis, & regni originem duxerat, nomine Eanfridus. Siquidem tempore toto, quo regnavit Eduinus, filii præfati Regis Edelfridi, qui ante eum regnaverat, cum magna nobilium juventute apud Scotos, sive Pictos exulabant, ibique ad doctrinam Scotorum catechizati, & baptismatis gratia sunt recreati. Qui, ut mortuo Rege inimico, in patriam sunt redire permissi, accepit primus eorum, quem diximus, Osrichus regnum Deirorum, secundus vero Eanfridus regnum Berniciorum. Uterque autem ut terreni regni infulas sortitus est, ita sacramenta regni cœlestis, quibus initiatus erat, anathematizando perdidit, ac se priscis idolatriæ sordibus polluendum perdendumque restituit. Nec mora, utrumque Rex Britonum Carduella sive impia manu, sed justa ultione peremit. Et primo quidem proxima æstate Osrichum, dum se in oppidi municipio temerarie obsedisset, erumpens subito cum suis omnibus imparatum cum toto exercitu delevit. Deinde cum anno integro provincias Nordhumbrorum, non ut Rex victor possideret, sed quasi tyrannus sæviens disperderet, ac tragica cæde dilaceraret, Eanfridum inconsulte ad se cum duodecim electis militibus postulandæ pacis gratia venientem, simili sorte damnavit. Infaustus ille annus, & omnibus bonis exosus usque hodie permanet, tam pro-*

propter apostasiam Regum Anglorum, cum fidei sacramentis se exuerant, quam propter vesanam Britunici Regis tyrannidem. Unde cunctis placuit Regum tempora computantibus, ut ablata de medio Regum perfidorum memoria, idem annus sequentis Regis, id est, Osvvaldi viri Deo dilecti, regno assignaretur. Sed de Osvvaldo suo loco dicturi sumus. Jam vero quæ anni hujus reliqua sunt Honorii Romani pontificis gesta, prosequamur.

Honorii Papæ Epistolæ adScotos circa Paschatis festum.

19. Quo tempore Honorius Papa ad Eduinum Anglorum Regem, & ad Honorium Cantuariensem Episcopum litteras dedit; alteras quoque ad gentem Scotorum dedit, eosdem admonens, ne in celebratione Paschalis festi, ab universali, & Romana ecclesia, in suo errore perseverantes, dissiderent. Hinc Beda duabus recensitis epistolis, de quibus, supra, mox addit: *Misit idem Papa Honorius litteras etiam genti Scotorum, solerter exhortans, ne contra Paschales computos, & decreta synodalium totius orbis Pontificum aliud Pascha celebrarent*, ait Beda, qui iterum libro de sex ætatibus in eamdem rem, narrata Eduini Regis pietate, & Imperio addit: *Eo tempore exortum apud Scotos de observatione Paschæ errorem Quartadecimanorum*, Honorius Papa per epistolam redarguit. Hunc errorem Beda *Quartadecimanorum* appellat, non quod Scoti, aut Hiberni Judæorum more semper Pascha celebraverint, sed eo quod Dominica aliquando in XIV. Lunam cadente, non expectaverint sequentem, uti Nicæni Patres sanciverant. Dicitur hic error anno DCXXX. exortus, licet *Columba*, aut certe discipuli ejus jam pridem ita Pascha celebraverit; Ob quam rem *Scoti* de errore & perversa consuetudine admoniti, collegerunt eo anno Synodum, ibique eumdem ritum confirmasse creditur; de ea synodo agunt Husserius, Alfordus, & Vilkins, eamque Leniensem vocant, utpote in loco, qui Leniæ dicebatur, celebratam: nihilominus irritam Honorii Papæ admonitionem non fuisse adnotat Usserius. *Quæ quidem monita irrita non fuisse, partim ex Beda colligo, qui gentes Anglorum, qui in Australibus Hiberniæ insulis morabantur, ad admonitionem Apostolicæ sedis Antistitis Pascha canonico ritu observare didicisse narrat, partim ex Cummiano, qui eo ipso tempore vixit, & in epistola ad Segenium Hiensis Cænobii Abatem. De Alexandrinorum magno 28. Endecadecateridum, sive 532. Annorum cyclo in Hi-*



JESU CHR. ANI 633. *Hibernia primum admisso ita scripsit &c.* . Sed de his hactenus .

Concilium Toletan. 4. celebratur.

20. Hoc eodem anno , qui tertius Sisenandi Hispaniarum Regis numeratur; Concilium Toletanum quartum celebratum est , cui interfuerunt Episcopi septuaginta circiter, tam ex Hispania, quam ex Gallia Narbonensi , quæ parebat Hispaniarum Regi , iisque præfuit Sanctus Isidorus Hispalensis Episcopus , ac primus in subscriptionibus legitur . Unde dubitare vix licet celeberrimum concilium , ejusdem Isidori nobilem partum fuisse , quod quidem capita, sive canones 74. continet , quibus primum doctrina catholica confirmatur , tum ecclesiastica disciplina . Id etiam perpetua memoria dignum , quod in præfatione ipsius Synodi, sanctissimi patres docent, quantus esset , in Rege maxime pio , erga Dei sacerdotes cultus & observantia: hæc enim ipsi præfando habent post alia: *Hic quippe Rex* , Sisenandus videlicet , *dum in Basilica beatissimæ, & sanctæ confessoris Leocadiæ omnium nostrum pariter jam cætus adesset , tali pro merito fidei suæ cum magnificentissimis viris ingressus , primum coram sacerdotibus Dei humi prostratus , cum lachrymis & gemitibus pro se interveniendum Domino postulavit: deinde religiosa prosequutione Synodum exhortatus est , ut paternorum decretorum memores , ad conservanda in nobis jura Ecclesiastica studium præberemus , & illa corrigere , quæ , dum per negligentiam in usum venerunt , contra Ecclesiasticos mores licentiam sibi de usurpatione fecerunt &c.* , Quomodo autem post hæc primo loco a Patribus fidei Catholicæ professio edita sit , in qua Spiritum sanctum a Patre , Filioque procedere professi sunt (quod alias sæpe prædecessores professi fuerant) Acta declarant . Quod insuper ad idem Concilium spectat , alibi ipse Isidorus hæc habet . *Addiderunt his , quæ ad cultum divinum spectarent , ut unus ubique in provinciis omnibus sacer ritus servaretur in cunctis ministeriis Ecclesiasticis* . Quod ad hæc pertinet , sententia plurimorum est , cui libens subscribo , in hoc Concilio a Patribus injunctum S. Isidoro , rerum Ecclesiasticarum peritia & scientia cæteris excellenti , ut ex præscripto sacri Concilii volumina elucubraret ecclesiasticorum officiorum , quibus tum in sacris Missis , tum in horis psallendis canonicis , nocturnis , atque diurnis uti deberent omnes Hispaniarum Ecclesiæ : quod quidem ab eo quam feli-

licissime præstitum est, ita ut & Missale, atque Breviarium ederet. Extant adhuc ipsa sacra volumina, quæ Ecclesiasticam redolent antiquitatem, sub titulo pariter ejusdem sancti Isidori edita. Jesu Chr. an. 633.

21. Sed cur idem officium sacrorum rituum vulgo Mozarabum dicatur, libenter assentior iis, qui dicunt vocem esse depravatam, & loco Mixtarabum, dici Mozarabe. Non enim ignorandum est, post Saracenorum tyrannidem Hispaniis dominantium, Christianorum earum provinciarum factam esse divisionem, aliorum videlicet, qui viverent inter Arabes velut servi, & aliorum, qui extorres facti, ab iis sua, suosque relinquentes aufugerint sive ad montes, sive ad exteras nationes. Hos ergo gentiles suos viventes inter Arabes, Mixtarabes adpellasse; ritumque ipsum sacrorum, quem ex usu librorum sancti Isidori iidem retinerent, quibus ipsi fuga lapsi carerent, eodem pariter nomine Mixtarabum officium dicere consuevisse, quod eo scilicet uterentur Mixti Arabibus Christiani. Insuper, quod ad hoc ipsum Concilium pertinet, iidem Patres, quoniam pristinum usum de convocandis bis in anno provincialibus synodis exoleverat, ut saltem semel in anno Episcopi convenirent, sanxerunt: sed & ipsam formulam, quæ servari deberet, cum Concilium celebratur, pariter, Isidoro auctore, præscripserunt. Additus est demum canon de admonitione ad populum facienda, ut sit fidelis Regi, servetque illibatum præstitum de fide servanda jusjurandum. Reliqua tu consulas observatione dignissima. Quantum vero post hæc supervixerit sanctus Isidorus, suo loco dicemus.

Cur S. Isidori officium mozarabe dicatur.

22. An autem missæ Mozarabum auctor fuerit Isidorus, ut in hunc locum adnotavit Baronius, vel potius Leander ejus frater, aut etiam auctor antiquior, dubitat Pagius, cum nonnulla in Mozarabum missis occurrant, quæ Leandro etiam, & Isidoro antiquiora videntur; ex his S. Martini Episcopi Turonensis Missa; at quis ignorat, rituales libros antiquissimos esse, ac tractu temporis novis Missis, orationibusque auctos, in aliquibus etiam emendatos; nihilominus iis auctoribus tribui, qui eos in unum collectos auxerunt, vel emendarunt. Hinc factum ut Sacramentaria S. Leoni, Gelasio, aut Gregorio Magno tribuantur, etsi ab antiquis temporibus ea Romana retineret ecclesia, sed iis Pontificibus præsertim inscripta sunt, quia sedulam in iis rituum libris colligendis, emendandis, ac novis Missis, & Præfationibus augendis, operam

De auctore Missæ Mozarabum. Pag. not. 29. ad ann. 633.

ram

Jesu Chr. an. 633.

ram navarunt; Eodemque sensu Lennder, æque ac Isidorus horum librorum Auctores dici possunt; Sed de his plura apud eruditissimum Bonam videri possunt.

Sigebertus a patre Rex Austrasiæ declaratur.

23. Ad hunc annum ex Fredegario adnotat Pagius, quod Dagobertus Francorum Rex, anno Regni sui undecimo, qui cum labenti concurrebat; Cum Vvinidi, qui Carinthiam, vicinasque regiones incolebant, jussu Samonis Ducis sævirent, & sæpe transcenso eorum limite Regnum Francorum vastarent: Dagobertus cum Mettis esset, adhibito Pontificum, & Procerum consilio, Sigebertum filium suum Austrasiis Regem declaravit, sedemque Mettis habere permisit, atque ad Regni tutelam Unibertum Coloniensem Episcopum, & Adalgiselum ducem cum filio suo destinavit; atque ex eo tempore, *Austrasii limitem, & Regnum Francorum contra Vvinidos utiliter defensare noscuntur* ait Fredegarius capite 75.

Clodoveus Neustriæ & Burgundiæ Rex designatur.

24. Vix Austrasiæ Regnum Sigiberto filio cesserat Dagobertus, cum ei ex Nanthilde uxore alter natus est filius, quem Clodoveum vocari præcepit, cui etiam se vivente, ac vix annulo Regnum designavit; ut Fredegarius capite 79. testatur ad annum Dagoberti duodecimum. Clodoveo itaque filio suo, totam Neustriam cum Burgundia cessit, quotiescumque ipse e vivis abiisset, sicque inter filios suos vivens Regnum divisit.

JESU CHRISTI an. 634. Honorii Papæ 10. Heraclii Imp. 25. Arioaldi Longob. Regis. 10

Abubechri Seracenorum seu Arabum ducis obitus, cui successit Omarus.

1. Cum vix biennium Abubechrus, seu Eububezer Mauhumetis successor Califatum, seu Arabum Seracenorum Ducatum retinuisset, hoc anno mortuus est, cui Omarus successit, anno Hegiræ 13. idest labente, 634., ut ex Elmacino, & Theophane constat; de Abubechri gestis & obitu, qui etiam Omarum sibi in Califatu successorem elegit, plura apud Derbellotium in bibliotheca Orientali, aut in Arabum historia Gallice scripta ab Abate de Marigni videri possunt, nobis sat erit adnotasse Omarum bellum adversus Romanos susceptum, & victorias feliciori etiam exitu prorogasse. Hoc anno cum Bostram, aliasque urbes Homarus occupasset, ac Gabetam usque progressus esset; ait Theophanes, *Cum hoc prælio commisso Theodorus Heraclii frater, victus ad Imperato-*

to-

torem Edessæ tunc agentem venit. Imperator copiis Babanem seu Habanem ejus loco præfecit, Theodorum porro Sacellarium cum exercitu Romano adversus Arabes mittit, & cum Emesam venisset, occurrit Amiras cum multitudine Seracenorum, castraque locat ad Bardanisium flumen. Itaque Heraclius rebus desperatis Siriam deserit, sublatisque Hierosolymis venerabilibus lignis, (ideſt Chriſti Cruce ſublata) *CPolim abiit, Babanem vero a Damasco Emesam divertere jubet, simul & Theodorum Sacellarium cum exercitu quadraginta millium*; Cur Heraclius Chriſti Crucem Hieroſolyma CPolim aſportaverit, Arabum incurſiones in cauſa fuerunt; Unde eos Paleſtina, & Hieroſolyma mox potituros fore, Heraclius timebat; uti revera non poſt multos annos accidit, ut ſuo loco dicturi ſumus. Juſto ſane Dei judicio tunc factum eſt, ut ubi tot hæreſum, ac ſchiſmatum eruperant fontes, ibidem major Dei vindicta ſe effunderet, ac Orientale Imperium varia hæreſum, & ſchiſmatum peſte corruptum, Arabum, aliorumque barbarorum rapinis, cœdibus, incendiis, vaſtaretur, ut ex dicendis infra patebit.

Heraclius Chriſti Crucem CPolim transfert

Sophronii Hieroſoly. Epiſc. epiſt. ſynodica.

2. Sophronius interea Hieroſolymorum Epiſcopus ordinatus, cum ſynodum celebraſſet, ut anno proximo diximus, litteras ad Honorium Papam, ac ad Sergium CP., atque ad cæteros Patriarchas, ut credibile eſt, ſynodicas, cum fidei ſuæ profeſſione dedit, quæ ideo Honorio Papæ, & Sergio CP. Epiſcopo inſcriptæ in codicibus leguntur; ac in ſynodo ſexta actione undecima recitatæ ſunt: In iis porro, ſe invitum fere Epiſcopali ſarcinæ humeros ſubjeciſſe narrat; ac de perdita tranquillitate, & pace, qua hactenus, cum monachus eſſet, fruebatur, mœrens conqueritur, ac ſe eorum orationibus commendat; quorum etiam conſiliis ſe adjuvari poſtulat. Unde poſt plurima. *Quæso vos sanctissimos, & hortor, ut non solum puris & castis apud Deum precibus, mihi vitam in mare agenti, & in periculis versanti opem feratis, & parvo animo labantem confirmetis, sed doctrinis divinis ad res agendas instituatis, tum ut parentes & genitores, tum ut fratres & consanguinei. Concedito igitur vos mihi paterne, & fraterne, quæ jure postulo*, Patres ſcilicet dicebat, utpote majorum ſedium Epiſcopos, fratres vero uti Coepiſcopos; deinde: *Ego etiam vestras sequar institutiones, & vestram mecum conjunctionem lucrabor, qua fides idem sen-*

Jesu Chr. an. 634. Sophronii confessio fidei.

tientes colligat, spes recte sentientes copulat, & charitas, eos, qui cum Deo sentiunt, conjungit &c. His addit, quod cum ecclesiæ consuetudo exigeret, ut Episcopi recenter ordinati suam fidei confessionem ad alios Episcopos mitterent, hunc ipse morem sequens, suam quoque fidei professionem his litteris inseruit, integram quidem perfectamque, atque ex omni parte, fidei catholicæ conformem, eaque quotquot hactenus hæreses in ecclesia fuerant, cum auctoribus suis condemnat. Inter eos duo Sergii nominantur, quorum alter Armenus, Syrus alter dicitur, qui adhuc superstes erat.

Sophronius, ut corrigatur postulat, ac orationibus se commendat.

3. Post prolixam satis fidei suæ professionem, ita ipsum, ad quem scribit Honorium, sive Sergium, interpellat. *Unde paternam sanctitatem vestram rogo, ut has meas litteras a me abiecto jure synodico acceptas paternis oculis aspiciat, & fraterno aspectu contempletur. Et si quid, aut per ignorantiam erratum est, aut per oblivionem prætermissum, aut propter festinationem non animadversum, aut propter brevitatem non expressum, & nequaquam commemoratum, aut propter linguæ torporem tacitum, aut propter traditatem linguæ & exilitatem vocis, aut propter imbecillitatem sermonis agrestis, nobis non libentibus silentio suppressum est; rogo accessionibus impleat, & verbis ac correctionibus ex paterna plenitudine prodeuntibus corrigat, & robur præbeat amantissimum, fraterno studio satum, & paterno proposito irrigatum; ne quod mancum est, semper imperfectum appareat; & ne quod infirmum est, & sæpenumero per ignorantiam excidit, infirmum semper perseveret, & per totam vitam ægrotum. Quod quidem cum a vobis amice & legitime factum fuerit, me quidem locupletabit, & mihi medebitur, vestræ vero misericordiæ & amori testimonium tribuet, idest, vestræ erga fratrem & filium charitati.* Orationibus deinde Honorii, & Sergii se commendat, nec se solum, sed etiam, ut pro Heraclio Imp. & filiis ejus, totoque Imperio Romano preces, supplicationesque Deo fierent, enixe rogat, præsertim vero, ut *Sceptra valida præbeat, & firma ad conterendum omnium barbarorum, ac potissimum Seracenorum supercilium ac superbiam, qui nunc propter peccata nostra ex improviso in nos invaserunt, & omnia devastant, crudeli & ferino animo, profano & impio ausu.* Hæc Sophronius, quia ut diximus, hoc tempore, & anno Arabes sive Saraceni Siriam, & Palestinam in-

va-

vaserant; Unde epistolarum legatos commendans subdit: *Quocirca magis ac magis vobis Beatis supplicamus, ut prolixas preces Christo adhibeatis, ut eis benevole auditis, cito eorum furiosos fremitus reprimat, atque eos tenuos & viles factos, instar scabelli nostris Imperatoribus a Deo datis, sicut antea subijciat, ut & ipsi secundis rebus lætentur, qui Imperium in terris tenent, bellicis tumultibus sedatis. Lætetur etiam cum eis tota eorum Respublica, sceptris eorum valide vallata, faciatque vindemiam legens uvas pacati status lætitiam parientis. Obsecro etiam (ut iustum est) charitatem vestram fraternam, ut Leontium Deo carum, Diaconum Ecclesiæ Sanctæ Resurrectionis Christi Dei nostri, eumdemque nostri pii secretarii Cancellarium ac Protonotarium, & reverendum fratrem nostrum Polyeuctum, quibus litteras nostras Synodicas commisimus, benevolo vultu aspiciatis, & humanitate, qua decet eos, alloquamini*, ac ut cito cum litteris, quibus sua fidei confessio probaretur, & ut legati sui dimitterentur rogat. Sophronii epistolam laudavit Photius, etsi stilo turgidam fuisse adnotet his verbis: *Lecta est Sophronii Hierosolymorum Patriarchæ synodica, quæ Romam missa fuit ad Honorium ejus Antistitem, plena est pietatis epistola, & innovat ille quidem passim vocabula, tanquam equi pullus saltibus luxurians, attamen orthodoxam sententiam accurate tradit, & sacrorum dogmatum doctrinam minime vulgarem &c.*. Hactenus Photius.

Sophronius Hierosolym. Stephanum Dorensem episcop. ad Honorium mittit.

4. His gestis, cum didicisset Sophronius Cyrum Alex. Episcopum, cui præsens in faciem restiterat, unicam in Christo voluntatem undique prædicare; ultra se continere non valuit, ac ut temerarios Cyri ausus coerceret, ad Romanam sedem, ac ad Honorium Papam legationem misit, eique muneri Stephanum Dorensem Episcopum delegavit, cum per se id præstare non posset; *Propter emersam ex nostris peccatis incursionem Seracenorum*; Quanta sollicitudine id egerit Stephanus, quantaque reverentia erga Romanam sedem affectus esset, ejusdem verba indicant, quæ in Concilio Romano sub Martino Pontifice celebrato, collatione secunda lecta sunt, cujus hoc est exordium. *Quoniam hoc potestative olim, & ab antiquitus facere per Apostolicam, sive canonicam, consuevit auctoritatem: dum aperta lucubratione, non solum claves regni cælorum creditæ sunt ei, atque ipse tan-*

JESU CHR. AN. 634. *tummodo ad aperiendum eas fidelibus quidem digne, minime autem Evangelio gratiæ credentibus juste claudere, magnus secundum veritatem & princeps Apostolorum meruit Petrus; sed etiam & pascere primus jussus est oves totius Catholicæ Ecclesiæ, cum Dominus dicit: Petre amas me, pasce oves meas. Et iterum ipse præcipue ac specialiter, firmam præ omnibus habens in Dominum Deum nostrum & immutabilem fidem, convertere aliquando & confirmare exagitatos consortes suos & spiritales meruit fratres, utpote dispensative super omnes ab ipso, qui propter nos incarnatus est Deus, potestatem accipiens & sacerdotalem auctoritatem.* Hæc sciens Sophronius, *zelo Dei*, & *fiducia repletus*, prosequitur Stephanus, *duxit me indignum, & statuit in sancto Calvariæ loco, ubi propter nos, ipse, qui super nos secundum naturam Deus est, Dominus noster Jesus Christus sponte crucifigi secundum carnem dignatus est, & ibi alligavit me vinculis insolubilibus dicens. Tu dabis rationem ipsi, qui propter nos secundum carnem, & in hoc sancto loco sponte crucifixus est Deus, quando cum gloria in terribili ejus adventu judicaturus est vivos & mortuos, si distuleris, & postposueris fidem ejus periclitantem, licet ego hoc facere corporaliter, ut nosti, propter emersam ex nostris peccatis incursionem Seracenorum præpedior.*

Stephanus Episc. injunctam legationem diligenter exequitur.

5. His addidit Sophronius ad Stephanum. *Quantocius ergo de finibus terræ ad terminos ejus deambula, donec ad Apostolicam Sedem, ubi orthodoxorum dogmatum fundamenta existunt, pervenias, non semel, non bis, sed multo sæpius aperiens sacris viris ibidem consistentibus omnia secundum veritatem, quæ in istis partibus mota sunt; & non quiescas, instantius expetens atque exorans eos, donec ex Apostolica prudentia, quæ in Deo est, ad victoriam judicium perducere debeant, & noviter introductorum dogmatum perfectam faciant secumdum canones destructionem, ut ne (secundum quod B. Apostolus ait) sicut cancer pascuam in amplius inveniant, depascentes simpliciorum animas. Igitur in his pertimescens ego atque perterritus propter impositam mihi terribilem in tremendo & venerabili loco conjurationem, necnon & creditum mihi ex Dei permissu Episcopale ministerium considerans, sed & supplicationes omnium pene habitantium Orientalium tractum reverendissimorum Episcoporum, & Christianorum populorum*

rum consonanter prædicto beatæ memoriæ Sophronio ad hoc me invitantium, utpote primum Hierosolymitanæ diæceßis pervenire: non dedi (secundum scripturam) somnum oculis meis & palpebris meis dormitationem, & requiem temporibus meis, quatenus adimplere debuissem hujusmodi desiderabilem jussionem: sed absque ulla mora, propter hoc ipsum tantummodo huc properavi: a quo tempore tertio usus sum vestris Apostolicis adesse vestigiis, expetens ac deprecatus, quod ille, & omnes libenter postulare noscuntur, hoc est, fidei Christianorum periclitanti manum porrigere &c.. Addit etiam hæreticos in via insidias sibi struxisse, sed Dei auxilio, innoxium ex eorum manibus evasisse.

JESU CHR. AN. 634.

Quid Honorius Papa Sophronio responderit.

6. Ubi hanc a Sophronio legationem accepit Honorius Papa, in præconcepta jam antea opinione perseverans, quod quæstio de una, aut duabus in Christo voluntatibus, inutilis esset, & ad ciendas in ecclesia rixas inventa, ut silentium de ea quæstione ubique servaretur, se rescripsisse Sophronio significavit; Hæc quidem Honorii epistola deperdita est, at ex altera, quam eadem de causa Sergio CP. Episcopo scripsit, quæque in sexta synodo actione 13. lecta est, silentium se indixisse aperte constat. Nam inter cetera, hæc leguntur. *Nec non Cyro fratri nostro Alexandrinæ civitatis Præsuli* (significamus) *quatenus novæ adinventionis unius, vel duarum operationum vocabulo refutato, claro Dei ecclesiarum præconio, nebulosarum concertationum caligines offundi non debeant, vel aspergi, ut profecto unius, vel geminæ operationis vocabulum noviter introductum a prædicatione fidei eximatur &c.* deinde post pauca. *Unius autem operationis, vel duarum esse, vel fuisse mediatorem Dei & hominum Dominum Jesum Christum sentire, & promere satis ineptum est:* quod semel, & iterum in eadem epistola repetit; Hoc unum prudenter admonens, quod etsi unam, vel duas in Christo voluntates prædicare prohiberet, non inde tamen sequi adnotat, quod aut una tantummodo in Christo natura confiteretur, aut duæ disjunctim & separatæ essent, quin potius addit confitendum esse: *Christum Dominum in utrisque naturis veridice confiteri, & pro duabus operationibus, ablato geminæ operationis vocabulo, ipsas potius duas naturas, idest Divinitatis, & carnis assumptæ, in una persona Unigeniti Dei Patris inconfuse, indivise, atque inconvertibiliter nobiscum*

præ-

Jesu Chr. An. 635.

prædicare propria operantes. Idque Cyro, & Sophronio se scripsisse his verbis narrat. *Scribentes etiam communibus fratribus Cyro, & Sophronio Antistibus, idest unius, vel geminæ operationis vocabulo insistere, vel immorari videantur, se abrasa hujusmodi novæ vocis appellatione, unum Christum Dominum nobiscum in utrisque naturis, divina, vel humana prædicent operantem. Quamquam hos, quos ad nos prædictus frater, & Coepiscopus noster Sophronius misit, instruximus ne duarum operationum vocabulum deinceps prædicare innitantur, quod instantissime promiserunt prædictum virum esse facturum, si etiam Cyrus frater, & Coepiscopus noster, ab unius operationis vocabulo discesserit*. Hactenus Honorii epistola ad Sergium in synodo sexta lecta, qua etsi rectam catholicamque fidem eum tenuisse ac docuisse, luce clarius appareat, inoportuna tamen œconomia, qua silentium, circa unam, vel duas in Christo voluntates, indixit, emergentem Monothelitarum hæresim incaute fovit, ut jam supra, cum de altera ejusdem Honorii epistola ad Sergium egimus, adnotatum est.

JESU CHRISTI An. 635. Honorii Papæ 11.
Heraclii Imp. 26. Arioaldi Longob. Regis 11.

Arabum victoriæ adversus Romanos, Damascum occupant.

1: Cum Arabibus fortuna arrideret, postquam Siriam, & Palestinæ partem maximam invasissent, ut supra diximus, audaciores facti, in Arabiam, deinde in Ægyptum victricia arma inferentes, superiores undique Romanis fuerunt, ut plane constiterit, Heraclium Imp. ob susceptum Monotheliticæ hæresis patrocinium, Dei protectionem amisisse, nam qui antea pietate in Deum, & catholica fide munitus, indomitos hactenus Persas vicerat, ubi ab ea excidit, addictus hæresi, Dei protectione excidens, victus ubique, & fugatus est: De Arabum irruptione in Arabiam, deque Damascenorum longa obsidione, ac strage, hæc narrat Theophanes in chronico: *Anno vigesimoquinto Imperii Heraclii, Seraceni aciem direxerunt in Arabiam contra Damascum, cum essent multitudinis infinitæ. Quo Babanes comperto, ad Imperialem Sacellarium mittit, ut veniret cum exercitu suo in auxilium sibi cum plurima esset Arabum copia. Venit ergo Sacellarius ad Babanem. Qui profecti ab Emesa, occurrerunt Arabibus, & conflictu facto prima die, quæ tertia feria hebdoma-*

madis erat, mensis Augusti die vigesima tertia, superantur hi, qui circa Sacellarium sunt inventi: simultate autem facta, hi, qui cum Babane exercitus duce erant, Babanem provehunt Imperatorem, & Heraclium respuunt. Tunc hi, qui cum Sacellario erant, discesserunt, & Saraceni, aditu reperto, bellum ineunt. Inter hæc vento Noto spirante contra Romanos, non valentes in faciem occurrere propter pulverem, superantur, & semetipsos immittentes in arctam viam Hermuctam fluminis, illic penitus interierunt. Erant autem utriusque prætoris quadraginta millia. Hinc Sarraceni splendide triumphantes contra Damascum veniunt, & hanc capiunt, & regiones Phœnices capiunt, & habitant illic. Inter plurimos Damasci cives, qui tunc temporis a Seracenis captivi facti sunt, Sancti Joannis Damasceni parentes fuerunt, qui ob insignia virtutum merita, inter captivos liberi permanserunt, adeo ut publicis etiam muneribus fungerentur; at Joannes eo tempore in lucem nondum editus erat: Obstinatam Damascenorum obsidionem, varioque Marte initas ibidem pugnas, ac cruentam ipsorum stragem, cum victores in oppidum Arabes ingressi sunt, longa oratione persequitur Dorigni in historia Arabum Gallice scripta; at multa ibidem ex Arabo auctore refert, quæ fabulam magis, quam historiam sapiunt, ut sunt repetitæ, & singulares Arabum, & Romanorum Ducum pugnæ; At in iis enarrandis diu non inmorabimur, gestorum summam referri contenti.

JESU CHR. AN. 635.

2. His feliciter gestis, in Ægyptum Seraceni transierunt, ait idem Theophanes, hoc vel sequenti anno. *Cyrus autem Alex. Episcopus, cum horum impetum cognovisset, operam dedit, & pactis firmatis pollicetur, timens avaritiam eorum, ducenta millia denariorum per singulos annos illis collaturam Egyptum, sed & diffinitarum eis induciarum fore aurum missurum: quibus præstitis per tres annos, Ægyptum liberam ab exterminio statuit. Accusatur interea Cyrus apud Imperatorem, quod aurum Ægypti Sarracenis tribueret. Qui cum iratus misisset, hunc accersivit: Manuelem vero quemdam Armenium genere destinavit Augustalem. Cum autem annus adimpletus esset, Sarracenorum auctores venerunt aurum accipere: At Manuel inefficaces eos expellit: Non sum (inquiens) Cyrus inermis, ut tributa vobis tribuam, sed armatus sum. Cumque isti abiissent, confestim armantur Sarraceni adversus Ægi-*

Seraceni Ægyptum occupant.

Jesu Chr. An. 635. *Ægyptum, & Manueli bello illato, hunc abigunt: ipse vero cum paucis quibusdam Alexandriæ solus recipitur. Tunc Sarraceni Egyptum suo tributo reddidere. Ast Imperator, auditis his, quæ gesta sunt, mittit Cyrum ad persuadendum eis ab Ægypto sub priori placito recedendi. Et abiens Cyrus ad castra Sarracenorum, rationem reddidit, se esse perhibens prævaricationis obnoxium, & si vellent priorem concordiam, juramentis affirmaturum. Porro Sarraceni nullatenus hic acquiescentes, dixerunt Episcopo: Potes hanc maximam columnam devorare? Qui ait: Non potest fieri. At illi: Nec nobis, inquiunt, possibile est ulterius ab Ægypto recedere.* Sic igitur, quæ semper ab Augusti temporibus sub Romanorum Imperatorum potestate fuerat Ægyptus, sua perfidia perdidit Heraclius, ac in Seracenorum potestatem transtulit, unde Sultanorum Ægypti initium habuit, & adhuc sub Turcarum potestate perseverat; male autem Heraclio cessisse, quod Cyri Alex. Episcopi consilium spreverit; his verbis narrat Nicephorus in breviario historico. *Cyrus etenim*, ait, *Imperatori significaverat cum Omaro Seracenorum Principe, interposita tributi pactione convenire posse, quod ipsum nullo canonis detrimento mercibus indiceretur. Ad hæc desponderi barbaro Eudociam Augustam oportere, aut Imperatoris filiarum aliam quempiam, hoc enim modo ad divinum lavacrum accessurum hominem, & Christianum haud dubie facturum; Cyro quippe Omarus, ejusque exercitus fidei plurimum habebant, quem & impense amabant. Sed hæc Heraclio minime placuerunt; quæ ubi omnia Marianus comperit, a Cyro dissentiens, & cum Seracenis confligens, cum ingenti numero militum occubuit &c.*. Sic inperscrutabili quidem, sed justo Dei judicio, Ægyptus omnium pene hæresum fœditate corrupta, sub Seracenorum, & Turcarum potestate, & servitute tradita est.

Osualdus Rex pietate hostes vincit. 3. At sicuti impietas impios dejicit, ita pietas religiosos Principes exaltat; quod illustri exemplo, ex gestis Osualdi Anglorum Regis confirmatur; in memoriam revocandum est, quod anno proximo diximus, de potentissimo Britannorum Rege Carduella, qui prælio obtinuit, occiditque Eduinum Regem, ejusque successores duos Reges e medio sustulit; at hunc victoria elatum, invictumque, præter expectationem Osualdus sanctissimus Rex, copiarum numero longe impar, superavit, atque occidit. Fuit iste sextus Nordhum-

dhumbrorum Anglorum Christianissimus Rex Eduini successor, ut Beda testatur, qui hæc ait: *Superveniente cum parvo exercitu, sed fide Christi munito, infandus Britonum dux cum immensis illis copiis, quibus nihil resistere posse jactabat, interemptus est in loco, qui lingua Anglorum Denisesburna, id est, rivus Denisi, vocatur: Ostenditur autem usque hodie, & in magna veneratione habetur locus ille, ubi venturus ad hanc pugnam Osvvaldus signum sanctæ Crucis erexit, ac flexis genibus Deum deprecatus est, ut in tanta rerum necessitate, suis cultoribus cœlesti succurreret auxilio.* Jesu Chr. an. 635.

4. His addit Beda, ipsum Regem eo in loco Crucem erexisse, ac orationem cum exercitu suo ante eam fudisse, eaque expleta in hostem progressum, insignem de eo victoriam tulisse; qui locus postea Deo dicatus fuit, ubi etiam singulis annis, pridie, quam occisus est Osvvaldus, incruentum pro anima ejus sacrificium offerebatur; ait Beda. *Est autem locus ille juxta murum illum ad Aquilonem, quo Romani quondam, ob arcendos barbarorum impetus, totam a mari usque ad mare præcinxere Britanniam, ut supra docuimus. In quo videlicet loco consuetudinem multo jam tempore fecerant fratres Hagustaldensis Ecclesiæ, quæ non longe abest, advenientes omni anno pridie, quam postea idem Rex Osvvaldus occisus est, vigilias pro salute animæ ejus facere, plurimaque psalmorum laude celebrata, victimam pro eo mane sacræ oblationis offerre. Qui etiam crescente bona consuetudine, nuper ibidem Ecclesia constructa atque dedicata, sacratiorem, & cunctis honorabiliorem omnibus locum fecerunt. Nec immerito: quia nullum (ut comperimus) fidei Christianæ signum, nulla Ecclesia, nullum altare in tota Berniciorum gente erectum est, priusquam hoc sacræ Crucis vexillum novus militiæ ductor, dictante fidei devotione, contra hostem immanissimum pugnaturus statueret.* Missæ Sacrificium pro Osualdi anima oblatum.

5. Sed quomodo Osvvaldo Rege curante propagata sit christiana fides in Anglia, idem Beda his verbis narrat. *Osvvaldus Rex, mox ubi Regnum suscepit, desiderans totam, cui præesse cœpit gentem* (Berniciorum scilicet) *fidei christianæ gratia imbui, cujus experimenta permaxima in expugnandis barbaris jam ceperat, misit ad majores natu Scotorum (inter quos exultans ipse baptismatis sacramenta, cum his, qui secum erant militibus consequutus erat) petens, ut sibi* Christiana fides in Anglia propagatur.

JESU CHR. AN. 635. *sibi mitteretur Antistes, cujus doctrina ac ministerio gens, quam regebat Anglorum, Dominicæ fidei & dona disceret, & susciperet sacramenta*. Et post multa: *Ferunt autem, quia cum de provincia Scotorum Rex Osvvaldus postulasset Antistitem, qui sibi, suæque genti verbum fidei ministraret, missus fuerit primo alius austerioris animi vir: qui cum aliquandiu genti Anglorum prædicans, nil proficeret, nec libenter a populo audiretur, redierit in patriam, atque in conventu seniorum retulerit, quia nihil prodesse docendo genti, ad quam missus erat, potuisset, eo quod essent homines indominabiles, & duræ ac barbaræ mentis. At illi (ut perhibent) tractatum magnum in Concilio, quid esset agendum, habere cœperunt, desiderantes quidem genti, quam petebant salutem esse, sed non recepto, quem miserant, prædicatore dolentes. Tum ait Aidanus (nam & ipse Concilio intererat*, uuus ex illis monachus) *ad eum, de quo agebatur, sacerdotem: Videtur mihi, frater, quia durior justo indoctis auditoribus fuisti, & non eis juxta Apostolicam disciplinam primo lac doctrinæ mollioris porrexisti, donec paulatim enutriti verbo Dei, ad capienda perfectiora, & ad facienda sublimiora Dei præcepta sufficerent. Quo audito, omnium, qui considebant, ad ipsum ora & oculi conversi, diligenter quid diceret, discutiebant, & ipsum esse dignum Episcopatu, ipsum ad erudiendos incredulos & indoctos mitti debere decernunt, qui gratia discretionis, quæ virtutum mater est, ante omnia probatur imbutus: sicque illum ordinantes ad prædicandum miserunt: Qui ubi tempus accepit, sicut prius moderatione discretionis, ita postmodum, & cæteris virtutibus ornatus apparuit.*

Osualdus rex interpraætis officio fungitur.

6. Quantum autem Aidanus in Evangelii prædicatione profecerit, quam interpræte usus Rege Osualdo, populo prædicabat, his verbis Beda narrat *Pulcherrimo sæpe spectaculo contigit, ut evangelizante Antistite, qui Anglorum linguam perfecte non noverat, ipse Rex suis ducibus ac ministris interpræs verbi existeret cælestis, quia nimirum tam longo exilii sui tempore linguam Scotorum jam plene didicerat. Exinde cœpere plures per dies de Scotorum regione venire in Britanniam, atque illis Anglorum provinciis, quibus regnavit Rex Osvvaldus, magna devotione verbum fidei prædicare, & credentibus gratiam baptismi, quicumque sacerdotali erant gradu præditi ministrare. Construebantur ergo Ecclesiæ per loca,* con-

confluebant ad audiendum verbum Dei populi gaudentes: donabantur munere regio possessiones & territoria ad instituenda monasteria, imbuebantur praeceptoribus Scotis parvuli Anglorum una cum majoribus, studiis, & observatione disciplinae regularis. Nam monachi erant maxime, qui ad praedicandum venerant, monachus ipse Episcopus Aidanus, utpote de insula, *quae vocatur Hy destinatus*, quo loco de sanctissima Aidani vita multa adnotat Beda, ac tandem de Osvvaldi laudibus. JESU CHR. AN. 635.

7. *Hujus igitur reverendissimi Antistitis doctrina, Rex Osvvaldus cum ea, cui praeerat, gente Anglorum institutus, non solum incognita progenitoribus suis regna caelorum sperare didicit: sed & regna terrarum plusquam ulli majorum suorum, ab eodem uno omnipotenti Deo, qui fecit caelum & terram, consecutus est. Denique omnes nationes, & provincias Britanniae, quae in quatuor linguas (id est, Britonum, Pictonum, Scotorum, Anglorum) divisae sunt, in ditione accepit. Quo regni culmine sublimatus, nihilominus (quod mirum dictum est) pauperibus & peregrinis semper humilis, benignus, & largus fuit. Denique fertur, quod tempore quodam, cum die sancto Paschae cum praefato Episcopo consedisset ad prandium, positusque esset in mensa coram ipso discus argenteus regalibus epulis refertus, jamque essent manus ad panem benedicendum missuri; intrasse subito ministrum ipsius, cujus suscipiendorum inopum erat cura delegata, & indicasse Regi, quia multitudo pauperum undecumque adveniens maxima, per plateas sederet, postulans aliquid eleemosynae a Rege. Qui mox dapes sibimet appositas deferri pauperibus, & discum confringi atque iisdem minutatim dividi praecepit. Quo viso, Pontifex, qui assidebat, delectatus tali facto pietatis, apprehendit dexteram ejus, & ait: Numquam inveterascat haec manus. Quod & ita juxta votum benedictionis ejus provenit. Nam cum interfecto illo in pugna, manus cum brachio a cetero essent corpore resectae, contigit ut hactenus incorruptae perdurent: denique in urbe regia, quae a Regina quondam vocabulo Bebba cognominatur, loculo inclusae argenteo, in Ecclesia Sancti Petri servantur, ac digno a cunctis honore venerantur. Hujus industria Regis Deirorum, ac Berniciorum provinciae, quae eatenus ab invicem discordabant, in unam sunt pacem, & veluti unum compaginatae in populum. Erat au-*

Osualdi Regis laudes. *Beda hist. Angl. lib. 3. cap. 6.*

Jesu Chr. an. 635.

autem nepos Eduini ex Regis forore Acha, dignumque fuit, ut tantus præcessor talem haberet de sua sanguinitate, & religionis hæredem, & regni. Hactenus de his Beda.

Rex Gevisorum in Anglia Christi fidem suscipit.

8. Pari quoque felicitate, qua inter Nordumbros Osvvaldi Regis opera Christiana fides propagata est, hoc quoque tempore in eadem Britanniæ insula inter Gevisos feliciter Sancti Byrini opera, & laboribus propagata est, quem illuc ab Honorio Papa ad prædicandum evangelium missum fuisse narrat Beda. *Eo tempore ingens Occidentalium Saxonum, qui antiquitus Gevisi vocabantur, regnante Gynigilpho fidem Christi suscepit, prædicante illis verbum Byrino Episcopo, qui cum consilio Papæ Honorii venerat in Britanniam, promittens quidem se, illo præsente*, Honorio Papa scilicet, *in intimis ultra Anglorum partibus, quo nullus doctor præcessisset, sanctæ fidei semina esse sparsurum. Unde & jussu ejusdem Pontificis per Asterium Genuensem Episcopum in Episcopatus consecratus est gradum. Sed in Britanniam perveniens, ac primo Gevissorum gentem ingrediens, cum omnes ibidem Paganissimos inveniret, utilius esse ratus est ibi potius verbum Dei prædicare, quam ultra progrediens, eos, quibus prædicare deberet, inquirere. Itaque evangelizante illo in præfata provincia, cum Rex ipse catechizatus, fonte baptismi cum sua gente ablueretur, contigit tunc temporis sanctissimum ac victoriosissimum Regem Nordhumbrorum Osovaldum affuisse, eumque de lavacro exeuntem suscepisse, ac pulcherrime prorsus & Deo dignus consortio, cujus erat filiam accepturus in conjugem, ipsum prius secunda generatione Deo dedicatum sibi accepit in filium. Donaverunt ergo ambo Reges eidem Episcopo civitatem, quæ vocatur Dorcinca, ad faciendam inibi sedem Episcopalem: ubi factis dedicatisque Ecclesiis, multisque ad Dominum pro ejus labore populis advocatis, migravit ad Dominum, sepultusque in eadem civitate*. Hucusque Beda ad obitum sanctissimi viri, plurima facta, paucis perstringens; cujus acta extant apud Surium, atque hæc anno trigesimo ab Augustini in Angliam adventu contigisse legitur: qui cum labenti 635. concurrit: Multa quoque miracula in christianæ fidei confirmationem eum patrasse acta referunt, inter plurima; cum in navim ingressus esset, ut in Britanniam pergeret, ac recordatus esset, se pallam ab Honorio Papa acceptam, *super quam corpus Christi consecrabat*,

& in

& in qua corpus Dominicum involutum. & ad collum suspensum semper secum ferebat, se eam per oblivionem in terra reliquisse, cumque ad littus navim impellere nautæ aut nollent, aut prohibentibus ventis non possent; ipse fide armatus, pedibus mare calcavit, ac palla cum Christi corpore suscepta, ad navim pedibus rediit, quod nautæ videntes, *flexis genibus tamquam Deum eum adoraverunt, & complures ex eis ad fidem Christi, prædicante illo verbum Dei, conversi sunt*: Atque hoc loco Honorii papæ sollicitudinem in barbararum gentium conversione procuranda, admirari debemus, qui dum Orientem pene totum, densioribus in dies hæresum tenebris obvolvi cerneret, ut nullum pene fructum inde sperari posset, Christi verbis obsecutus, alibi ad capturam piscium, in Occidentales scilicet oras retia laxavit.

Jesu Chr. an. 635.

9. Circa hæc tempora, ait Pagius, ad coercendam Iacobi hæresiarchæ, ejusque asseclarum proterviam, surrexit ex monasterio Sancti Maronis Joannes monachus, qui ob ejus in hæreticos egregia facinora cognominatus est alter Maro, ex nomine monasterii Maronis Abbatis, ut Faustus Naironus in dissertatione de origine, ac religione Maronitarum probat; Hic autem Joannes monachus Maro dictus, scriptis suis, & disputationibus, Jacobitarum odium in se adeo concitavit, ut ab illis in derisum vocatus fuerit *Maroninus*, ut videre est in eorum Cathechesi, ubi in descriptione insectationum Imperatorum adversus Jacobitas pro confirmatione statutorum Concilii Chalcedonensis legitur: *Insurrexit cum Imperatore Maroninus, una cum Abrahamino ejus ex sorore nepote*. Ideoque contumeliose vocabantur Maronitæ ab hæreticis *Maronini*, quo nomine illos appellat Ayto Armenus in Hist. Orientali cap. 14.. Eumdem autem Joannem, subdit Naironus recentiores aliqui hæreticum fuisse Monothelitam ajunt, a quo Maronitarum natio denominata est, laudantque in eam rem Villelmum Tyrium tanquam testem oculatum lib.22. Belli sacri cap.8. cujus locum recitat Baronius anno 1182. num. J. qui Tirii sententiæ subscribit, quemadmodum & Joannes Morinus in Tractatu de Sac. Ordinationibus, Joannes Cardinalis Bona in Epistola ad Mabillonium, aliique.

Maronitæ ex Joanne Marone dicti.

10. Sed tantum abest, ut *Joannes Maro* Hæresiarcha, vel hæreticus fuerit, subdit Najronus, quin potius sanctitatis, & doctrinæ laude claruit. Hinc Joanues Devera,

An Joannes Maro catholicus vel hæreticus fuerit.

Jesu Chr. An. 635. ra, qui multa perscrutatus est, in Itinerario Jerosolymitano cap. 27. ait, *Maronitas propter diversitatem Religionum, quæ in Syria vigebant, petiisse a Romano Pontifice, ut eis proprium præficeret Patriarcham, quorum petitionibus annuens Summus Pontifex, Patriarchali dignitate Maronem insignivit, qui tunc temporis Romam pervenerat, illumque misit ad Maronitas, qui sanctissime vixit; ex quo tempore Maronitæ proprium semper sibi elegerunt Patriarcham*. Hæc autem contigisse Honorio I. Romanam Ecclesiam regente legitur in Historia Arabica, quam latine refert Quaresimus Lib. dilucidationis Terræ sanctæ cap. 35. subditque Joannem Maronem dictum ab Honorii legato Romam perductum, Patriarchali ibidem dignitate ab Honorio exornatum fuisse; His subdit: *Ex Antiochia postea cum suis asseclis ad Montem Libanum profectus est, ubi Pontificia auctoritate, Crucem suam erexit, & populus, qui ibi inventus fuit, illum cum ingenti gaudio, celebrique applausu excepit*. Confirmantur hæc ex alio Codice MS. a Fausto Nairono in Syria lecto, qui eadem fere narrat. Cumque Joannis Maronis fama CPolim, usque pervenisset, Heraclius qui tunc temporis regebat Imperium, munera eidem misit, rogavitque eum, ait idem scriptor MS. Codicis, ut ei mitteret Constantinopolim tres doctos, ac prudentes viros, qua de causa Jacobitarum odium in Maronem magis concitatum est, nam cum in tanta, tum apud Romanum Pontificem existimatione esset, cum apud Imperatorem Heraclium, & Patriarchas Orientis, quos tunc catholicos adhuc fuisse narrat is auctor, vel fingit, quos paulopost Monothelitas fuisse scimus; cum itaque tanta ubique polleret auctoritate, ac Jacobitas, seu Eutychianos undique insectaretur, eorum erga se indignationem, & odium adeo excitavit, ut eum Monothelitam fuisse dicerent, ac Monothelitas quoque eos fuisse, qui ei favebant, Honorium scilicet Pontificem, Heraclium Imp., Cirum Alex. Patriarcham, & Sergium CPolitanum, quos sane, uno excepto Honorio Papa, Monothelitas hoc tempore fuisse scimus; Hinc si Eutychio fides, Monophitarum odium erga Joannem Maronium, sive Maronem, ejusque fautores eousque processit, ut cum Heraclius Imp. CPoli Hierosolymam pergens, Emesam transiret, ibidem eum recipere, renuerent, ac transire prohiberent. Quæ sane etsi nobis vix verosimilia videantur, sicuti

& alia

& alia plurima in Maronitarum Apologia ab Naironio inserta; Ex his nihilominus probare conatus est Maronitarum originem ac denominationem a nullo Marone Hæresiarcha, sed a S. Marone Abbate, ejusque Monachis fuisse desumptam, & a Joanne Marone retentam, nulliusque roboris esse rationem a Morino laudato allatam, qua ait, improbabile esse Maronitas sic vocari a viris Catholicis; cum hoc sit usui Ecclesiæ contrarium, quæ uti pia universalis Mater, quos ad fidem Catholicam suscipit, si Gentiles, sub Christianorum nomine, si hæreticos, sub nomine Catholicorum appellare solet. At infirma hæc ratio, ait supracitatus Naironus, cum etiamnum extent in Oriente fideles, *Christiani*, *S. Thomæ* Apostoli, appellati. Seculo vero quarto, qui Ario ac Meletio adversati sunt, nuncuparentur *Eusthatiani* a divo Eustatio Episcopo Antiochiæ, qui contra eos insurrexerat. Quin ex nomine colligitur, eos non sic fuisse appellatos ab ullo Marone Hæresiarcha. Usus enim viget tam in Oriente, quam in Occidente hæreticos fidei Catholicæ reconciliatos, si Occidentales sint, uti Lutherani, & Calvinistæ, vocari Catholicos, sin vero Orientales, si Jacobitæ fuerint, Syros, si vero Nestoriani, Chaldeos seu Assyrios nuncupari. Et quamvis omnes esse Catholici subintelligantur, hanc tamen Syrorum, & Chaldeorum seu Assyriorum denominationem sortiuntur, tum propter eorum rituum diversitatem, tum quia sub diversis sint constituti Patriarchis, ut ibidem Faustus Naironus adnotat. Maronitæ itaque cum usque nunc hoc nomen retineant, quod a Summis Pontificibus a tempore Innocentii Papæ Tertii acceperunt, ac in Bullis Apostolicis *Patriarcha Antiochenus Maronitarum* dicatur, necessario sequitur hoc nomen *Maronita* semper virum Catholicum indicasse. Hæc, & alia plurima ibidem Naironus in suæ sententiæ comfirmationem, quibus in compendium relatis subscribit Pagius, plura se ad annum 1182. daturum promittens; nos vero ibidem pauca adnotabimus.

Joannes Maro catholicus declaratur.

11. Hoc unum hoc loco addimus, quod cum hoc incunte seculo Cyrillus Melchitarum in Syria, seu Antiochiæ, catholicorum Patriarcha, Maronis Abbatis, ac Monasterii Maronitarum fundatoris, a quo Maronitarum nomen derivatum est, cum, inquam, Cyrillus Maronis sanctitatem in dubium revocasset, hæresis etiam eidem notam, aut suspicionem

JESU CHR. AN. 635. nem affingens; ut gravem hanc ab auctore suo Marone injuriam repelleret Maronitarum gens, tota commota est, ac quotquot aliquali litterarum peritia instructi erant, pro Marone Apologias texuere; Inter eos Abrham Echelensis in libro cui titulus *Euthychius vindicatus*, quibus epistolas aliquot, & dissertationes adversus Morinum addidit; Faustus Neironus in dissertatione *De origine, nomine, & religione Maronitarum*, Stephanus Aldoensis Patriarcha Antiochenus in opere, cui titulus *Vindiciæ* nationis Maronitarum, cujus opus manuscriptum in bibliotheca Vaticana, & in Collegio Maronitarum Romæ asservatur. His adde Apologias ab Assemannis editas, ab Josepho Simone Vaticanæ bibliothecæ Præfecto in Bibliotheca Orientali tom. 1. pag. 469., & in Bibliotheca juris canonici & civilis lib. 4. cap. 35. pag. 620. ad finem, & lib. 5. cap. 21. pag. 495. ad finem, ab Stephano Evodio Assemanno. *In actis martyrum Orientalium & Occidentalium* tom 2. pag. 405. a Josepho Aloisio Assemanno *in Codice Liturgico universæ ecclesiæ* lib. 4., & 8. cumque causa Romam delata esset, Maronitarum auditis querelis primum Patri Aloisio Lucini supremæ inquisitionis Commissario commissa fuit; qui cognita causa, duos Marones Abbates olim fuisse adnotavit, quorum unus a concilio Oecumenico sexto tamquam hæresiarcha damnatus fuit; Alter vero Maronitarum monachorum pater, seu quem Maronitarum gens tamquam sanctum veneratur; eique delatum hactenus cultum sine injuria negari non posse censuit: Cum porro judicio huic subscribere recusaverit Cyrillus Antiochenus Patriarcha Græco Melchita, causa iterum Romam delata, anno 1750. Benedictus XIV. tunc Romanus Pontifex, datis Apostolicis litteris in forma Brevis ad Nicolaum Lercarium Congregationis de Propaganda Fide a secretis, Cyrillum Patriarcham temere, inconsulteque egisse adnotavit, ac Maronem Abbatem, Sanctorum cultu venerationeque dignum esse judicavit, sicque his litteris in Orientem delatis obmutuere Melchitæ, & causa de Marone Abbate sopita fuit.

Joannis Sirimensis, seu Maronis fide suspecta.

11. At paulo post, cum hunc ex sanctorum albo expungere nequivissent Melchitæ, in alterum Maronem, ex incolatu in monasterio Maronis dictum; seu in Joannem Sirimensem Maronitarum postea Patriarcham, quem hoc tempore floruisse diximus, arma converterunt; eumque non solum

lum cultu, quem antiquitus apud Maronitas habuit, indignum esse dixerunt, sed nequidem catholico nomine dignum, utpote Monothelitam; Qua de causa cum anno 1765. circiter, iterum inter Græco-Melchitas, & Maronitas de Joanne Serinensi contentiones exortæ essent, Petrus Antiochenus Maronitarum Patriarcha de injuria accepta a Melchitarum Patriarcha, qui synodum quamdam Alepi adversus Joannem congregaverat, cum ac tota Maronitarum gente, apud Congregationem de Propaganda Fide conquestus est; Re tota sacræ Rituum Congregationi delegata, ut sententiam diceret: an constaret de cultu immemorabili a Maronitis præstito Joanni Serinensi, seu Maronæ Patriarchæ Antiocheno Maronitarum: Id ut probet Stephanus Evodius Asemannus longiorem dissertationem in capita decem & septem distributam sacræ Congregationi de Propaganda Fide manuscriptam obtulit, quam etiam pro summa in meipsum benignitate dum viveret, legendam tradidit, eaque totis viribus probare nititur, immemorabilem cultum Joanni Serinensi, seu Maroni hactenus exhibitum eidem negari non posse, objectionibusque adversariorum satisfacere conatur. Quam sententiam Rituum Congregatio, ad quam causa devoluta est, secutura sit, hactenus non constat, cum judicium suum nomdum aperuerit; Quare nos quoque, Congregationis Rituum judicium secuturi, judicium nostrum cohibemus: hæc adnotasse contenti, de gravissima quæstione, quæ inter Melchitarum, & Maronitarum ecclesias in Siria agitatur.

Heraclii Imp Novella de clericis, qui sine dimissoris CPolim pergebant. *Justell. tom. 2 biblioth. veteris juris Canonici.*

13. Ad hujus anni gesta Heraclii Imp. novellam addimus, ad Sergium Patriarcham inscriptam, quam Justellus refert, at sine die & anno, qua Imperator Præsbyteros, vel clericos, qui ex aliis provinciis CPolim pergebant, in ecclesiis Regiæ urbis addici, aut ex iis stipendia sumere prohibebat; Non semel quippe accidebat, quod Presbyteri, aut clerici, a suis Episcopis officio ob crimen depositi, aut ambitionis spiritu ducti, in Regiam transibant urbem, ibique ecclesiis addicti sportulas, & stipendia, quæ postmodum præbendæ dictæ sunt accipiebant, quod sane contra canonum decreta fiebat, quibus cautum erat, ut unusquisque, sive Præsbyter, sive clericus, in ea ecclesia, in qua ordinatus erat, inserviret: Quare, ne ultra fieret, lege lata Heraclius

JESU CHR. AN. 636. prohibuit. Cujus hæc est Summa. *Quod non fas sit, ut aliquis habitu Sacerdotali amictus, cujuscumque sit gradus, aut ordinis, cum ex alia civitate, vel vico, vel prorsus ex alio loco in hanc augustam Urbem venit, in aliquam ex urbanis ecclesiis, vel quæ in ejus territorio sunt, absque discussione ac mandato gubernationis hanc Apostolicam Sedem Universalis Patriarchæ inmittatur, aut Rogas Diariorum accipiat, sive ex aliqua domo Augusta, sive venerabili Orphanotrophio, sive Zenonibus aut monasteriis, aut ex alia quadam ejusmodo domo, nec item uti clericus*, quocumque modo duabus in ecclesiis ordinetur. Heraclium porro, *Rogæ Diariorum*, & sportularum nomine, quotidiana salaria, quæ clericis pro stipendio præbebantur, designasse compertum est.

JESU CHRISTI AN. 636. HONORII PAPÆ 12.
HERACLII IMP. 27. ROTARII LONGOB. REGIS AN. 1.

Hierosolyma a Seracenis obsidetur

1. Hoc Christi anno 636. iterum assumendæ sunt lamentationes, carmina, & veh, eo quod Homarus Seracenorum Princeps, Ægypto, & Siria annis elapsis occupata, Hierosolymam hoc anno obsidere cœpit, quam anno proximo potitus est; luctuosam tragœdiam lamentabili stylo prosequutus est Sophronius ejusdem urbis Episcopus in homilia, quam habuit in die natalis Domini hoc eodem tempore, cum Hierosolyma obsideretur, eaque lamentatur, quod suo loco celebrare non posset cum suis Natalitium Domini, in Bethlehem scilicet, eo quod obsessa a Seracenis civitas esset, & Bethlehem in potestate Seracenorum, eaque peccatis eorum exigentibus, se ab ingressu Bethlehem exclusus, non aliter ac Protoparens Adamus Paradiso terrestri, terribili Angeli gladio perterritus; Unde ajebat, *Quandoquidem civitatem Bethlehem, quæ Deum excepit, vicinam habemus, neque in ipsam tamen ingredi permittimur, non quidem ardentem illam versatilemque Paradisi romphæam conspicantes, sed efferatum planeque barbarum, atque omni revera crudelitate plenum Seracenorum gladium extimescentes.* Moysi etiam, ac Davidi se tunc similes fuisse adnotat; Moysi quidem, qui cum terram promissam ingredi quammaxime cuperet, vix tamen a longe eam conspicere ex montis jugo concessum fuit; Davidi vero, qui a Philisteis obsessus, aquam cisternæ,

quæ

quæ in Bethlehem erat concupivit; Quare auditores suos ad agendam pœnitentiam, ut iram Dei placare possent ac instans teterrimumque Agarenorum flagellum a suis capitibus averterent, longa oratione excitat; deinde post plurima, *Tenemur*, inquit, *profecto desiderio, & siti æque nos torrente, atque altera illa torrebat Regem: videre autem aquam (ut decantatus ille David) & vel solo aspectu animam visumque inde pascere propter Sarracenorum metum omnino non valemus. Etenim impiorum Agarenorum statio æque nunc (ut dictum est) illustrem Bethlehem occupat, & obsidet, ut quondam Philisthæorum, nec ullum prorsus transitum ad illam indulget. Interminatur enim cædem & interitum, si quis ad sanctam illam civitatem egredi, divinissimæque ac nobis optatissimæ Bethlehem appropinquare ausus fuerit. Quare intra civitatis hujus portas conclusi, nec non in divino hoc Dei genitricis templo constituti, festum hunc diem, anniversariamque solemnitatem non citra tristitiam obimus, publiceque celebramus.* Hæc autem, & alia plura id genus hoc anno die natali Domini pro concione Sophronius. De Hierosolymis autem obsidione hæc Theophanes narrat, paucis quidem verbis ingentia mala perstringens. *Anno 26.* seu 27. Nam anno uno Heracli Imp. gesta anticipasse Theophanem adnotat Pagius; Anno itaque 26. *Heracli Imp. aciem direxit Hanmar Princeps Arabum, atque Seracenorum contra Palestinam, & obsidens sanctam civitatem, biennii tempore cepit eam verbo*, idest pactis conventis, ut ibidem dicturi sumus; diutinæ obstinatæque obsidionis varios casus, & historiam ex Arabibus historicis, & christianis enarrat in historia Arabum supracitatus Dorignj, quem curiosus lector consulere potest, dum nos ad res Italiæ stylum convertimus.

Theoph. in cron.

Arioaldi Longobardi Regis obitus

2. Etsi in obscuro ut plurimum remanserint Arioaldi Longobardorum Regis gesta, ita ut Paulus ipse Diaconus, Longobardicæ historiæ auctor, dum eum a Longobardis in Regnum, loco Adoloaldi, quem throno dejecerant, sublevatum fuisse narrat, statim addit, *de cujus Regis gestis ad nostram notitiam minime aliquid pervenit*; Eum tamen duodecim annos regnasse capite sequenti his verbis adnotat; *Arioaldus postquam super Longobardos duodecim annis Regnum tenuit, ab hac luce subtractus est, Longobardorum Regnum Rothari genere Avodus suscepit.* Quo autem anno

Jesu Chr. an. 636. Bianch. not. in Pauli Diac. lib. 4. cap. 44 Murat. Annal. an. 636. & 643. Zannetti hist. Longob. lib. 3. pag. 302. Mansi not. in Pagium an. 626. & 638.

post duodecimum Regni annum vivere Arioaldus desierit, diffident eruditi, ac Pagius eum anno 630. obiisse contendit; At non solum Oratius Bianchi Pauli Diaconi editor, Zannetti historiæ Longobardicæ novissimus illustrator, sed etiam Muratorius, Mansius, aliique Arioaldum anno 625. Longobardicum Regnum usurpasse, ac labenti qui duodecimus incompletus Regni ejusdem erat, Rothario locum cessisse adnotant, quorum auctoritati in chronologica quæstione libenter subscribimus.

Arioaldo Longob. Regi succedit Rotharius, ejusdem cũ Gundeberga nuptiæ.

3. E vivis sublato Arioaldo Gundeberga ejusdem uxor Rotharium thalamo suo sociavit, etsi Rotharius legitimam tunc haberet uxorem; at ne a Regni spe, in quam eum vocaverat Gundeberga, priori uxori repudium misit, Rotharius, ac jurejurando non semel Gundebergæ promisit, se ea ad ultimum usque spiritum tamquam sponsam, & Longobardorum Reginam, omni honore & obsequio habituram; Quare Gundebergæ hortante, a cunctis Longobardis Rotharis Rex declaratus fuit, ut narrat Paulus diaconus, qui addit eo tempore, Arioaldi scilicet, & Rotharis Regum Arianorum. *Per omnes civitates Regni ejus duo Episcopi erant, unus Catholicus, & alter Arianus*, adeo ut in civitate Ticinensi sua adhûc ætate baptisterium in ecclesia S. Eusebii extaret, ubi Arianus Episcopus baptizabat, quod usque ad Anastasii Episcopatum perseveravit; at is Ariana jurata hæresi. *Ad fidem catholicam conversus Christi postea ecclesiam rexit.* deinde. *Hic Rotharis Rex Longobardorum leges, quas sola memoria & usu retinebat, scriptorum serie composuit, Codicemque ipsum edictum appellari præcepit. Erat autem jam, ex quo Longobardi in Italiam venerant annus septuagesimus septimus, sicut idem Rex in suo edicti testatus est prologo.* Hanc legum Longobardicorum promulgationem anno 643. factam fuisse adnotat Pagius, atque ex ejusdem prologo colligit, quo hæc leguntur: *Ego Rotharis Rex, septimus decimus Rex gentis Longobardorum, anno Regni mei octavo ætatis meæ trigesimo octavo, indictione secunda, & post adventum in provincia Italiæ Longobardorum, ex quo Alboinus tunc temporis Rex advenit, anno septuagesimo septimo, feliciter. Datum Ticini in Palatio decimo Kal. Decemb.*. De quibus plura apud Muratorium videri possunt, aut Paulum Canciani ordinis B.M. Servorum, qui Codicem legum barbarorum hisce diebus vulgavit.

4. Hoc

4. Hoc eodem anno concilium Toletanum quintum celebratum est, anno primo Cinthilani Regis, qui Sisenando hoc anno successerat, synodo Episcopi 21. adfuerunt, atque canones novem in eo editi sunt in gratiam & favorem Cinthilæ Regis, cui gratias quam maximas reddunt, eo quod concilium ingressus Episcoporum orationibus supplex se commendaverit, *Cujus ardor fidei, & studium bonæ intentionis & unanimitatis, concordiam nobis tribuit, & fiduciam caritatis*. Quare si quis in ejusdem Regni, aut vitæ perniciem quidquam tentare præsumpserit, aut Regem maledicere, excommunicationis, & anathematis pœna subditur; Omnium primus Eugenius Toletanus Episcopus subscriptus legitur, deinde ceteri octo præcipuarum Hispaniæ urbium Episcopi, Rex quoque Cinthila edicto suo hujus concilii decreta confirmavit, ac ut eo triduo, quo concilium celebratum est litanias Idib. Decemb. singulis annis celebrandas indixerat, pro promerenda Dei misericordia, atque hi dies festi essent, atque ab operibus abstineretur eo edicto jussit, ut ibidem videre est, ac datum dicitur sub die pridie Kal. Julias, anno feliciter primo Regni nostri Toleto.

JESU CHR. AN. 636.

Concilium Toletanum quintum, ejusque canones.

5. Huic synodo Isidorus Hispalensis Episcopus, qui quarto Toletano concilio præfuerat, non adfuit, nec subscriptus legitur, eo quod hoc eodem anno defunctus est, cujus præclaras laudes, post Idelphonsum Toletanum Episcopum, prosequitur Tudensis, ceterique Hispaniarum scriptores, Hic porro ex illustri Gothorum stirpe genitus, natusque patre Severiano Duce Carthaginensi, cum pietate, & doctrina excelleret, Leandro fratri in Hispalensis ecclesiæ regimine successerat vir, ut ait Idelphonsus, *doctrina simul, & ingenio pollens, nam tantæ fœcunditatis affluentem copiam in eloquendo promeruit, ut ubertas admiranda dicendi ex eo in stuporem verteret audientes, ex quo audita is qui audisset, nonnisi repetita sæpius commendaret. Scripsit opera eximia, & non pauca, id est, librum de genere officiorum, librum præmiorum, librum de ortu & obitu patrum, librum commentationis, quem synonyma vocitavit, libros duos ad Florentiam sororem suam contra nequitiam Judæorum, librum de natura rerum ad Sisebutum Principem, librum differentiarum, librum sententiarum. Collegit etiam ex diversis auctoribus, quod ipse cognominavit, expositiones sacramentorum, quibus in unum con-*

Isidori Hispalensis Episc. obitus, & virtutes.

JESU CHR. AN. 636. *congestis, idem liber dicitur Quæstionum. Scripsit quoque ultimo ad petitionem Braulionis Cæsaraugustani Episcopi librum Etymologiarum, quem cum multis annis conaretur perficere, inexpleto opere diem extremum visus est conclusisse. Claruit temporibus Reccaredi, Viterici, Gundemari, Sisebuti, Suinthilani, & Sisenandi, annis ferme quadraginta tenens Episcopatus honorem, insignemque doctrinæ sanctæ gloriam pariterque decorem.* Hucusque Idelsonsus; Isidori vitam ab auctore anonymo scriptam exhibet Henschenius ad diem quartam Aprilis, qua Isidorus colitur, de scriptis vero ejusdem, plura apud Labbeum de script. Ecclesiast., Aguirre in conciliis Hispaniæ, Dupinium, ceterosque de scriptoribus ecclesiasticis agentes videri possunt, quibus mirifice, non solum catholica Romanæ Ecclesiæ dogmata confirmantur, eaque præsertim, quæ ab Hæthérodoxis in dubium vocantur, sed etiam ecclesiæ disciplina in Episcoporum, ceterorumque ministrorum ordinatione, in festorum observantia, in Sacramentorum administratione, in precibus, Litaniis, officiorum persolvendorum ritu, Virginum, ac monachorum vita, officiis, ceterisque, quæ ab ecclesia Romana usurpantur, ex Isidori testimonio, et auctoritate confirmantur, & illustrantur. Unde vel ex eo mendaces Pseudo Reformati Lutherani, & Calvinistæ esse convincuntur, dum sequentibus seculis corruptam ecclesiam fuisse mentiuntur, ita ut eorum indiguerit reformatione, quæ verius corruptio, & subversio dicenda est; Sed de his satis.

JESU CHRISTI AN. 637. HONORII PAPÆ 13. HERACLII IMP. 28. ROTARII REGIS ITALIÆ 2.

Hierosolyma a Seracenis capta.

1. Redemptionis annum sexcentesimum trigesimum septimum indictionis nonæ christianæ religioni lugubrem auspicamur, quo civitas sancta, idest Hierusalem, ubi Christus Deus humani generis salutem operatus fuerat, post diutinam, & biennalem fere obsidionem a Seracenis christianæ religionis infensissimis hostibus capta est, eamque per annos quadrigentos sexagintatres tenuerunt usque ad annum millesimum nonagesimum nonum, quo Christianorum armis, ac præcipue Francorum, ab eorum captivitate erepta, christianis est restituta; in pristinam servitutem seculo vix elapso iterum

rum reditura, in qua adhuc perseverat. Pacta tunc conventa, quorum auctor fuit Sophronius Episcopus, ne gentis suæ excidium videret, narrant historici. Cum itaque de tradenda Seracenis urbe fatigati Hierosolymorum cives, cogitarent, cum Haumaris ducibus Sophronius verba fecit, eam deinde Haumaro tradidit. *Qui cum sanctam civitatem fuisset ingressus, cilicinis ex camelis, & sordidis indumentis amictus, simulationemque satanicam ostentans, templum exquisivit quod Salomon construxerat, ad blasphemiæ suæ oratorium construendum. Hoc advertens Sophronius, ait: In veritate istud est abominatio desolationis, quæ dicta est a Daniele propheta, stans in loco sancto. Multisque lachrymis hic pietatis propugnator Christianam deflevit plebem.* Puto equidem sanctissimum Patriarcham aliquid amplius mente spectasse, quam oculis, prænovisseque gentem illam Mahometicam vere abominationem esse desolationis, idest perniciem, Christianæ religionis: Haumar autem, utpote affinem genti Hebræorum luxisse templi Salamonis destructionem habitu corporis in vestibus luctuosis constat; quamobrem ut eas deponeret, vix tandem idem Sophronius persuasit.

Sophronii Hierosolym. Patriarchæ obitus.

2. Sophronius his gestis vivere desiit; addit Theophanes, *qui verbo & actu Hierosolymitanam ornavit ecclesiam, qui contra Heraclii, & fratrum ejus Monothelitarum, Sergii scilicet, & Pyrri decertavit errorem.* Ut etenim sancta a canibus conculcari vidit, & Arcam domini a Philisteis captam, tantæ calamitati superstitem perseverare noluit; atque ut alter Elias, ut moreretur, expetiit. Præter duas Sophronii epistolas ad Honorium Papam, quarum supra mentionem fecimus; easque in synodo sexta actione undecima insertas; ejus nomine sermones aliquot inscripti sunt, scilicet in Nativitate Domini, cujus fragmentum supra retulimus; in Angelorum laudem alterum, duos vero in Senctam Crucem, nonnulli etiam Pratum Spirituale Joanni Moscho inscriptum, Sophronio inscribendum censent, sicuti & Mariæ Ægyptiacæ vitam, aut aliorum Sanctorum elogia, ut apud Dupinium, aut Cellierium videre est, cujus vitam die undecima Martii, qua apud Latinos,& Græcos celebris ejusdem memoria celebratur, exhibet Bollandus.

Sergius in sede Hierosoly. Sophronio succedit.

3. Magno tamen ecclesiæ damno e vivis ereptus est Sophronius; cum etenim primus, ac fere solus Monotheli-

ticæ

JESU CHR. AN. 637. ticæ hæresi hactenus restitisset, quam verbo, & scripto confutaverat; eo sublato latius liberiusque grassari cœpit; tribus Orientalis ecclesiæ Patriarchis eam foventibus, ac Imperiali etiam fulta præsidio, ut ex dicendis constabit; Hierosolymitanæ vero ecclesiæ tetrior adhuc conditio evasit, dum Sophronio sanctissimo viro, ac catholicæ fidei vindici, successit Sergius hæreticus; de quo in synodo Romana sub Martino Papa, secretario secundo, seu secunda sessione refert Stephanus. *Sergius namque quondam Joppensis Episcopus, post recessum gentis Persarum loci conservationem sedis Hierosolymitanæ arripiens, non quidem per ecclesiasticam auctoritatem, sed secularem potestatem, contra canones, ibidem ad sedem Hierosolymitanam pertinentes aliquos Episcopos ordinavit, & cum ipse minime fuerit ordinatus, alios ordinare præsumsit*, eumque Paulo CP. Patriarchæ hæretico sese adjunxisse, ut in Episcopatu confirmaretur, addit; nonnullos tamen in Palestina discipulos suos, & catholicæ fidei defensores reliquit Sophronius, ut ex eadem Stephani relatione in concilio Romano facta constat.

Dagobertus Francorum Rex Bavaris, & Alemannis leges tradit.

4. Ut Barbaras Bojajorum, aliasque transRhenanas gentes in officio, qua ratione poterat, Dagobertus Rex Francorum contineret, easque christianam religionem, & civiles modestosque mores induere doceret, legum Codicem inter eas vulgandum censuit; Id quidem a Theodorico magni Clodovei filio, ac Childeberto alias tentatum fuisse, prologus legum a Dagoberto editorum testatur; at in melius eosdem Dagobertus mutavit, ac ut servarentur, jussit. Quarum hæc est Præfatio. *Theodoricus Rex Francorum cum esset Catalaunis, elegit viros sapientes, qui in Regno suo legibus antiquis eruditi erant. Ipso autem dictante jussit conscribere Legem Francorum, & Alamanorum, & Bojoriariorum, unicuique genti, quæ in ejus potestate erat, & secundum consuetudinem suam; Addit quæ addenda erant, & improvisa & incomposita resecavit, & quæ erant secundum consuetudinem Paganorum, mutavit secundum Legem Christianorum. Et quidquid Theodoricus Rex propter vetustissimam Paganorum consuetudinem emendare non potuit, posthæc Childebertus Rex (hujus nominis II.) inchoavit, sed Clotharius Rex (hujus nominis II.) perfecit, Hæc omnia Dagobertus Rex gloriosissimus per Viros illustres Claudium, Chadum, Indomagum, & Agi-*

Agisulphum renovavit, & omnia vetera legum in melius transtulit & unicuique genti scripta tradidit, quæ usque hodie perseverant. Hoc decretum est apud Regem, & Principes ejus, & apud cunctum populum Christianum, qui infra Regnum Meruingorum consistunt. Primus titulus legis Bojuvariorum totus est de rebus Ecclesiasticis. Capite 9. legitur: Monachi autem qui secundum Regulam in Monasterio vivunt, & illi dupliciter componantur, secundum genealogiam suam, ut reverentia sit Dei, & pax eis, qui illi deserviunt. Caput 12. est de Sanctimonialibus: Si quis Sanctimonialem, hoc est Deo dicatam de Monasterio traxerit, & eam sibi in conjugio duxerit contra legem Ecclesiasticam, requirat eam Episcopus civitatis illius cum consilio Ducis, ac velit, nolit, reddat eam ad Monasterium, unde eam raptor tulit, & componat se cum Monasterio dupliciter, sicut solet fieri cum eo, qui alienam sponsam rapit; Nam si is crimine obnoxius est, qui alienam sponsam rapit, quanto magis ille qui Christi Sponsam violavit; In fine capitis 13. legitur: De ceteris causis Presbyteri, Diaconi, vel Clerici ab Episcopis secundum illorum canones judicentur &c. ex quibus constat, hoc & præcedenti seculo inter Bojarios quamplurimos christianam fidem suscepisse; at hoc eodem desinente seculo, eosdem ut plurimum ad Idolatriam rediisse, unde nonnisi multis præliis, magnisque laboribus, iterum ad Christianam fidem sub Carolo Magno, & successoribus revocati sunt, sicuti infra suo loco dicturi sumus.

JESU CHR. AN. 638.

JESU CHRISTI AN. 638. HONORII PAPÆ 14.
HERACLII IMP. 29. ROTARII ITALIÆ REGIS 3.

Antiochiam Seraceni cum Siria occupant.

1. Hoc Christi anno 638. Honorii Pontificis ultimo, sicuti infra dicturi sumus, Seracenorum excursiones & victorias persequentes, adnotamus, quod cum Palestinam, & Ægyptum nemine resistente anteactis annis occupassent, hoc anno, quæ reliqua in Siria erant, ipsamque Siriæ ac totius Orientis Metropolim, Antiochiam scilicet, in suam redigerunt potestatem, atque ita illustrioribus Orientalis Imperii provinciis, & urbibus, Alexandria, Antiochia, & Hierosolyma, paucorum annorum spatio, potiti sunt; Antiochiam usque ad annum millesimum nonagesimum octavum

Jesu Chr. an. 638.

retinuerunt; varios hujusce expeditionis, ceterarumque casus, variamque fortunam longa oratione Arabes historici, ac præcipue Elmacinus prosequuntur, ac plura in sua Arabum historia Abbas Dorigini, & Derbellotius in bibliotheca Orientali, in vitis Principum Seracenorum narrant, quos consulere lector si lubet poterit, nos etenim in iis non immorabimur, ne bellorum Effemeridas, scribere videamur: Id unum satis admirari non possumus, quod Heraclius, qui non multos ante annos Persarum fortissimos duces, tanta felicitate vicerat, ut eos pacem, durioribus etiam conditionibus petere coegerit, nunc adversus Seracenos nil memoria dignum egerit,

Omarus Califa Persarum, & Romanorum Imperia subvertit.

2. Hocque eodem anno, quo tanta felicitate adversus Romanos Omarus bellum gessit, ac Antiochiam cum tota Siria invasit, adversus Persas quoque Romanorum cladibus attritos, ac intestinis dissidiis fractos, immisso exercitu, Medajnam urbem, in qua erant thesauri Chosroes Persarum Regis, nempe *ter millies mille millia aureorum*, & universa ejusdem ditissima suppellex, occupavit, ait Elmacinus, qui addit, *Commissum & hoc anno est prœlium Giaululense cum Persis, quos venientes Muslimi* (idest Seraceni) *Regem Isdegirdum, qui ultimus fuit Regum eorum, fugarunt Fargana*, Quare Omarus Califa duo potentissima Imperia Romanum scilicet, & Persicum paulatim subvertit. Romanis etenim Ægyptum, Siriam, & Palestinam eripuit; Persis vero Chaldæam, Mediam, & Persidem. Hanc ob causam, qui hactenus Califa dictus fuerat, idest Vicarius Mahumetis, post tot victorias, primus inter Seracenos Amirohemima, idest Princeps & Imperator credentium appellatus est; ut Gregorius Abulfaragius in historia Dinatistarum pagina 110. his verbis testatur de Omaro Califa, filio Omari loquens; Cumque vocaretur *Califa Califæ*, idest Vicarius Vicarii, *vocatus est ergo Amiralmunim Imperator credentium, atque is primus hoc titulo insignitus est &c.*.

Honorii Papæ obitus ejusque in ecclesias munificentia.

3. Hoc autem anno Honorius Papa, cum per annos quatuordecim incompletos, ab anno scilicet 625. ad diem 12. mensis octobris hujus anni Rom. sedem tenuisset vivere desiit, quem ideo Anastasius *Annos duodecim, menses undecim, dies septemdecim* sedisse scribit, quem etiam multa bona

Jesu Chr. an. 638.

na opera fecisse his verbis addit. *Hic temporibus suis multa bona fecit. Hic erudivit clerum, temporibus suis renovavit eymiliam, vel supellectilem B. Petri Apostoli, & vestivit Confessionem B. Petri ex argento puro, quod pensat libras centum octoginta septem. Investivit regias januas in ingressu Ecclesiæ majores, quæ appellantur medianæ, ex argento pensante libras nongentas septuaginta quinque. Fecit & cerostatos majores ex argento pares duos, qui sunt ante corpus B. Petri Apostoli, pensantes singuli libras sexaginta duas. Fecit & ad B. Andream Apostolum, ubi supra ante confessionem, tabulam ex argento, quæ pensat libras septuaginta tres.* Multa alia ab Honorio in ecclesiarum decorem, & ornatum gesta ibidem commemorat, quæ exscribere longum esset. Inter cetera cum ecclesiam S. Agnetis multis ex auro & argento donariis locupletasset, in Apside, musivo opere, cujus memoria adhuc perseverat, ait Baronius, hæc ut cetera prætereamus adhuc leguntur: *Præsul Honorius hæc vota dicata dedit*: In ecclesia quoque S. Pancratii, quam a fundamentis ædificaverat, præter dona prætiosa, quibus ecclesiam, & martyris sepulchrum exornavit, hæc etiam inscriptio, musivo opere legebatur: *Ob insigne meritum & singulare B. Pancratii martyris beneficium, basilicam vetustate confectam, extra corpus martyris neglectu antiquitatis extructum, Honorius Episcopus Dei famulus, obruta vetustatis mole, ruinamque minante, a fundamentis noviter plebi Dei construxit, & corpus martyris, quod ex obliquo aulæ jacebat, altari insignius, ornato metallis, proprio loco collocavit*: Tandem Anastasius cum multa ab Honorio Papa magnificentissime extructa, vel ornata commemorasset in ecclesiis Apostolorum Petri & Pauli, B. Agnetis, Apollinaris, Cyriaci, sanctorum coronatorum Severini, Marcellini, & Petri, Pancratii, Luciæ, Hadriani martyris, hæc addit, *Sed & multa alia fecit, quæ enumerare longum est, fecit autem ordinationes tres, Presbyteros tredecim, Diaconos undecim, Episcopos per diversa loca octuagintaunum, qui sepultus est in basilica B. Petri sub die quarto idus Octobris.*

Honorius Papa Schisma Episcoporum Istriæ extinguit.

4. Illustriora sunt, quæ de Honorio Papa certissimis monumentis constant, eum scilicet, sollicitudine & prudentia sua, schisma inter Episcopos Istriæ, ob tria capitula exortum, extinxisse, quod sane eruditissimum Norisium in

sua

JESU CHR. AN. 638. sua de synodo quinta dissertatione non adnotasse mirum est; Rei gestæ illustris memoria in inscriptionibus januis argenteis appositis perseverat, a Canisio collectis, & a Baronio ad hunc annum relatis. Post plurima a Baronio relata, hos tantum subdimus versus.

Virginis ex utero totus ubique Deus
Discipulis præcepta dedit, Petrumque Beatum,
Hos inter primum sanxit, & egregium
Cujus in arbitrio Cœlum, terramque relinquit
Pandere, vel potius claudere cumque velit.
Nam sub mortigenæ quidam jacuere gehennæ
Verbere confossi mente, fide, opere
Histria testatur possessa hostilibus annis
Septies & decies schismate pestifero.
Esset ut impletum Jeremiævoce canentis
Ultio captivis tam numerosa fuit.
Sed bonus Antistes, Dux plebis Honorius armis
Reddidit ecclesiis membra revulsa piis,
Doctrinis monitisque suis de faucibus hostis
Abstulit exactis jam peritura modis.
At tuus argento Præsul construxit opimo
Ornavitque fores Petre beate tibi.
Tu modo Cœlorum quapropter janitor alme
Fac tranquilla tui tempora cuncta gregis.

5. Cum vero ab ejusdem schismatis exordio usque ad finem numerentur anni septuaginta, manifestum est id factum ab Honorio Pontificatus sui exordio, cum totidem ab schismatis exordio, ad annum 625. Honorii primum numerentur. Eademque de Honorii sollicitudine in revocandis a schismate Istriæ Episcopis, ex ejusdem epitaphio confirmantur, his versibus;

Honorii Papæ Epitaphium. *Apud Canisium append. antiq. Inscr. pag. 1165.*

Pastorem magnum laudis pia præmia lustrant
Qui functus Petri hac vice summa tenet
Effulgit tumulis, nam Præsul Honorius istis
Cujus magnanimum nomen honorque manet
Sedis Apostolicæ meritis nam jura gubernans,
Dispersos revocat optima lucra refert
Utque sagax animo divino in carmine pollens

Ad

Ad vitam pastor ducere novit oves
Histria nam dudum sævo sub schismate fessa
Ad statuta patrum teque monente redit
Judaicæ gentis sub te est perfidia victa,
Sic unum Domini reddis ovile pium.

JESU CHR. AN. 638.

post plurima, quibus eum S. Gregorii gloriosa vestigia calcasse adnotat, ad schismaticos ad ecclesiam catholicam revocandos Thomæ cujusdam opera usum fuisse, his aliis versibus commemorat.

Quis mihi tribuat ut fletus cessent immensi,
Et luctus animæ det locum vera dicenti.
Licet in lachrymis singultus verba erumpant,
De te certissime tuus discipulus loquor;
Te generositas minister Christi parentum.
Te munda actio Thomas monstrabat honestum,
Tecum virginitas ab incunabulis vixit,
Tecumque veritas ad vitæ metam permansit,
Tu casto labio pudica verba promebas,
Tu patiens jam parcendo pie docebas,
Te semper sobrium te recinebamus modestum,
Tu tribulantum vera consolatio verax
Error veteri diu Aquilegia cæca
Diffusam cœlitus rectam dum renueret fidem,
Aspera viarum ningnidosque montium colles
Calcans indefessus glutinasti prudens scissos.

idest schismaticos, quæ sane non minimam Honorii famæ laudem conciliarunt; Schismaticos tamen ad ecclesiæ unitatem Honorii opera revocatos, in idem schisma iterum paulo post prolapsos fuisse, & usque ad Sergii Papæ tempora perseverasse, idest usque ad annum 678. adnotat eodem loco Baronius, cui ut plurimum eruditi Viri subscribunt, ac Beda, & Paulus Diaconus suffragantur, dum narrant, ejusdem Sergii Pontificis monitis excitatos Istriæ Episcopos, Aquilejæ synodum celebrasse, atque in ea schismati renunciasse; Longe tamen ante Sergii Papæ tempora, ac ut diximus Honorio hortante, Aquilejensem Episcopum synodum quintam, damnato schismate recepisse, constat ex Lateranensi concilio sub.

Jesu Chr. An. 638. sub Sancto Martino Papa celebrato, anno 649.; Nam Maximus Aquilejensis Archiepiscopus secretario primo, seu prima sessione, hæc dixit: *Contra Theodorum autem, & Origenem in sancta quinta synodo accusator quidem nullus, sed tantummodo eorum conscripta ad accusationem ipsorum, & reprehensionem fecisse noscuntur*. Ante Sergium etiam in synodo sub sancto Agathone Romæ habita, in litteris ad Imperatores, in synodo sexta actione quarta recitatis, hæc leguntur. *Hoc idem etiam & sancta synodus, quæ sub Augustæ memoriæ Justiniano Principe CPoli congregata est, in septimo definitionum capitulo prædicat*. Huic autem epistolæ, inter alios subscriptus legitur, *Agatho* Episcopus ecclesiæ Aquilejensis, deinde ejusdem suffraganei, *Cyriacus Polensis &c.*. Quare ut adnotat Norisius, ante Sergium Pontificem ecclesia Aquilejensis, & suffraganei Episcopi, non modo ad Ecclesiam Romanam redierant, sed etiam synodum quintam laudantes, decessorum errorem diuturnamque pervicaciam detestabantur, quod quidem Honorii tempore accidisse hactenus probavimus; Quia tamen iis in locis nonnulli, non quidem ex Episcopis, sed ex laicis, in schismate adhuc aliquanto tempore perseverarunt, eosdem Aquilejensis synodus, Sergii Papæ monitis obsecuta, ad ecclesiæ unitatem revocavit; Sed de his hactenus, ex quibus patet, Honorium Pontificem in tuenda catholica fide, ac in schismaticis ad ecclesiam revocandis, aut pro ecclesiastica disciplina sarta tectaque servanda, quammaximam toto Pontificatus sui tempore sollicitudinem gessisse; Quare etsi Sergii CP. Episcopi litteris deceptus, de una aut duabus in Christo operationibus, excitatam in Oriente quæstionem sopiri magis, quam agitari jusserit, ac silentium de ea indixerit, unde tanquam Monothelitarum fautor in synodo sexta damnatus sit, ut supra diximus, error conversationis magis fuit, quam mentis, sed de his iterum cum de synodo sexta sermo fiet.

Norisi dissert. de synodo quinta cap. 9 pag. 739.

6. Post Honorii obitum, *Cessavit*, ait Anastasius, *Episcopatus ejus anno uno, mensibus septem, diebus decem, & septem*. Tanto autem tempore, Romanam sedem vacasse, ait, eo quod is, qui a Romano Clero electus fuerat Severinus, ab Imperatore Heraclio confirmatus non fuit, nec ordinatus, cum ab eo exigeret, ut Ecthesi a se promulgatæ subscriberet, cui cum restitisset Severinus, tandiu ejus confirma-

Severinus in Honorii locum eligitur cujus ordinatio ad biennium fere differtur.

matio, & ordinatio dilata eſt, ut anno tantum 640. peracta fuerit; Hanc porro tantæ dilationis cauſam fuiſſe indicat epiſtola Gyri Alex. Epiſcopi ad Sergium CP Epiſcopum anno ſequenti ſcripta, ac in concilio Romano ſub Martino Pontifice lecta ſecretario tertio, qua refert Imperatoris Ecthesim ſive decretum ad Iſacium Patricium, & Italiæ Exarchum miſſum fuiſſe: *Quam profiteri deberet*, inquit Cyrus, *communis frater noſter Severinus ſanctiſſimus Deo adjuvante, qui creatur Romæ*, non ait, qui creatus, aut ordinatus eſt Romæ, eo quod in ſuſpenſo adhuc ejus confirmàtio eſſet, uſque dum Romam Iſacius Exarchus Imperatoris Ecthesim eidem ſubſcribendam obtuliſſet, quod quidem Severinum renuiſſe, ex dicendis infra conſtabit; id etiam ex Iſacii adventu Romam confirmatur; non enim alia de cauſa eam profectionem ſuſcepit Iſacius, niſi ut Severinum ad ſubſcribendam Ecthesim cogeret. Hanc quidem cauſam Gombefiſius in hiſtoria hæreſis Monothelitarum diſputatione 1. paragrapho 11. & 12. vanam putat ac dilationis cauſam vel morbum Imperatoris fuiſſe ſuſpicatur, vel ignotam fuiſſe ait: At certa videtur Baronii conjectura; in collectaneis enim Anaſtaſii recitatur Epiſtola Sancti Maximi Abbatis ad Abbatem Thalaſſium, ex qua diſcimus, poſt Severinum in Pontificem Romanum electum Conſtantinopolim miſſos fuiſſe Aprocriſarios: *In cauſa promotionis Papæ cum delatis Decretis*, & Clerum Conſtantinopolitanum eiſdem ſignificaſſe, confirmationem, quam petebant, non obtenturos, niſi promitterent Clerum Romanum Ecthesi ſubſcripturum: *protulerunt eis* (ideſt Eccleſiaſtici Conſtantinopolitani) *Dogmaticam chartam nunc ab eis expoſitam, aſſerentes non aliter vobis in capitulo pro quo tantum tranſigentes navigium huc veniſtis, favorem præſtabimus, niſi prius vos ſuaſuros ei, qui Sacroſanctus eſt, profiteamini, huic Chartæ ſubſcribere, & dogmatibus, quæ in ea continentur, exceptis dilationibus conſentire*. Addit Sanctus Maximus in eadem Epiſtola Legatos commento Clerum CP. eluſiſſe, ac promiſiſſe delaturos ſe ad Electum Pontificem *Ecthesim*, & rogaturos, ut ei ſubſcriberet, eaque accepta cautione, quam juſſionem petierant, ab Imperatore obtinuiſſe, ut ſcilicet, Severinus jamdiu a Romano Clero electus, Pontifex ordinaretur. Hanc epiſtolam, qua Baronii conjecturæ mirifice confirmantur, ipſe non viderat, nam Ana-

JESU CHR. AN. 638.

JESU CHR. AN. 638. Anastasii collectanea, post ejusdem obitum a Sirmondo in lucem edita sunt.

Thesauri Romanæ ecclesiæ a Mauritio, & Isacio deprædantur.

7. Quid interea dum Severini confirmatio expectaretur, infaustum Romæ acciderit, his verbis narrat Anastasius: *Hujus Severini temporibus devastatum est Episcopium Lateranense a Mauritio Chartulario, & Isacio Patricio, eodemque Italiæ Exarcho, cum adhuc electus esset Domnus Severinus, sed antequam veniret. Isacius Mauritius dolo ductus adversus Ecclesiam Dei, consilio inito cum quibusdam perversis hominibus, incitaverunt exercitum Romanum dicentes: Quia nihil prodest, quod tantæ pecuniæ congregatæ sunt in Episcopio Lateranensi ab Honorio Papa, & miles iste nihil exinde subventus habet, dum & rogæ vestræ, quas domnus Imperator vobis per vices mandavit, ibi sunt a sancto viro reconditæ.* Eo usi sunt prætextu perditissimi illi ad incitandos milites ad deprædationem Lateranensis Episcopii. *His auditis*, pergit Anastasius, *exarserunt omnes adversus ecclesiam Dei, & venerunt omnes a minimo concitati omnes armati, qui inventi sunt in civitate Romana a puero usque ad senem in Episcopium Lateranense, & non potuerunt manu militari intraire, quia resisterent eis, qui erant cum sanctissimo domno Severino. Tunc videns Mauritius, quia nihil potuerunt facere, dolo ductus, fecit ibi exercitum residere intra Episcopium Lateranense, & fuere ibi dies tres. Post triduum autem introivit Mauritius cum judicibus, qui inventi sunt cum ipso in concilio, & sugillavere omne vestiarium Ecclesiæ seu cymiliam Episcopii, quæ diversi Christianissimi Imperatores seu Patricii & Consules pro redemptione animarum suarum beato Petro Apostolo reliquere, ut pauperibus singulis temporibus, pro alimonia erogarentur, seu propter redemptionem captivorum. Et postmodum misit Mauritius epistolas suas ad Isacium Patricium Ravennam de hoc, quod actum est, quomodo ipse cum exercitu sigillasset omne vestiarium Episcopii, & quia sine aliqua læsione omnem substantiam sæpe dictam potuissent deprædari. Cumque hæc verius cognovisset Isacius, venit in civitatem Romanam, & misit omnes primates Ecclesiæ singulos per singulas civitates in exilium, ut non fuisset, qui resistere debuisset de clero*, ac tandem subdit, *Post dies aliquantos ingressus est Isacius in Episcopium Lateranense, & fuit ibi dies octo, usquedum omnem substantiam illam deprædaretur.*

Eo-

Eodem tempore direxerunt exinde ex parte ex ipsa substantia in civitatem regiam ad Heraclium Imperatorem. Postmodum ordinatus est Severinus, & reversus est Isacius Ravennam &c. At hæc anno sequenti 639. & 640. contigerunt; hoc autem loco uno contextu relata, cum de Severini electione egimus.

Jesu Chr. an. 638.

7. Hoc eodem anno, æræ Hispanicæ sexcentesimo septuagesimo sexto, generale sive Nationale concilium Toletanum sextum celebratum est, *sub die quinto Idus Januarii, anno præfati Principis,* (nempe Cinthilani) *& triumphatoris in Christo secundo æra 676.*. Huic concilio interfuere ex Episcopis Hispaniæ, & Galliæ quinquagintaduo, eique subscripsere quatuor Metropolitani, Silva Narbonensis, Julianus Bracarensis, Egenius Toletanus, & Honoratus Hispalensis, atque in eo canones undeviginti editi sunt, tum ad fidem catholicam stabiliendam, cum ad ecclesiasticam disciplinam custodiendam, ac primo canone perfectam integramque fidei confessionem exponunt; Secundo quæ de Litaniis celebrandis concilio quinto Toletano statuta fuerant, confirmant; Tertio autem canone Cinthulæ, seu Cinthilani Regis pietatem his verbis celebrant; *Inflexibilis Judæorum perfidia deflexa tandem videtur pietate & potentia superna. Hinc enim liquet, quod de spiramine summi Dei excellentissimus & christianissimus Princeps ardore fidei inflammatus, cum regni sui sacerdotibus prævaricationes & superstitiones eorum,* Judæorum scil. *eradicare elegit funditus, nec sinit degere in regno suo eum, qui non sit Catholicus. Ob cujus fervorem fidei gratias omnipotenti Deo cælorum Regi agimus, eo quod ejus eam illustrem creavit animam, & sua repleverit sapientia. Donet ei præsentis ævi diuturnam vitam, & in futuro gloriam æternam. Illud autem provida nobis cura & valde est decernendum vigilanti solertia, ne ejus calor & noster labor quandoque in posteris tepefactus liquescat. Quocirca consonam cum eo, & corde ore promulgamus Deo placituram sententiam: simul cum suorum optimatum illustriumque virorum consensu ex deliberatione sancimus, ut quisquis succedentium temporum regni sortierit apicem, non ante conscendat regiam sedem, quam inter reliqua conditionum sacramenta pollicitus fuerit, hanc se Catholicam non permissurum eos violare fidem; sed & nullatenus eorum perfidiæ favens, vel quolibet neglectu aut cupiditate illectus, tendentibus ad præcipitia*

Toletanum concilium sextum.

JESU CHR. AN. 638. *tia infidelitatis aditum præbeat prævaricationis, sed quod magnopere nostro est tempore conquisitum, debeat illibatum perseverare in futurum. Nam incassum bonum agitur, si non ejus perseverantia providetur. Ergo postquam ordine præmisso ad gubernacula accesserit regni, si ipse temerator extiterit hujus promissi, sit anathema maranata in conspectu sempiterni Dei, & pabulum efficiatur ignis æterni, simul cum eo damnatione perculsi, quicumque sacerdotum, vel quilibet Christianorum ejus implicati fuerint errori.* Hæc de Regibus successoribus sancta synodus, Rege ipso favente, decrevit; ut appareat haud esse recentem vel indebite usurpatum titulum Hispaniarum Regum, ut Catholici cognominentur, utpote tanto facti titulo digni, quod non solum jurarent se fore Catholicos, sed neque passuros quemquam non Catholicum in amplissimo suo regno penitus reperiri. Rursus vero ad ejusdem Principis laudem spectat, quod de eo eadem Synodus addidit. *Denique tanta erga nostri Principis extant beneficia, ut longum sit singillatim ea promere lingua, Ipse enim auctore Deo, nobis pacem, ipse quasi captivam reduxit charitatem, ipsius ope quieti, ipsius sumus largitione ditati, ipse medicamine bonitatis suæ & reis pepercit, & rectos sublimavit: Cui si dignis voluerimus respondere beneficiis, non tantis extamus copiis virtutis, quanto voto sufficimus voluntatis.*

Toletani concilii summa canonum. 8. Simoniacam vero labem gravissima censura arguit canon 4. Quinto decernitur, ut qui stipendia ab ecclesiis accipiunt, id precario retinere testentur, ne res ecclesiæ pereant, aut ad hæredes transeant; Sexto, & septimo canone continentiæ desertores viros, ac mulieres, ad propositum castitatis revocandos esse ait, eosque anathematis pœnæ subjicit. Octavo canone statuitur, ut si quis ob mortis metum, ad pœnitentiæ remedium confugerit, deinde vero convaluerit, si in adolescentia fuerit, ac se continere non possit, ut ad conjugale opus redire possit, viris æque ac mulieribus permittunt; Nonus, & decimus canon libertorum ecclesiæ, & manumissorum officia describit, qua etiam ratione ecclesiæ beneficio frui possint, statuit; Undecimo, & duodecimo, de accusationibus agitur, aut qua pœna ii plectendi sint, qui patriæ, vel civibus detrimenta intulerint; 13. jubetur, ut inferiores honoratioribus reverentiam debitam, & obsequium præ-

præstent; Ceteri vero Principum incolumitati, & familiæ Regali consulunt, ut ibidem videre est; Præter quatuor Metropolitanos huic Toletanæ synodo, inter illustriores Episcopos Sanctus Braulio CæsarAugustanus Episcopus recensetur, successor fratris sui Joannis: *Qui habuit Sacerdotium ferme viginti annis temporibus Sisenandi, Cintilæ, & Cindasvvidi Regum*, ait Sanctus Idelphonsus. De Joanne, & Braulione fratribus, idem Idelphonsus adnotat: *Joannes in Pontificatu Maximum secutus, ecclesiæ CæsarAugustanæ sedem ascendit, primo pater monachorum, & ex hoc Præsul factus in regimine populorum, vir in sacris litteris eruditus, plus verbis intendens, quam scriptis, tam largus & hilaris dator, quam hilaris etiam vultu. Unctionem vero Spiritus Dei, qua fovebatur intrinsecus, tam largitate muneris, quam habitudine cultus adeo præferebat, ut & datum gratia commendaret, & non datum gratia excusaret. In Ecclesiasticis officiis quædam eleganter & sono & oratione composuit. Adnotavit inter hæc inquirendæ Paschalis solemnitatis tam subtile & utile argumentum, ut lectori & brevitas contracta, & veritas placeat patefacta. Duodecim annis tenuit sedem honoris, adeptus vitam gaudii, ad quam anhelavit desiderabili voto. Substitit in Sacerdotio temporibus Susebuti & Suintulani Regum. De Braulione autem ita: Braulio frater Joannis in Cæsaraugusta decedentis adeptus est locum, uti sicut germanitate conjunctus, ita non nimium ingenio minoratus. Clarus & iste habitus canonibus, & quibusdam opusculis. Scripsit etiam Æmiliani ejusdem monachi, qui & memoriam hujus & virtutem illius sancti viri suo tenore commendat pariter & illustrat. Habuit sacerdotium ferme viginti annis, quibus expletis, clausit diem vitæ præsentis*; Hæc ibidem: Braulius porro scripta S. Isidori Hispalensis Episcopi ordinavit, cujus fuerat discipulus, & Archidiaconus, ut idem in præfatione ad libros Isidori adnotat, eique Isidorus libros originum dicaverat. Cetera, quæ Braulionis vitam, vel scripta spectant, apud Bollandum, aut Dupinium videri possunt.

De Joanne, & Braulione CæsarAug. Episc. eorumque operibus.

9. Hoc etiam anno vivere desiit Dagobertus Francorum Rex, anno regni sui *decimosexto*, *decimoquarto Kal. Februarii*, seu die decima nona mensis Januarii, ut tradunt Fredegarius cap. 79. Aimonius lib. 4. cap. 43. & alii. Sex-

Dagoberti Francorum Regis obitus *Pag. an. 638. not. 10.*

Jesu Chr. an. 638. decim autem annos cum regnasse traditur, quorum sex vivente Patre, ceteri post patris obitum, ut pluribus demonstrat Pagius.

De Dagoberti Regis Francorum ætate, & gestis.

10. Annos vixit Dagobertus circiter trintaquatuor, pacemque, quam cum Gothis in Hispania, cum Longobardis in Italia, cum Anglis in Britannia, & cum ceteris gentibus pater ejus firmaverat, sincera fide custodivit, usus præcipue consilio Sancti Arnulphi Metensis Episcopi, & Pippini majoris domus, quibus a patre commendatus fuerat, consiliarium etiam habuit Sanctum Chunibertum Coloniensem Antistitem, & Sanctum Duodenum, Dadonem etiam dictum, qui tunc Dagoberti Referendarius erat, ait Aimonius lib. 4. cap. 41. *Quod ad eum universæ publicæ deferrentur conscriptiones, ipseque eas annulo, sive sigillo ab eo sibi commisso muniret seu firmaret*. Adoenus porro etsi in Palatio publicis muneribus intentus, religiosam nihilominus vitam eousque ducebat, ut monachus magis, quam aulicus videretur, ac Dagobertum Regem excitabat, admonebatque, ut Deum pie coleret, ecclesiarum curam gereret, & egentibus, viduis, ac pupillis subveniret; cui cum Dagobertus faciles præbuisset aures, monasteria, & ecclesias, ac præcipue Sanctorum Martini Turonensis, Mauritii, & Germani, ædificavit, ornavit, ac prædiis locupletavit; Unde factum est, si vera narrat Aimonius lib. tertio cap. 33., ut cum ob præcedentia peccata diabolo torquendus in vitæ exitu tradendus esset, misericordiam consecutus fuerit intercessione Sanctorum, quorum ecclesias exornaverat, ut pluribus narrat Baronius. Nam in iis exscribendis diu non immorabimur; Duos filios post se Regni hæredes reliquit Dagobertus, Sigebertum scilicet, & Clodoveum hujus nominis secundum, Sigebertus Austrasiæ Regnum obtinuit, Clodoveus in Neustriam, & Burgundiam patri successit; de quorum gestis infra sermo redibit, sicuti & de Sancto Odoeno, qui post Dagoberti obitum, Rothomagensis Episcopus ordinatus fuit.

Clipiacense concilium.

11. His addimus eodem Dagoberto Rege auctore Clipiaci anno 633. concilium Episcoporum, & Procerum congregatum fuisse, ut communi consilio Episcopi, & aulæ Proceres ecclesiarum utilitati, & Regni tranquillitati consulerent, cujus concilii memoria occurrit in Dagoberti diplomate,

mate, ex quo hæc Sirmondus refert. *Nos in Dei nomine Palatio nostro Clipiaco in synodo generali residentes pertractavimus, una cum venerabilibus Episcopis, Abbatibus, Comitibus ac ceteris fidelibus nostris, de fugitivis, & asylo S. Dionysii* deinde *Landericus obtulit, Dagobertus Rex subscripsit*; sequuntur deinde subscriptiones Episcoporum, & virorum illustrium, *sub die 7. Kal. Junias anno Regni Dagoberti Regis*. Alia insuper extat ejusdem Dagoberti Regis charta ad Sulpicium Bituricensem Episcopum, qua jubet, ut Desiderium Cadurci Episcopum ordinet; ex eaque, qua formula in Episcoporum nominatione Galliarum Reges uterentur, precaria scilicet, scimus, cujus hæc est inscriptio. *Domino Sancto, & Apostolico Domno Patri Sulpicio, Dagobertus Rex. Deo & sanctitati vestræ credimus esse compertum, qualiter fidelis noster vere illustris Desiderius thesaurarius, nobis adolescentiæ tempore fideliter deservivit. Nos devotissimam ac monasticam conversationem ejus habemus bene compertam. Ideo nos cognoscite taliter decrevisse, ut in civitate Caturca, ubi germanus ejus Domnus Rusticus præivit, in locum ipsius, honorem episcopatus in Dei nomine debeat accipere, quia Divina inspirante potentia talis nostra devotio manet, ut eos, quos moribus ornatos, & sanctis operibus deditos perspicimus, sicut est iste fidelissimus Dei & noster Desiderius, nos ad episcopale culmen provehere debeamus: quia sic decet regiam celsitudinem, ut quos cognoscit in Dei timore conversari, & fidem catholicam integre custodire, vel evangelica præcepta, omnimodis ad pontificale officium studeat promovere. Proinde cum vos Metropolitani locum scimus tenere, præsentes apices, cum debito salutationis officio, sanctitati vestræ studuimus destinare, petentes, ut ad eum benedicendum properare debeatis, ac litteras ad comprovinciales fratres vestros dirigatis, ut & illi adesse debeant, & ut canonice, & juxta Apostolicam institutionem sub vestri præsentia in sancta Paschali solemnitate pontificali benedictione debeat esse consecratus. Illud etiam ante omnia supplicamus, ut nos in sanctis ac Deo placitis orationibus vestris Domino commendetis, & ad explendum hoc negotium nullam moram faciatis. Quod vero indicimus, manus nostræ subscriptione, ut mos est, decrevimus roborare. Data octavo Dagoberti Regis.*

Dagobertus rex subscripsit.

JE-

Jesu Chr. an. 639.

JESU CHRISTI an. 639. Sedes Rom. vacat
Heraclii Imp. 30. Rotharii Italiæ Regis 4.

Heracliilmp nomine Sergius CP Episcopus Ecthesim promulgat.

1. Cum adhuc Romana fedes vacaret, ob dilatam Severini a Clero Romano in Pontificem electi, confirmationem, ut anno proximo diximus, Sergius CP Epifcopus, ad hærefim Monothelitarum confirmandam, fub finem anni proximi, vel currentis initio, Ecthefim five fidei formulam & expofitionem vulgavit, in qua impofterum una, vel duplex in Chrifti difpenfatione operatio prædicari prohibebatur, licet in ea diferte afferatur, unicam tantum in Chrifto fuiffe voluntatem; qua unica fententia Monothelitica hærefis virus continebatur: utque majorem fidei formulæ auctoritatem conciliaret, Heraclii Imp. nomine eam vulgavit, ut majores hac arte tumultus in ecclefia excitaret, ac eidem fubfcribere recufantes Imperatoris auctoritate compelleret; Hanc porro Ecthefim indictione duodecima vulgatam fuiffe, quæ cum præcedenti, & labenti anno a Kal. Septembris concurrebat, teftantur acta fynodi Romanæ fub Martino Papa his verbis: *Sergius autem epiftolam propriam ad denominatum Cyrum fcriptam, eamdem fimiliter unam operationem fufcipiens, cum eo irrationabili præfumptione aufus eft confirmare, & non folum hoc, fed etiam poft aliquot annos ejufdem Cyri novæ adinventionis, hoc eft per nuper duodecimam indictionem elapfam, hæreticam & ipfe confcribens Ecthefim, ideft expofitionem fidei, fub nomine tunc imperantis Heraclii, unam in eadem Salvatoris noftri (fecundum impium Apollinarem) voluntatem, & operationem inftituit, ex hoc quod dicit imprudenter fequi operationem voluntatem*; Hæc ibidem fecretario primo, in tertio autem de Sergii perfidia hæc iterum Martinus Papa adnotat *Age*, inquit, *nunc & memorati Sergii novæ Ecthefos audiamus commentum, quam Ecthefim fuafit in tempore fuo nomine Heraclium quondam Imperatorem titulare*. Eamdem autem Ecthefim per Ifacium Italiæ Exarchum Romam miffam fuiffe ad Severinum in Pontificem Romanum electum, ut eidem fubfcriberet, ficque ab Imperatore Heraclio confirmationem electionis fuæ confequi mereretur, anno proximo, cum de ejufdem electione egimus, jam adnotavimus; Cumque Romanæ ecclefiæ legati CPolim, poft de-

deprædationem Lateranensis Episcopii missi, Heraclio promisissent, se facturos, ut Severinus Ecthesim confirmaret, Romam redeuntes, decretum, quo Severini electio confirmabatur, attulerunt: At in Romanum Pontificem Severinus anno proximo ordinatus, Heraclii, seu Sergii Ecthesim non solum repulit, sed etiam anathemate confixit, ut anno sequenti dicturi sumus, atque id aperte probant Martini Pontificis verba in concilio Rom. secretario tertio prolata. *Ceciderunt a sua spe*, inquit, *mentiti contra caput proprium. Nec enim suscepta est omnino, aut admissa secundum vanam eorum spem, magis autem condemnata est, & anathematizata ab Apostolica auctoritate huc transmissa pessimæ & præsumptæ novitatis eorum Ecthesis*, quod etiam ex dicendis anno sequenti clarius constabit.

Jesu Chr. an. 639.

2. Quid autem hæc Ectesis, seu fidei expositio Heraclii nomine promulgata contineret, unde in ecclesia tot tumultus & rixæ excitatæ sunt, nunc videamus; atque ex actis synodi Romanæ sub Martino Pontifice, secretario tertio describamus, cujus hoc est exordium. *Expositio orthodoxæ fidei facta a piissimo, & Deo conservando nostro domino magno Principe Heraclio propter emersam ab aliquibus altercationem pro requisitione operationis, consonans in omnibus sanctis & universalibus quinque conciliis: quam cum multa satisfactione & gratia exceperunt Patriarchalium sedium Præsules, & gratanter ei consenserunt, utpote pacem sanctis Dei Ecclesiis inferentem*. Vidistine, lector paratam fraudem, & laqueum sub florenti gramine occultatam? Ante enim quam eadem Ecthesis vulgaretur, approbatam dicit a Patriarchis, cum certo constet etiam ex scriptis Cyri ipsius Episcopi Alexandrini hæretici, non nisi post ipsam vulgatam, eam se vidisse, atque eidem consensisse. Sed huic, tali licet præmisso titulo, nemo tamen Orthodoxorum debuit consentire, etiam si in omnibus catholica videri potuisset. Quid enim pertinet ad Imperatorem fidem exponere, & de recte credendo formulam Ecclesiæ Catholicæ perscribere: Est Imperatoris, oblatam ab Episcopis accipere fidem, non Episcopis dare, ut sæpe testati sunt Patres, & inter eos S. Ambrosius ad Valentinianum. Sed audi eam: *Credimus in Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, Trinitatem consubstantialem, unam Deitatem, sive naturam & essentiam, virtutemque & pote-*

Expositio fidei ab Heraclio promulgata. *Labb. concil. tom. 6.*

Jesu Chr. an. 639. *testatem in tribus subsistentiis sive personis, cognoscentes uniuscujusque subsistentiæ familiaritatem, unitatem in Trinitate, & Trinitatem in unitate; unitatem quidem secundum essentiæ sive Deitatis rationem, Trinitatem autem secundum subsistentias sive personas &c.*; & quidem rectissime, sicuti & multa alia, quæ ibidem de Trinitatis mysterio, & de Verbi Dei incarnatione addita sunt, at latet anguis in herba, nam post multa, quæ catholicorum nemo in dubium revocare poterat, subdit. *Unde & ex duabus naturis unum Christum confitemur, unum Filium, unum Dominum, unam personam, unam substantiam compositam, & unam naturam Dei Verbi incarnatam corpore animato intellectualiter, sicut Cyrillus magnus sapuit & docuit: Et in duobus naturis eumdem esse glorificantes, ut in Deitate & humanitate unum Dominum nostrum Jesum Christum verum Deum cognitum esse confitemur, differentiam per hunc modum solum significantes naturarum, pro quibus inconfuse ineffabilis unitas facta est. Nec enim Deitas transmigravit in carnem, neque caro in Deitatem transmutata est, sed in proprietate naturali, & pro uniuscujusque subsistentiæ unitate utramque permansit. Unde unum scimus Filium Dominum nostrum Jesum Christum ex initium non habente Patre, & ex intacta matre, eumdem ante sæcula, & in extremis diebus constitutum impassibilem atque passibilem, visibilem & invisibilem, unius ejusdemque miracula & passiones prædicamus, & omnem divinam & humanam operationem uni eidemque incarnato Deo verbo tribuimus, & unam ei offerimus venerationem sponte & veraciter propter nos crucifixo in carne, & exurgenti ex mortuis, & in cœlos ascendenti, & residenti in dextera Patris, & iterum venienti judicare vivos & mortuos: Nullo modo concedentes alicui ex omnibus unam vel duas dicere, sive docere operationes in divina Domini incarnatione, sed magis (sicut sanctæ & universales tradiderunt synodi) unum eumdemque Filium unigenitum Dominum nostrum Jesum Christum verum Deum confiteri operari divina & humana, & omnem Deo congruam & homini operationem ex uno eodemque incarnato Deo Verbo indivise & inconfuse procedere, & in unum eumdemque sortiri; eo quod unius quidem operationis vox, licet ab aliquibus Patribus dicta est, tamen turbat & exterret quorumdam aures arbitrantium in interitum eamdem prolatam esse*

esse duarum naturarum, quæ in una subsistentia unitæ sunt in Christo Deo nostro. Similiter autem & duarum operationum vocem multos scandalizare, utpote a nemine dictam sanctorum & præcipuorum Patrum: sed & sequi in eo, ut duas confiteamur voluntates contrarie ad invicem venientes, Deo quidem Verbo volente saluberrimam passionem explere, incarnationem autem in eo factam obvium euntem ipsius voluntati, & oppugnantem, & exinde duo contraria volentes introduci, quod impium est, & extraneum Christiani dogmatis &c.. His multa addit Imperator in suæ sententiæ confirmationem, quam etiam quinque synodis Oecumenicis conformem fuisse adnotat; Postquam autem ejusmodi ab Imperatore Constantinopoli, ubi degebat, est promulgatum edictum fidei expositionem continens, ad eam confirmandam a Sergio Constantinopolitano Patriarcha in eadem civitate Synodus celebrata est, in qua probata, retenta, & stabilita eadem expositio fuit: cujus Synodi fragmentum recitatum habetur in Concilio Lateranensi sub Martino Papa in tertio Secretario verbis istis: *Sancta Synodus congregata dilectissimorum consacerdotum nostrorum, & per ea, quæ in præsenti gesta sunt pro Ecthesi Orthodoxi dogmatis piissimi & magni vestri Principis, nec non per lectionem, quæ ante hos proximos dies recitata est, prudentissimi magnique Principis nostri diligentissimam cognoscens & instructam perfectionem, quoniam omnium artifex docuit eum prudentiam, per suam consonantiam faciat manifestum, si ita exposita ab eo, atque indiminute, secundum quod nobis videtur, habentem comprobat & amplectens confirmat prædicationis confessionem, sancta Synodus dixit: Relecta nunc magni & sapientissimi Principis Ecthesis, secundum veritatem, Apostolicæ consonat prædicationi. Hæc sunt Patrum dogmata; hæc sunt præsidia Ecclesiæ: hoc Orthodoxæ fidei stabilitas: hæc sanctorum quinque Conciliorum symbola &c.*: deinde post aliqua. *Si quis ergo a præsenti die temerator prohibitorum a Deo, conservando domino & magno Imperatore, atque huc congregata sancta Synodo factus, unam aut duas præsumpserit dogmatizare aut proferre in Christo Deo nostro operationes: hunc siquidem Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, sive de sequentibus fuerit gradibus, ab omni esse suspensum Ecclesiastico ministerio, vel officio definimus: Si autem monachicum habitum habuerit, aut laicus fuerit, hunc de*

JESU CHR. AN. 639. *de sancta comunione vivifici corporis & sanguinis magni Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi separamus, donec qui hæc confiteri præsumpserunt, ad hoc, quod oportet, remeantes, ex pura pænitentia & conversione, sufficientem de tali transgressione pro se ipsis satisfactionem porrexerint, tunc etenim unusquisque talis in suum pristinum restaurabitur officium*. Et subscriptio: *Sergius per misericordiam Dei Episcopus Constantinopoleos novæ Romæ subscripsi. Gloria Christo Deo nostro, Amen, Amen*. Hucusque ex Actis Synodi Constantinopolitanæ hoc anno sub Sergio habitæ in confirmationem Ecthesis, quibus subjiciuntur, quæ sub Sergii successore Pyrro Acta Synodalia confecta sunt in confirmationem ejusdem edicti. De ejusmodi autem Synodo agens sanctus Maximus Abbas & martyr in disputatione cum Pyrrho, hæc ait: *Subit me admiratio, quomodo Synodum voces, quæ non est habita, ut leges & canones Synodici & jura Ecclesiastica jubent. Nec enim epistola encyclica ex consensu Patriarcharum edita est, neque locus, neque dies conveniendi decretus: non fuit aliquis actor, aut accusator. Qui convenerunt, epistolas commendaticias non habuerunt, nec Episcopi a Metropolitanis, neque Metropolitani a Patriarchis: non epistolæ, neque substituti ab aliis Patriarchis missi sunt. Quis igitur particeps rationis Synodum velit appellare, quæ scandalis & discordiis cunctum orbem replevit?* Hactenus in Synodi hujus detestationem sanctus Maximus adversus Pyrrhum Sergii CP. Episcopi successorem disputans.

Cyrus Alex. Episc. Ecthesi subscribit. 4. Cyrus etiam Alex. Episcopus, cum eodem luto hæreret, ac Monothelitarum Princeps facile esset, cum Sergio CP Episcopo ob vulgatam Ecthesim gratulatus, eidem ambabus ulnis se subscribere testatus est; cujus epistola in tertio secretario concilii Lateranensis lecta, hæc inter cetera continebat. *Quam* (idest Ecthesim, seu fidei formulam) *non solum semel & bis, sed multo sæpius diligenter relegisse dignoscor, & lætatus ejusdem lectione, atque consistens mecum congratulans per laudabilem scriptorum expositionem, veluti Solis splendorem nitentem, & veram inconvertibilem & inviolabilem nostram fidem fixius recteque apertissime prædicantem, gratiarum hymnos retuli Domino omnium Deo, qui nobis dedit prudentissimum Imperatorem sanctas suas Ecclesias recte regentem, neque permittentem fortassis ab emergente tem-*

tempestate quoquo modo nos perturbari, nec iterum pure accedentibus in eam asperrimis saxis quassari: magis autem sine periculo & benignissime ad tranquillum portum nos deducens, & pro pace fidelissimi populi eorum Deo decibiliter cogitantem: sed qui eum talem & in spiritualibus constituit Deus, ipse virtutem & fortitudinem condonet; & pio ejus Imperio, contra repugnantes inimicos servet ejus Rempublicam, ut tunc cum gratia & canticis exclamemus: Salvavit nos, salvavit, terque salvavit nos piissimus ter Augustus, hoc est a tyrannica potestate, & Persarum ferocitate, nec non Sarracenorum temeritate. Quia vero & nos vestræ participati doctrinæ, & hanc sine dubio sequentes amplectimur & conservamus, &c. Ita Cyrus. At plane accidit, ut sicut expositio illa non Catholica, sed hæretica fuit, ita non ex sententia canticum illud cantare licuerit ob victorias de Saracenis, sed ipsa cantica converterentur in luctum. Nam primum omnium animadvertit Deus in Sergium turbarum auctorem & architectum: siquidem hoc ipso anno, post promulgatam Ecthesin, & in Synodo confirmatam, rem totam jam fere perfecisse arbitraretur, vocatus est a summo Judice reddere rationem ad tremendum illud divinum examen Dei viventis & videntis. Siquidem hoc eodem anno, dum indictio duodecima usque ad septembrem in cursu esset, Sergius vivere desiit, unde Nicephorus *Indictione 12. Sergius CP Patriarcha moritur, & quia Pyrrum Heraclius amabat, quod Imperatoris sororem e sacro fonte susceperat, simul quod eum Sergii familiarem fuisse, cum eoque vixisse cognoverat, in illius locum substituit.*

Jesu Chr. an. 639.

Nicephori hist. pag. 18.

Pyrrus Sergio CP Epis. succedit; Ecthesim confirmat.

5. Sergio CP Patriarcha sublato, in ejus locum Pyrrus suffectus est, hæreticus hæretico, qui hæresim aleret foveret, ac tueretur, hic porro monachus fuerat, deinde Presbyter, cum Sergio Episcopo familiaritate & amicitia conjunctus, qui cum suæ impietatis specimen non vulgare dedisset, dignus plane habitus est, ut in ejusdem sedem succederet, quam dignitatem vix adeptus, conciliabulum CPoli celebravit, & ea, quæ a Sergio, *& Cyro Phasiano decreta fuerant, corroboravit*, ait auctor libelli synodici; ejusdem concilii mentio fit in disputatione Maximi cum Pyrro, cujus etiam fragmenta extant in concilio Lateranensi secretario tertio, ubi inter alia, hæc referuntur a Pyrro scripta: *Curavimus Deo donante, & ad eos, qui absentes sunt, apud nos gesta*

JESU CHR. AN. 640. *gesta* (scilicet Ecthesis confirmationem) *cum encyclica nostra destinare epistola, quatenus & eorum unisquisque per suam similiter subscriptionem eidem orthodoxæ prædicationi consentiat, & suam per subscriptionem præcedentibus conjungat mentem*; & iterum secretario quarto. *Ergo hanc Ecthesim Sergius, & Pyrrus per propria monumenta confirmantes*; idest synodicis epistolis post concilia ab utroque CP celebrata, vulgatis, sed de Pyrro ejusque gestis non semel infra sermo occurret.

Pipinnus Majordomus Regni Austrasiæ moritur.

6. Hoc anno, ut ait Pagius, Pippinus major Domus Regum Austriacæ, Landensis dictus, ut a duobus aliis Pippinis distinguatur, vivere desiit, cujus memoria celebris in martyrologiis perseverat, ejusque vitam ad diem 21. Februarii exhibet Surius; translatus longo post tempore Nivellam Brabantiæ oppidum, quo loco in litaniis etiam invocatur, & corpus ejus in capsula portatili, in diebus rogationum circumfertur. Nullibi tamen officio ecclesiastico colitur, ut Henschenius ad diem 21. Febr. in commentario prævio ad ejus vitam observat; de quo etiam in exegesi præliminari ad tomum 3. mensis Aprilis agit, sicuti etiam plura de eodem Pippino apud Valesium lib. 20. rerum Franciarum, & Cointium ad annum 640. lector curiosus videre potest.

JESU CHRISTI AN. 640. SEVERINI PAPÆ 1. HERACLII IMP. 31. ROTHARII ITALIÆ REGIS 5.

Severinus Papa ordinatur; ejus professio fidei.

1. Post longam anni unius, mensium septem, & dierum decem & septem Rom. Sedis vacationem, hoc tandem anno, cum adhuc Isacius Exarcha Romæ esset, ut ait Anastasius, Severinus natione Romanus, post Honorii obitum communi cleri populique Romani consensu in Romanum Pontificem electus, tandem ordinatus est die 28. mensis Maii, quæ cum Dominica die concurrebat, quod tandiu ordinatio ejus dilata fuerit, Heraclium Imperatorem in causa fuisse, supra cum de ejusdem electione egimus, adnotavimus; eumque Ecthesim Heraclii Imp., seu Sergii CP. Episcopi formulam fidei, utpote Monothelitarum hæresi patrocinantem, rejecisse diximus; idemque quam Romani Pontifices in sua consecratione edere consueverant, confirmat professio fidei, qua inter cetera hæc habentur. *Profitemur etiam cuncta decreta Pon-*

Garner. Diurno Rom. Pontif. c. 3. tit. 6.

Pontificum Apostolicæ Sedis, idest Sanctæ recordationis Severini, Joannis, Theodori, atque Martini custodire, qui adversus novas quæstiones in urbe regia, & pro propria doctrina cuncta zizaniorum scandala amputasse noscuntur, profitentes juxta duarum naturarum motum, ita & duas naturales operationes, & quæcumque damnaverunt, sub anathemate damnamus, quæque susceperunt, suscipimus, & tota fidei integritate veneramur Ex his autem constat, Severinum Pontificem Ecthesim cum Monothelica hæresi condemnasse, ac synodali sententia anathemate confixisse, cum ibidem non tam Severini sententiam se sequi profiteantur, sed potius *Apostolicæ Sedis decreta*. JESU CHR. AN. 640.

2. Diu tamen Romanam Sedem non tenuit Severinus Papa, nam die 28. Maii hoc anno ordinatus, prima die Augusti vivere desiit, vir sane longiore vita dignus; in cujus laudem hæc Anastasius refert. *Hic renovavit Apsidem B. Petri Apostoli ex musivo, quod dirutum erat. Hic dilexit clerum & omnibus bonis* (sive donis) *augmentavit. Fuit autem Sanctus, benignus super omnes homines, amator pauperum, largus* & *mitissimus. Fecit Episcopos per diversa loca numero quatuor. Hic divisit omni clero rogam integram; qui etiam sepultus est ad Beatum Petrum Apostolum sub die quarto nonas Augusti; & cessavit Episcopatus ejus menses quatuor, & dies viginti novem*. Seu potius 24. ut ait Pagius.

Severini Papæ obitus, & gesta.

Pag. not. 6. an. 639.

3. Cum autem Romana sedes, post Severini obitum, menses quatuor, dies 24. vacasset, Joannes hujus nominis quartus, natione Dalmata, filius Venantii Scholastici, Romanus Pontifex est ordinatus, qui prædecessoris sui vestigia calcans Synodo Ecthesim cum Monothelitica hæresi condemnavit, at cum desinente jam anno, seu die 24. Decembris ordinatus fuerit, ad proximum annum hæc dicenda reservamus.

Joannes quartus Pontifex Rom. ordinatur.

4. Interea cum Scotorum aliqui in ea opinione, seu potius errore essent, ut Paschale festum luna decima quarta cum Judæis celebrandum censerent; ac Pelagiana hæresis, tot vulneribus confossa, iis in locis tanquam e cineribus excitata, iterum serpere cœpisset, Scotorum plurimi fidei zelo accensi, ut ingruentibus malis remedium ferrent, legatos cum litteris suis ad Severinum Pontificem miserunt, quæ cum Romam Severino mortuo delatæ essent, Joannes in

Scotorum legatio ad Severinum Papam de Paschatis celebratione.

JESU CHR. AN. 640.

in ejus locum electus, etsi nondum ordinatus esset, ad eorum quæstiones rescripsit, ut in historia Anglorum narrat Beda his verbis: *Sed & Joannes, qui & successori ejusdem Honorii Severino successit, cum adhuc esset electus in Pontificatum pro eodem errore*, de tempore Paschatis scilicet, *corrigendo, litteras ad eos magna auctoritate atque eruditione plenas direxit, evidenter astruens, quia Dominicum Paschæ diem á quintadecima Luna usque ad vigesimam primam Lunam (quod in Synodo Nicæna probatum est) oporteat inquiri: nec non & pro Pelagiana hæresi, quam quod eos reviviscere dicerat, cavenda ac repellenda, in eadem illos epistola admonere curavit, cujus epistolæ principium hoc est. Dilectissimis & sanctissimis Thomiano, Columbano, Chromano, Dimano, & Batbano Episcopis &c., Hilarius Archipresbyter & servans locum sanctæ sedis Apostolicæ, Joannes diaconus, & in Dei nomine electus. Item Joannes Primicerius & servans locum sanctæ sedis Apostolicæ, & Joannes servus Dei Consiliarius ejusdem Apostolicæ sedis. Scripta, quæ perlatores ad sanctæ memoriæ Severinum Papam adduxerunt, eo de hac luce migrante, reciproca responsa ad ea, quæ postulata fuerant, siluerunt. Quibus reseratis, ne diu tantæ quæstionis caligo indiscussa remaneret, reperimus quosdam provinciæ vestræ contra Orthodoxam fidem, novam ex veteri hæresim renovare conantes, Pascha nostrum, in quo immolatus est Christus, nebulosa caligine refutantes, & quartadecima Luna cum Hebræis celebrare nitentes &c.* Eademque epistola, ut ab Pelagiana hæresi caverent, hortatus est; *quia*, inquit Joannes, *non solum per istos ducentos annos abolita est, sed & quotidie a nobis perpetuo anathemate sepulta damnatur*; Epistolæ autem Cleri Romani Hilarius Archipresbyter primus in subscriptione legitur, ante Joannem Diaconum, etsi is Romanus Episcopus electus esset. Unde constat Romanæ sedis administrationem sede vacante, nequaquam apud electum Pontificem fuisse, sed potius apud Archipresbyterum, Archidiaconum, & Primicerium Notariorum, uti jam supra ad annum 590; adnotavimus, cum de Sancti Gregorii electione verba fecimus.

Eadbaldi Regis Cantuariæ in Anglia obitus, cui Earcombertus succedit.

5. Hoc anno, ut narrat Beda, Eadbaldus Cantuariæ in Anglia Rex vivere desiit, relicto Regni hærede Earcomberto filio, quo regnante felicioribus progressibus Anglicana ecclesiæ-

clesia amplificata est. Eadbaldus porro cum post patris Ethelberti obitum ad Idola rediisset, Evangelicum semen, quod tunc temporis vix satum erat, tanta excrescente zizania vix fructum afferre potuit, aut inter spinas pene suffocatnm remansit; ad meliora tamen conversus Eadbaldus christianam fidem instaurare conatus, sub filio Ercomberto, & Regni hærede, res ecclesiæ feliciorem exitum sortitæ sunt. *Anno Dominicæ Incarnationis* 640. ait Beda, *Eadbaldus Rex Cantuariorum transiens in hac vita, Ercomberto filio regni gubernacula reliquit, quæ ille suscepta, viginti quatuor annis, & aliquot mensibus nobilissime tenuit. Hic primus Regum Anglorum in toto regno suo idola relinqui ac destrui, simul & jejunium quadraginta dierum observari, principali auctoritate præcepit: quæ, ne facile a quopiam possent contemni in transgressores dignas & competentes punitiones proposuit. Cujus filia Eartongatha, ut condigna parenti soboles, magnarum fuit virgo virtutum, indesinenter semper serviens Deo, in monasterio, quod in Regione Francorum constructum est ab Abbatissa nobilissima, vocabulo Fara, in loco, qui dicitur Brige. Nam eo tempore necdum multis in regione Anglorum monasteriis constructis, multi de Britannia, monasticæ conversationis gratia, Francorum, vel Galliarum monasteria adire solebant, & filias suas eisdem erudiendas, ac sponso cœlesti copulandas mittebant.* Monasterium in quo Eartongatha vixit, cui Fara, Borgondofora etiam dicta, multis annis præfuit, adhuc extat, ait Pagius, Gallice *Fare monstier*, dictum, seu Fare monasterium, sed de eo, aliisque celeberrimis ea ætate extantibus in Gallia monasteriis, in actis, & annalibus Ordinis S. Benedicti, ut Gallicos Annalistas præteream, plura lector videre potest; sicuti vitas Monachorum, monacharumque, qui in iis hoc labente seculo sanctitate, vel doctrina floruerunt; cellas penarias ubi hi flores conduntur, cum Baronio ad hunc annum, indicasse contenti.

Beda hist. Angl. lib. 3. c. 8.

6. De Bertulpho Bobiensi monacho, & Abbate nonnulla ad annum 625. de Ariovaldo Longobardorum Rege agentes, adnotavimus, eumque Attalæ in Præfectura monasterii Bobiensis successisse anno 627. diximus; De ejusdem obitu; *Qui per tredecim annos*, ait Jonas ejus discipulus, *omni diligentiæ studio, plebem docere ac imbuere salubribus monitis non omisit*, usque dum beatam cum mortali vita commuta-

Bertulphus Bobiensis monasterii Abbas moritur.

JESU CHR. AN. 640.

tavit anno decimotertio, ex quo Abbas electus fuerat; ideft, ab anno 627. ad labentem, quo obiit. Is consanguineus S. Arnulphi Metensis Episcopi fuit, cum quo postquam aliquandiu moratus esset, ad S. Eustasium Luxoviensem Abbatem transiit; *Quo diu subjectus, sanctæ regulæ religionique gratus omnibus mansit*; At cum Luxovium advenisset ex Italia Beatus Attala, cum dum in Italia rediit, comitatus est, & in cœnobio Bobiensi sub ejus obedientia permansit, cumque egregiis moribus, & doctrina polleret, Attala mortuo, tertius Bobiensis monasterio Abbas fuit; qua in præfectura usque ad labentem annum perseverans, ad Deum abiit; cujus memoria die 16. Augusti martyrologio Rom. recolitur.

Arnulphus Metensis Episc. obiit.

7. Bertulpho Abbati consanguineum ejus Arnulphum Metensium olim Episcopum, addimus, quem hoc eodem anno obiisse demonstrat Pagius. Is porro, ut supra diximus, Episcopali abjecta sarcina, in solitudinem se receperat, ubi cum orationibus & jejuniis usque ad labentem annum vixisset, ad Deum abiit; uti ad hunc annum adnotat Sigebertus in chronico; Morienti *Præsto illi fuit vir religiosissimus Romaricus cum ceteris monachis*; ait auctor vitæ ejus, *qui allatum sanctissimum corpus illius, cum dignitate & honore, quo valuit, in Castello habendo, sepulturæ tradidit*; quo in loco Romanum monasterium condidisse adnotat Pagius, at Arnulphi cadaver, *anni fere jam acto tempore, vir electissimus successor ejus Goericus Episcopus, consilio inito, coacervata clericorum, seu etiam populorum caterva ingenti, adscitis quoque duobus Episcopis, sanctum una pergunt ad Eremum*, ac Arnulphi corpus inde Mettas transtulit, ut ait auctor anonymus, & coevus vitæ S. Arnulphi, quem Jonam Bobiensem monachum fuisse suspicatus est Baronius, at cum Mabillonio, alium, & quidem ignotum etsi coevum, ejusdem vitæ auctorem fuisse probat Pagius nota 8. ad an. 631. Arnulphi memoria duobus diebus Martyrologio Romano recolitur, scilicet 15. Kal. Aug. seu die 18. Julii, & 17. Kal. Septemb. seu 16. Augusti, quorum alter ad obitum, ad translationem corporis ejus alter spectat, at de his plura apud Pagium videri possunt.

S. Eligius, & Audoenus Episcopi ordinantur.

8. Duo interea præclarissimi viri, qui Gallicanam ecclesiam sanctitate & doctrina illustrarunt, hoc anno ad Episcopalem ordinem evecti sunt, Eligius scilicet Noviomensis Epi-

Episcopus ordinatus, & Audoenus Rothomagensis, de quorum ordinatione una die, unoque loco facta, hæc narrat Audoenus in vita S. Eligii a se conscripta paulopost illius obitum lib. 2. cap. 2. *Convenientes igitur simul in civitatem Rothomagensem quartodecimo die mensis tertii* (idest Maii) *tertio anno Clodovei juvenculi adhuc Regis, die Dominico ante letanias, inter catervas populi, inter agmina clericorum, inter choros psallentium, consecrati sumus ab Episcopis pariter Episcopi, ego Rothomago, ille vero Noviomio*. Hæc Audoenus de sua, & Eligii ordinatione; at de ambobus nonnulla separatim sunt adnotanda, ac primo de Eligii moribus, & gestis usque ad Episcopatum, ex eodem Audoeno vitæ ejusdem auctore; Eligius itaque in Candilliacensi oppido prope Limoges in Galliis natus, ac christiana institutione educatus, Aurifabrilem artem primum exercuit; Parisios deinde transiens, Clotharii primum, deinde Dagoberti Francorum Regum, tum ob artis excellentiam, cum ob morum integritatem, amicitiam familiaritatemque promeruit; ita ut, cum Dagobertus S. Amandum rogasset, ut filium suum Sigebertum sacris undis ablueret, ac is ne in aula versari, ac secularibus negotiis implicari cogeretur, renueret, *Rex misit ad eum Dadonem, atque cum eo venerabilem virum Eligium, qui tunc in Palatio Regis sub seculari degebant habitu &c.*. Iisque hortantibus, tandem Amandus cessit, & Dagoberti filium baptizavit, ut narrat auctor vitæ S. Amandi, cumque Eligius inter fabrilia auri & argenti opera, piis operibus, ac præcipue orationibus, lectioni sacræ scripturæ, ac jejuniis vacaret, ac ex Clotharii, & Dagoberti munificentia ditissimus esset, in summa tamen paupertate vivebat, ac quidquid in auro, & argento, aut in possessionibus terræ habuit, in egenis, viduis, pupillisque sublevandis, vel captivis redimendis insumebat: Monasterium quoque Solemniacense, aliaque fœminarum Asceteria ædificavit, dotavitque, itaut eodem tempore ditissimus ac pauperrimus esset; tot autem virtutibus stipatus Eligius, cum ejus fama per Gallias quotidie augeretur, tandem ut tamquam lucerna supra candelabrum posita magis magisque inclaresceret, cum amicissimo sibi Dadone, seu Audoeno Episcopus Novionensis, ut supra diximus, ordinatus est, ut pluribus Audoenus in ejus vita narrat, de cujus gestis iterum sermo redibit. De Audoeno, sive Dadone S. Eli-

JESU CHR. AN. 640. Eligii gesta usque ad Episcopatum.

De Audoeno ejusque gestis usque ad Episcopatum

Jesu Chr. an. 641. Eligii familiarissimo pauca addimus, qui nobilibus piisque parentibus in Svessionensi territorio genitus, sanctissime quoque educatus fuit, ac puerulus adhuc in aulam missus, cum Eligio, qui tum in aula tamquam aurifaber, & nummariæ officinæ Præfectus eminebat, familiaritatem contraxit, cujus exhortationibus, & exemplo excitatus, ipse quoque in seculari abitu, ac inter aulæ proceres facile Princeps, nam Referendarius, seu Cancellarius Dagoberti Regis erat, monasticam vitam, orationibus, & jejuniis intentus, agebat; Unde cum in maxima apud omnes æstimatione esset, post Romani obitum Rothomagensis ecclesiæ clerus, & populus a Clotario secundo obtinuit, ut ejusdem ecclesiæ Episcopus ordinaretur, uti supra jam diximus, cetera ab eo post Episcopatum gesta suo loco dicenda reservamus.

Chlinthila Hispaniarum Rex moritur. 9. Hoc anno Chintila piissimus Hispaniarum Rex, quo hortante quintum Toletanum concilinm Hispaniæ Episcopi celebrarunt, vivere desiit, cui Tulga filius ejus successit. Quare in chronico Fredegarii cap.82.Anno 2. Clodovei Regis legitur, Tulgam patri defuncto successisse; Clodovei autem annus secundus Regni cum labenti 640. concurrebat, ait Pagius nota 17. ad hunc annum; Chinthile annos tres, menses octo, dies novem in chronico Vulsa tribuit.

JESU CHRISTI an. 641. Joannis Papæ 4. an. 2. Heraclii Constantini, Heracleonis, et Constantis Imp. an. 1. Rotharii Italiæ Regis an. 6.

JoannesPapa Heraclii Ecthesim in synodo Rom. condemnat. 1. Hoc anno Joannes hujus nominis quartus, desinente anno elapso ordinatus, cum Romæ ex Italiæ Episcopis Synodum congregasset, Heraclii Imp. Ecthesim, & Monothelitarum hæresim Synodali sententia anathemate confixit, ejusque exemplo excitati Africæ Episcopi, eamdem hæresim condemnarunt, ut diserte Theophanes his verbis narrat: *Joannes Romanus Præsul, collecto Episcoporum concilio, Monothelitarum hæresim anathematizavit, similiter & in Africa penes Bizacium, Numidiam, & Mauritaniam diversi Episcopi convenientes Monothelitas anathemate percuderunt*; sicque apostolica auctoritate Imperatoriæ sanctionis vis omnis & auctoritas excidit, ac spes Pyrri CP. Episcopi exaruit, dum datis ad eumdem Ioannem Papam litteris, in suam partem trahere

here conatus fuerat, ut ex epistola Agathonis Pontificis constat, ubi hæc leguntur. *Itemque Pyrrus in confirmatione Typi, & in aliis pro Cyro Alex. satisfaciens, unam voluntatem, & operationem intelligere se demonstrat, & in scriptis ad sanctæ memoriæ Joannem Papam unam voluntatem & unam operationem Dominum nostrum Jesum Christum habere demonstrat*. Joannem vero Papam in Synodo Romana Monothelitarum hæresim condemnasse indicat professio fidei, quæ a Romanis Pontificibus fiebat, cujus verba anno proximo retulimus, in qua Severini, & Joannis Pontificum decreto, nova Monothelitarum dogmata condemnata fuisse traditur; In ea tamen Synodo Joannes Sergii CP. Episcopi, quem anno proximo obiisse diximus, pepercit, quem in epistola ad Constantinum Heraclii filium, & successorem, *venerandæ memoriæ Episcopum* dicit; unde patet eum in ea Synodo damnatum non fuisse, cum hactenus de dogmate unius, vel duarum in Christo operationum tantummodo quæstio agitaretur, non de personis, quas obstinato animo hæresi subscribere nondum credebatur: Hinc S. Maximus in dialogo cum Pyrro, interrogatus ab eo, qua ratione hæc quæstio sopiri posset, aperte respondit: *Alius non est modus, quam taceri personas, & anathemate affici talia dogmata*.

Joannis Papæ epistola seu Apologia pro Honorio Papa; ad Heraclium Constantinum Imp.

2. Neque hic Joannis Papæ zelus pro tuenda catholica fide stetit; sed cum sciret ex Honorii Papæ silentio, & indulgentia, Romanæ ecclesiæ dignitatem, auctoritatemque periclitari, atque ex Honorii Papæ litteris ad Sergium datis in Occidentali, & Orientali orbe fideles scandalum pati, quasi Honorius ejusdem cum Sergio, Cyro, ceterisque Monotheliticæ sectæ antesignanis, sententiæ fuisset, Joannes inquam Papa, ut tantis occurreret malis, post Heraclii Imp. obitum, ad filium ejus Constantinum Heraclium litteras hoc eodem anno dedit, quibus Honorii Papæ famam ab impacta hæresis suspicione purgare conatus est, ac ea, quæ ad Sergium de unica in Christo voluntate scripserat, catholico sensu, juxta Honorii mentem, intelligenda esse apertissime demonstrat: Hinc post præfationem, addit. *Quantum ex diversis suggestionibus, quæ ad nos catervatim venerunt, quinimmo & ex ipso quoque auditu didicimus, omnes Occidentales partes scandalizatæ turbantur, fratre nostro Pyrro Patriarcha per litteras suas hac atque illac transmissas nova quæ-*

JESU CHR. AN. 641.

quædam, & præter regulam fidei prædicante, & ad proprium sensum, quasi sanctæ memoriæ Honorium Papam decessorem nostrum attrahere festinante, quod a mente catholici patris erat penitus alienum. Igitur ut vestra benignitas causam totam rei discere possit, subtilissima veritate, quæ ante brevis intercapedinem temporis gesta sunt, enarrabo. Sergius reverendæ memoriæ Patriarcha prædicto sanctæ recordationis Romanæ urbis Pontifici significavit, quod quidam in Redemptore nostro D. Jesu Christo duas contrarias dicerent voluntates: quo præfatus Papa comperto, rescripsit ei, quia Salvator noster sicut esset monadicus unus, ita et valde mirabiliter super omne genus hominum conceptus & natus esset; Atque ex his, unicam in Christo voluntatem Honorium dixisse probat, quatenus sine peccato conceptus, mentis & carnis pugnam non sustinebat, quasi duæ in eo, sicuti in ceteris hominibus, mentis & carnis voluntates essent; Quare post plurima. *Unde scientes, quod nullum in eo cum nasceretur, & conversaretur esset omnino peccatum, decenter dicimus, & veraciter confitemur unam voluntatem, in sanctæ ipsius dispensationis humanitate, & non duas contrarias mentis & carnis prædicamus, secundum quod quidam hæretici, velut in puro homine delirare noscuntur*. Deinde *secundum igitur hunc modum jamdictus decessor noster prænominato Sergio Patriarchæ percunctanti scripsisse dignoscitur, quia in Salvatore nostro duæ voluntates contrariæ, idest in membris ipsius penitus non consistunt*, quoniam nihil vitii traxit ex prævaricatione *primi hominis*. Et iterum post plurima in eamdem rem. *Prædictus ergo decessor meus docens de mysterio incarnationis Christi dicebat non fuisse in eo sicut in nobis peccatoribus, mentis & carnis contrarias voluntates, quod quidam ad proprium sensum convertentes, divinitatis ejus & humanitatis, unam eum voluntatem docuisse suspicati sunt; quod veritati omnimodis est contrarium*. Constantinum deinde Imp. rogat, ut Ecthesim patris sui nomine vulgatam revocare dignetur: *Comperimus autem*, inquit, *quod charta quædam mandata sit, in qua Sacerdotes subscribere coacti sunt, contra tomum B. memoriæ Papæ Leonis, & Calchedonensem Synodum, in qua charta quædam sint per novitatem composita, quæ dogma ecclesiasticum refutare dignoscitur. Inspiret ergo divina clementia christianissimæ pietati vestræ, ut cum sitis cu-*

Ut Ecthesim revocaret Joannes Heraclium Constantinum hortatur.

custodes immaculatæ fidei nostræ, vos ad conpunctionem incitet, quo eos, qui novis sunt adinventionibns corrumpendi, imperatoriis sanctionibus arceatis, & prædictam chartam, quæ in scandalum properat fidei, & locis publicis est suspensa, præcipiatis depositam scindi; omnes enim, qui in Occidentalibus partibus hoc audierunt, & omnes populi, qui sunt regiæ vestræ urbis, cognita prædictæ chartæ concinnatione corde perculsi sunt; atque ut initia Imperii sui tam egregio facinore, ideft Ecthesis revocatione Deo dicaret, enixe hortatur; *Quatenus vobis, ea quæ sunt Dei curantibus, Deus quæ vestra sunt perficere dignetur &c.*.

Jesu Chr. an. 641.

3. Pro Honorio etiam Pontifice Apologiam non uno in loco texit Sanctus Maximus acerrimus catholicæ fidei defensor & martyr, atque eum in epistola ad Sergium scripta, nil, quod catholicæ fidei adversaretur, scripsisse probat, & ut prætereamus ea, quæ in epistola ad Marinum presbyterum, & in altera ad Petrum virum illustrem scripsit, in qua Honorium, cum Severino, & Joanne Pontifice eadem docuisse his verbis docet. *Quid autem & divinus Honorius, quid vero & post illum Severinus senex, quid denique & is, qui post hunc extitit sacer Joannes*. Joannis autem Pontificis pro Honorio Papæ Apologiæ in litteris ad Heraclium Imperatorem insertæ, ac Maximi martyris eodem de argumento epistolarum ad Marinum Presbyterum, & ad Petrum virum illustrem mentio fit ab Anastasio Romanæ ecclesiæ bibliothecario in epistola ad Joannem Diaconum, qua non solum se iis subscribere innuit, sed multa etiam in ejusdem excusationem, & defensionem addit.

Maximi Apologia pro Honorio Papa.

4. Maximus autem ut Honorium Pontificem ab omni hæresis suspicione vindicaret, in dialogo, quem cum Pyrro habuit, Honorii mentem, ex scriptore epistolæ ejusdem ad Sergium eruendam esse docet, qui cum idem fuerit, ac is, qui epistolam Joannis nomine ad Heraclium Constantinum scripsit, quique in ea Honorii Apologiam inscripsit, hinc certo consequi adnotat, Honorium Pontificem, nil quod catholicæ fidei adversaretur, in sua ad Sergium epistola scripsisse; cum etenim hæc dixisset Pyrrus. *Quid de Honorio ad respondendum habes, qui aperte decessori meo unam voluntatem Domini nostri Jesu Christi esse tradidit*? Maximus: *Quis fuit fide & auctoritate dignus epistolæ ejus interpres*? *is*,

Maximi argumenta pro Honorio Papa.

JESU CHR. AN. 641. *is, qui eam ex persona sancti Honorii scripsit adhuc superstes, & qui totum Occidentem cum aliis virtutibus, tum pietatis dogmatibus illustravit, an hi, qui Constantinopoli ex suo corde loquebantur?* Pyrrhus: *ille, qui hanc scripsit.* Maximus: *is igitur, cum ad divum Constantinum seu Imperatorem rursus ex persona Ioannis Papæ de hac epistola scriberet, dixit unam voluntatem: diximus in Domino, non divinitatis ejus & humanitatis, sed humanitatis solius. Cum enim Sergius scripsisset, quod quidam duas voluntates in Christo contrarias dicerent, rescripsimus Christum non duas voluntates contrarias habuisse, carnis, inquam, & spiritus, sicut nos habemus post peccatum, sed unam tantum, quæ naturaliter humanitatem ejus signabat. Hoc autem ita esse, argumentum evidens est, meminisse membrorum & carnis, quæ quidem in divinitate non licet intelligere.* Hæc, & alia ibi, quibus Honorii Papæ fides ab hæresis labe purgatur, etsi major in scribendo cautio, aut in catholica tuenda fide vigilantia in iis ad Sergium epistolis desiderata sit, ut supra adnotavimus.

Heraclii Imp. obitus ac de ejusdem virtutibus, & vitiis.

4. Heraclius interea Imperator sive continuis belli expeditionibus fatigatus, seu potius mœrore confectus, quod Imperium Orientale Seracenorum irruptionibus scindi, ac vastari cerneret, e vivis hoc anno excessit, die undecima Februarii, ut adnotat Pagius. Cum annos triginta, menses quatuor, dies sex imperasset; *Testamentum edidit*, ait Nicephorus, *quo Constantinum, & Heraclium filios suos æquo jure hæredes Imperii constituit, adeo ut uterque Martinam conjugem suam tamquam matrem, & Imperatricem coleret. Quibus ordinatis postremo tandem moritur, ætatis anno exacto sexagesimo sexto, Imperii trigesimo, quartoque insuper mense, & die sexto.* Chronicon vero Alexandrinum, *defunctus est, ait die Dominica, nona Februarii.* Princeps quidem meliori exitu & fortuna dignus, virtutibus exornatus, ac vitiis obrutus, in bello fortissimus ac felicissimus, dum adversus Persas arma intulit; extremo autem vitæ suæ tempore adversus Seracenos ignavissimus æque ac infelicissimus. Eademque inconstantia ecclesiarum defensor, ac protector, ac catholicæ fidei vindex, at ultimis Imperii sui annis, ecclesiarum perturbator, ac catholicæ fidei destructor, dum Ecthesim suam, sive fidei formulam, ad Monothelitarum hæresim fovendam publicavit, aut suo nomine edi permisit;

Hoc

Hoc unum in ejusdem excusationem afferri potest, ut eum catholica retenta fide obiisse, dicamus, quod in iis per ignorantiam peccavit, nam agitata tunc a Monothelitis quæstio de una, aut duabus in Christo voluntatibus, ecclesiæ adhuc sub judicio pendebat. Unde nil mirum virum Principem, de theologicis quæstionibus, iisque obscurioribus, uti ea erat, quæ tum in apertum ex Monothelitarum officina prodierat, omnino ignarum, trium Patriarcharum Orientalis ecclesiæ secutum fuisse sententiam.

Heraclius Ecthesim non suam, sed Sergii Cp. Episc. fuisse declarat.

5. Ad excusandum Heraclium procliviores nos reddunt in eamdem rem ejusdem gesta. Cum etenim accepisset a Joanne Pontifice in concilio Romano, atque ab Occidentalibus ecclesiis Ecthesim suo nomine vulgatam ubique rejici, & damnatam fuisse, seque in hæresis suspicionem vocari, cum hæc inquam scivit, non mediocriter commotus, ut hanc a se infamiam depelleret, cum suarum virium, nequaquam esse sciret, posse insurgenti opinioni seu hæresi, cui tres, ut diximus, Orientales Patriarchæ subscribebant, opponere, ac resistere, ne tanta infamia laboraret, & ubique in Occidente decantaretur hæreticus, atque suum nomen ore omnium maledictis proscinderetur ubique: illud excogitavit consilium, quo famæ suæ & nomini optime consuleret atque prospiceret, nimirum ut novo promulgato edicto, tam in Oriente, quam in Occidente Orthodoxis omnibus innotesceret, Ecthesim illam suo nomine promulgatam, suam non esse, sed Sergii Constantinopolitani Episcopi, ab ipso conscriptam, eumdemque curasse, ut Imperatoris nomine ederetur, quo majorem vim sibi ex ejus nomine compararet. Sicque Heraclius existimavit tantam se posse vitare infamiam, qua nomen suum esset ubique respersum. Hæc quidem ita se habuisse, docent Acta publica in Senatu Constantinopolitano confecta, cum sub Constante Imperatore Monothelita causa sancti Maximi tractaretur, dum ipse sanctus niteretur illis persuadere, ut ipse Constans, qui Typum promulgasset hæreticum, si vellet ea carere ignominia, proderet scriptis auctorem, sicque faciendo, avum suum imitaretur Heraclium. Sed reddamus hic publicorum Actorum verba, quæ sic se habent: *Cum vero audisset dominus Troilus in toto Occidente Typum anathematizari, dicit Dei servo*, Maximo scilicet: *Pulchrumne est, quod pii domi-*

Jesu Chr. an. 641. *domini nostri existimatio contumelia afficitur? Respondit servus Dei: Ignoscat iis Deus, qui auctores fuerunt domino, ut Typum faceret, & iis, qui assensi sunt. Dicit Troilus: Qui auctores? Quinam assensi sunt? Respondit servus Dei: Qui sunt Ecclesiæ, impulerunt; Principes concesserunt: & ecce obnoxiorum sordes in insontem, & ab omni hæresi purum aspersa est. Verum consilium hoc ei date, ut sui avi, nempe Heraclii Imperatoris piæ memoriæ exemplum sequatur. Ille enim cum sensisset a nonnullis in Occidente probrum sibi aspergi, edicto se liberavit omni Ecclesiastica reprehensione, hæcque scripsit: Ecthesis mea non est, nec ego dictavi, aut fieri jussi: verum cum Sergius Patriarcha quinque ante annis condidisset, quam ab Oriente redirem, oravit me, postquam ad hanc felicem urbem adveni, ut nomine meo promulgaretur cum subscriptione. Ejus hortatu id feci. Nunc vero cum cognoverim eam a nonnullis oppugnari, decluro ad omnes, non esse meam. Hoc Jussum.* Edictum scilicet, *fecit ad beatum Joannem Papam, qui damnarat Ecthesim in iis, quæ tum ad Pyrrum scripta sunt. Ac Sergii ex illo tempore Ecthesis habetur. Faciat hoc, qui nunc pie nobis imperat, & ejus existimatio penitus omni vituperatione carebit*: Quid autem hæc audientes Judices responderint, suo loco dicenda sunt; Atque hæc ad Heraclii excusationem dicta sufficiant.

Constantinus & Heracleonas Imperium obtinent.

5. Heraclio defuncto, duo filii ejus Constantinus scilicet, quem ex priori uxore Eudoxia susceperat, & Heraclius, sive Heracleonas ex Martina genitus Imperium obtinuerunt. At Constantinus cum menses quatuor Imperium post patris obitum obtinuisset, morbo correptus mortuus est; Novercæ insidiis, ac veneno, ut creditum est, interemptus, ut ipsa cum filio suo Heraclio imperaret; Unde Theophanes, postquam Heraclii mortem narravit, de Constantino addit. *Martinæ novercæ Pyrrique Patriarchæ opera veneno propinato interiit, & Heracleonas Martinæ filius cum matre potestatem obtinet*; Eademque narrant Nicephorus, & Cedrenus.

Heracleonas Imperio dejicitur, ac Constans sufficitur.

7. Non diu tamen perfidiæ fructibus Martinæ matri frui licuit, nam ut adnotat Cedrenus. *Imperium Heracleonas cum matre Martina tenuit menses sex*; totius tragœdiæ seriem, relata Constantini morte, his verbis exhibet Nicephorus. *Postquam Heraclius, seu Heracleonas, appellatur, quo cum communiter Martina Imperium administrabat, Cyrum Alexandriæ*

driæ Patriarcham in Sedem restituit; *Philagrium vero detonsum in Septæ Castellum relegavit*, *ceteros quamplurimos*, *quos amicos ejus atque administros reperit*, *verberibus atque aliis suppliciis affecit*. *Hæc ubi Valentinus Philagrii armiger accepit*, *militares copias contra Martinam*, *& ejus filios commovet*. Fuerat Philagrius rerum privatarum Comes, dum Constantinus imperavit, qui Imperium ejus filio Constanti, quem Nicephorus *Heraclium* vocat, asserere volebat, ut ait ibidem Nicephorus, qui subdit: *Post hæc per vindemiæ tempora*, *cum cives animadvertissent*, *vites suas a Valentini exercitu vastari*, *neque sibi in ulteriora transitum permitti*, *adversus Pyrrum coitione facta*, *Heraclium Constantini filium coronare jubent*. *Pyrrus vero populari illo tumultu ac seditione illa perspecta*, *contra jactabat*, *non idcirco rebellasse illos*, *sed ut Valentino Imperium assererent*. Instante nihilominus plebe, re ad Imperatorem delata, Heraclium patruelem suum statim ad templum adductum, ab Pyrro Imperatorem coronari jussit, eumque mutato nomine Constantinum appellavit.

Pyrrhus CP Ecclesiæ renunciat, cui Paulus subrogatur.

8. His gestis Pyrrhus CP. Episcopus in templum ingressus, ibi sacris omnibus salutatis, ac detracto humerali, & in sacra mensa deposito; *Non Sacerdotio* inquit, *me abdico*, *sed contumaci populo cedo*. Inde furtim egressus, apud religiosissimam quamdam fœminam delituit, & opportunitatem nactus Chalcedonem navigavit, Interim dum Valentiniani Chalcedone morarentur, Heraclius Imp., & Martina, ne amplius suburbana popularentur, pacem cum eo, idest Constantino jurejurando firmatam inierunt, adjecta eidem & Comitis Excubitorum, ut Romani vocant, dignitate; Quibus peractis Paulus majoris Ecclesiæ Æconomus Patriarcha Constantinopolitanus eligitur, octobri mense indictionis 15. ait Nicephorus, sicque Pyrrhus CP. Episcopus, ejusdem cum Martina, & Heracleona perfidiæ particeps, pœnam sceleribus suis etsi imparem dedit, ac CPoli excedens in Africam perrexit, quam ab Imperatore defecisse sciebat, ibique tres annos permansit, usquedum triennio exacto Romam sub indictione tertia advenit, ut ibidem dicturi sumus, atque in ejus locum ab Imperatore Constante Paulus Monothelita hæreticus suffectus est.

Constans Joannis Papæ litteris respondet.

9. Dum de Joannis Pontificis gestis hoc anno egimus, eum

Jesu Chr. an. 641.

eum litteras ad Constantinum Heraclii filium, cum patri successisset, dedisse diximus, quibus eum hortatus est, ut Imperii sui primitias catholicæ fidei defensioni dicaret, ac Patris sui Ecthesim e medio tolleret; morte præventus, his litteris Constantinus respondere non potuit: At vices patris filius ejus Constans, cum vix hoc anno Imperii clavum recepisset, explevit; Rem gestam narrat Eutychius Alex. Patriarcha in annalibus, longe post Baronii obitum editis, quibus constat Joannis Pontificis votis satisfactum fuisse. Constantis autem Imperatoris epistolæ hoc est exordium. *Accepimus sancte excellens mandatum tuum &c.*, de abroganda autem charta, sive Ecthesi, hæc narrat. *Atque illud, quod de charta comburenda, in qua calumniæ essent in Leonem Patriarcham Romanum sanctum, & in concilium Chalcedonense, ratum habuimus ipsamque igni tradidimus*, Ad hanc Constantis Imp. epistolam respicit Theodorus in sede Romana Joannis successor, dum in synodica ad Paulum CP. Episcopum scribens, eidem exprobat, quod eam chartam ab ecclesia non abstulerat, uti in excerptis Anastasii pag. 50. legitur; *Cum ea, quæ a Pyrrho adversus Apostolicam sedem nostram ad subversionem synodalium decretorum prolata sunt, tam per dogma sedis Apostolicæ, quod expositum est a prædecessore nostro, quam per jussionem filii nostri mansuetissimi Principis destructa sint, quamobrem fraternitas tua a publicis locis, chartam, quæ suspensa, pridemque cassata fuerat, non abstulit*. Hanc quidem epistolam non a Constante, sed a Constantino Pogonato ejus filio scriptam fuisse indicat Eutychius, at in eo posterioris ævi scriptores errasse, uti Eutychio contigit, mirum non est, cum a Constante scriptam fuisse constat.

Rotharis Rex Longobardorum Regnum in Italia dilatat.

10. Post Heraclii obitum, cum Orientales Imperii vires in dies Seracenorum excursionibus, & internis dissidiis imminuerentur, ita ut ad sustinendum in Italia bellum, nec vires adessent, nec voluntas, Rotharis Longobardorum Rex, Regni sui dilatandi occasionem sumpsit, ac finitis vel violatis induciis, quas hactenus cum Romanis Longobardi servaverant, arma in eos convertit, & quidquid in Ligustico littore Romanum Imperium hactenus retinuerat, occuparunt, strages ubique deferentes, de quibus Fredegarius in chronico cap. 71. hæc narrat. *Chrotarius (sive Rotharius) cum exer-*

exercitu Genevam maritimam, seu Genuam, Albinganum, Varicottim, Jaonam, Ubitergium, & Lunam civitates littoris maris de Imperio auferens vastat, rumpit, incendio concremans, populum diripit, spoliat, & captivitate condemnat, murosque earum usque ad fundamentum destruens, vicos has civitates nominare præcepit. Hæc Fredegarius in eo vix excusandus, dum inter urbes Ligusticas, Ubitergium recenset, quod in Veneto littore positum erat; Fredegarii errorem Paulus Diaconus emendavit dum adnotat, *Rotharium Regem Romanorum civitates ab urbe Lunense, universas, quæ in littore maris sitæ sunt, usque ad Francorum fines occupasse*, deinde addit; *Opitergium quoque civitatem inter Tarvisium; & Forojulii positam pari modo expugnavit, & diruit*. His addit, quod Romani Ravenna cum exercitu egressi, obviam Longobardis facti, ingenti clade prope Mutinam ad flumen Sculternam, sive Panarum affecti sunt, qua octo millia Romanorum ceciderunt; Hæc autem circa hæc tempora accidisse, ad hunc annum 641. observat Muratorius, cui Zanetti in historia Longobardorum subscribit. lib. 3: pag. 307.

JESU CHR. AN. 641.

JESU CHRISTI AN. 642. THEODORI PAPÆ I. CONSTANTIS IMP. 2. ROTHARIS ITALIÆ REGIS 7.

Joannis Papæ obitus, ejus effusa largitas.

1. Cum Joannes Papa Romanam ecclesiam sanctissime per annum unum, menses novem, dies 18. administrasset, vivere desiit, ait Anastasius; *Qui etiam sepultus est ad Beatum Petrum Apostolum sub die 4. Idus Octobris*: Hunc vero in pauperum necessitatibus sublevandis promptissimum, & liberalissimum fuisse, idem Anastasius indicat. *Hic temporibus suis misit per omnem Dalmatiam seu Istriam multas pecunias per fidelissimum & sanctissimum Martinum, propter redemptionem captivorum, quos depredati erant Gentiles*. Etenim Slavi, sive Sclavi in illas regiones grassantes, magnam multitudinem captivorum abduxerant, quos Joannes Papa redemit, qui eo liberior fuit in erogandis Ecclesiæ thesauris, quod haud pridem viderat eos in damnum Romanæ Ecclesiæ fuisse ab Honorio congregatos. Sciebat enim inhiare Imperatores, eorumque ministros in bona Ecclesiarum, quorum rapacitatem non semel experti fuerant. Ut igitur malum anteverteret, consuleretque Romanæ Eccle-

siæ indemnitati, illud satis utile existimavit esse remedium, si, ut S. Laurentius fecerat, thesaurum Ecclesiæ in paupcres continuo erogaret, nullum tutiorem sciens esse locum ad thesauros recondendos, quam pauperum sinum. De Sclavorum porro irruptione non in Dalmatia solnm, sed usque ad Beneventanum Ducatum, & ad Sipontinam urbem agit Paulus Diaconus, ubi a Rodoaldo duce victos ac fugatos ibidem fuisse adnotat.

Reliquiæ Martyrum e Dalmatia Romam translatæ.

2, At qui pecuniam pro redimendis captivis in Dalmatiam misit Joannes Papa, locupletiorem thesaurum Romam inde transferri curavit, reliquias scilicet sanctorum martyrum, ne in tanta barbarorum irruptione aut violarentur, aut disperderentur, easque in Oratorio a se erecto juxta Lateranensem ecclesiam, collocari præcepit. *Eodem tempore*, ait idem Anastasius, *Joannes Pontifex fecit & ecclesiam beatis martyribus Venantio, Anastasio, Mauro, & aliis pluribus martyribus: quorum reliquias de Dalmatia, & Istria adduci præceperat, & recondidit eas in ecclesia suprascripta juxta fontem Lateranensem, juxta Oratorium B. Joannis Evangelistæ, quam ornavit & diversa obtulit dona*. Martyrum etiam imagines ibidem musivo opere fieri jussit, quas adhuc ibidem cum hac inscriptione extare tradit Baronius;

Martyribus Christi Domini pia vota Joannes
Reddidit Antistes, sanctificante Deo.
At sacri fontis simili fulgente metallo
Providus instanter hoc copulavit opus,
Quo quisquis gradiens, & Christum pronus adorans,
Effusasque preces impetrat ille suas

Fecit etiam Joannes Papa arcus argenteos duos, pensantes singuli libras quindecim, sicuti & alia multa argentea vasa.

Theodorus Papa Joanni succedit.

3. Post Joannis obitum, *Cessavit Episcopatus mensem unum dies* 13.; ait Anastasius, ac Theodorus natione Græcus Romanus Pontifex die octava Decembris, quæ in Dominicam incidit ordinatus est; de cujus gestis infra dicturi sumus.

Osualdi Anglorum Regis obitus, & sanctitas.

4. Hoc anno 642. ut auctor est Beda; *Regnavit Osvaldus Rex christianissimus Nordambymbrorum novem annis, adnumerato etiam illo anno, quem & feralis impietas Regis* *Brit-*

Brittonum, *&* *Apostasia demens Regum Anglorum detestabilem fecerat*, *quo completo annorum curriculo occisus est*, *commisso gravi prœlio ab eadem pagana gente*, *paganoque Rege Merciorum*, *a quo & prædecessor ejus Eduinus peremptus fuerat die quinta mensis Augusti*. Cum Osvvaldus sancte vixisset christianæque religionis propagator fuerit, post obitum inter Sanctos inscribi meruit, de cujus virtutibus, & miraculis plura habet Alfordus in annalibus ecclesiæ Anglo Saxonæ ad hunc annum, ejusque vitam exhibent die quinta Augusti Bollandistæ, Bailetius, aliique; In Regno fratrem naturalem Osvvinum successorem habuit, ait Beda, qui addit, *Ossa illius*, idest Osvaldi; *translata & condita sunt in monasterio quod diximus*; *Porro caput & manus cum brachiis a corpore præcisas*, *jussit Rex qui occiderat*, *in stipitibus suspendi*. *Quo post annum deveniens cum exercitu successor regni ejus Osvvinus*, *abstulit ea*, *& caput quidem in cæmeterio Lindisfarnensis Ecclesiæ*, *in regia vero civitate manus cum brachiis condidit*. Quis non dixerit, si oculis tantum carneis ista inspiciat, Osvvaldum miserrimo fine clausisse diem, & a Deo quodammodo derelictum fuisse? At angusti animi id cogitare indicium est, cum divini oraculi testificatione certum sit, utcumque acciderit, pretiosam esse in conspectu Domini mortem sanctorum ejus, ac visos quidem illos oculis insipientium mori, verum eosdem esse in pace, atque una cum Christo in cœlis regnare, quem etiam post obitum multis inclaruisse miraculis addit; inter cetera de eodem adnotat. *Cujus quanta fides in Deum*, *quæ devotio mentis fuerit*, *id post mortem virtutum miraculis claruit*; *namque in loco*, *ubi pro patria dimicans a paganis interfectus est*, *usque hodie sanitates infirmorum & hominum*, *& pecorum celebrari non desinunt*; *Unde contigit*, *ut pulverem ipsum*, *ubi corpus ejus in terram corruit*, *multi auferentes*, *& in aquam mittentes*, *suis super huc infirmis multum commodi afferrent*: *qui videlicet mos adeo increbuit*, *ut paulatim ablata exinde terra*, *fossam ad mensuram staturæ virilis reddiderit*. *Nec mirandum in loco mortis illius infirmos sanari*, *qui semper dum viveret infirmis & pauperibus consulere*, *eleemosinas dare*, *& opem ferre non cessabat*. Hæc Beda, de Osvaldo Rege, qui plura etiam miracula ejus intercessione peracta eodem loco commemorat.

Jesu Chr. an. 642.

5. Hoc

Jesu Chr. an. 642. FulgaHispaniarum Rex regno dejicitur,cuiChinthasuintus succedit.

5. Hoc etiam anno Fulga Hispaniarum Rex, cum annos duos, menses quatuor regnasset, ut habet Vulsa in Chronico, Regno dejectus est, cui Chinthasuinta, seu Chinthasuintus successit. Vaseus quidem in Chronico, & Mariana lib. 6. historiæ Hispanicæ cap. 8. quæ de Fulgæ depositione narrat Sigebertus suspecta habet, atque eum fato functum fuisse scribunt, at si Fredegarium hujus temporis scriptorem vidissent, vera eum scripsisse cognovissent, eadem quippe Fredegarius scribit, ac capite 82. chronici sui addit Chindasuintum, collectis senatoribus plurimis, ceteroque populo in Regnum evectum fuisse, ac cognita Gothorum levitate in expellendis Regibus, (uti mox in Fulgæ dejectione evenerat) quotquot noxios esse cognovit, jussit interfici, alios exilio condemnavit, quæ sane Fredegarii verba Fulgæ depositionem certiorem reddunt, ut plura addere superfluum sit.

Fredegarius chronicon suum absolvit. *Hist. letter. Galliæ tom. 3. pag. 587.*

6. Ad hunc annum, qui Clodovei Regis quartus erat, chronicon suum absolvit Fredegarius, historicus hujus ætatis satis diligens, quem Clotario tertio regnante historiam scripsisse inde liquet, quod in ea mortis Chintasuinthi Hispaniarum Regis, & Archinoaldi Majoris Domus Clotarii mentionem facit; Epitomen quoque sex priorum librorum S. Gregorii Turonensis scripsit, quos forte tantum præ manibus habuit, desinitque ad annum Gunthramni 23., & in Chilperici Regis nece, quæ anno 584. patrata est, huic libro hunc apposuit titulum, *Gesta Francorum epitomata*. Huic autem libello subtexuit chronicon a morte Chilperici Regis ad annum 4. Clodovei junioris, ac res gestas annorum 64. continet, & tanquam appendix historiæ Turonensis passim inscribitur, ac cum capite 90. absolvitur, hinc quæ sequuntur, ab Anonymo auctore adjecta sunt, etsi Fredegario inscribantur, uti apud Pagium videre est, qui plura in Fredegarii chronicon adnotat.

JESU CHRISTI an. 643. Theodori Papæ 2.
Constantis Imp. 3. Rotharii Italiæ Regis 8.

Omar Seracenorum Princeps Templum Hierosolymis ædificat.

1: Cum ab annis aliquot, nemine resistente Palestinam, & Metropolim ejus Hierosolymam occupasset Omarus Seracenorum Princeps, hoc anno in ea urbe Templum, seu Seracenorum delubrum, quod Moschea communiter dicitur,

citur, ædificavit; & quidem magnificentissimum, uti Theophanes, ceterique Græci historici narrant, *Dumque ædificia non consisterent*, subdit Theophanes, *Judæi causam rogati exposuerunt, nempe Crucem contra positam, sicque Crucem, quæ Templo montis Olivarum imposita erat, deposuerunt, atque ita demum ædificia firmata sunt; atque hæc res Christi osoribus occasionem præbuit multas Cruces deturbandi*. Templum mira magnificentia extructum, largisque possessionibus ditatum fuisse narrat Gulielmus Tyrius, ac sua ætate integrum fuisse addit, in quo intus & extra, *Opere Mosaico Arabicis idiomatis litterarum vetustissima monumenta erant, quæ illius temporis esse creduntur, quibus & auctor impensarum quantitas, & quo tempore opus inceptum, quoque consummatum fuerit evidenter declaratur*. Sed plane mirandum fuit, quod nonnisi depositione sanctissimæ Crucis erigi poterit templum Serracenorum: ex quo virtus & potentia Crucis enituit, qua stante, necesse sit dæmones cedere, eorumdemque conatum & vires infringi: quod & accidit sub apostata Juliano, cum faterentur dæmones se Cruce penitus superatos. Quod autem Deus, dempta Cruce, permiserit invalescere Sarracenos, nihil præterea dicendum, quam quod idem Deus ob peccata populi exaltaverit adversus eum Assyrios. Sed illud accidit Crucis virtute mirandum, quod cum tot fuerint insignia Hierosolymis templa, egregia Christianorum Imperatorum monumenta, nullum eorum vindicare sibi sint ausi dominantes impii Sarraceni, sed libera omnia prioribus usibus fuerint Christianis relicta, eademque ut antea frequentata a totius terrarum orbis fidelibus, prout quæ inferius dicturi sumus, aperte demonstrabunt.

JESU CHR. AN. 643.

2. Inter hæc novis tumultibus Italia quatitur, nam Mauritius Chartularius, cujus opera Lateranense Palatium, & ecclesiam Isacius Exarcha expoliaverat, cum adversus Imperatorem, & Exarchum rebellasset, ac in Italia tyrannidem usurpare contenderet, adversus eum Donum magistrum militum cum exercitu Isacius Exarcha misit, qui Romam ingressi, Mauritius a suis timore perculsis, derelictus, *Fugit ad Beatam Mariam ad Præsepe* ait Anastasius; ac inde eductus, *Miserunt bojam in collum ejus, similiter & omnibus, qui in consilio cum ipso fuere, & bojatos misit Ravennam per manus Marini Scribonis & Thomasii Chartularii, qui deducen-*

Mauritius chartularius scelerum dat poenas.

Jesu Chr. an. 643. *centes eos, pervenerunt juxta civitatem Ravennatem in locum; qui dicitur ad Ficuldas, duodecimo milliario longe a civitate, & ibi decollaverunt Mauritium, quia sic in mandatis acceperunt a supradicto Isacio, ut vivus civitatem Ravennatem non ingrederetur. Et postquam decollatus est, levantes caput ejus duxerunt Ravennam. Videns autem Isacius caput Mauritii, gavisus est, & fecit illud ad exemplum multorum in circo Ravennatæ super stipitem poni. Illos autem, qui cum ipso directi fuerant, omnes bojatos jussit arcta custodia in carcerem mitti, cogitans quomodo eos puniret.*

Isacii exarchæ repentinus obitus. 3. At Deus, qui Isacii opera tamquam virga furoris sui usus fuerat ad vindictam scelerum Mauritii, mox ipsam quoque vindictæ suæ virgam disrupit, nam paulo post Isacius scelerum Mauritii particeps, ac auctor, dum sacrilegas in sancta manus injecit, ac vindictam in Mauritii socios meditaretur, repentina morte sublatus est; *Cum ea ageruntur mox nutu divini judicii, ipsis diebus percussus divino ictu Isacius mortuus est; hi autem, qui clausi erant, exeuntes de carcere, reversi sunt singuli per loca sua*, ait Anastasius; qui subdit. *Audiens hæc Imperator* (Constans) quod defunctus esset Isacius, *misit Theodorum patricium Exarchum, cui cognomentum Calliopa ad regendam omnem Italiam*, Ante Baronium, Anastasio testante, nemo dubitaverat, Isacii successorem fuisse Theodorum Calliopam, at cum in epistola S. Martini Papæ legisset Annalium Parens, anno 645. Pyrrum CPolitanum Episcopum, Monothelitarum hæresimRomæ coram Platone tunc Italiæ exarcho ejurasse; *Hi sunt CPoli*, inquit, *qui tunc erant Romæ, & sciunt quæ ibi gesta sunt, ex quibus interim superest Plato Patricius, qui tunc Exarchus erat, quique direxit homines tunc ad Pyrrhum Romam*, quæ sane verba indicant, anno 645. Platonem Italiæ Exarchum fuisse; Nihilominus Anastasio fidem non esse abnegandam contendit Pagius, itaut hoc anno Theodorus Calliopa successor Isacio datus fuerit, qui tamen anno 645. locum Platoni jam cesserat, quæ sane ceteris, quæ in hanc rem dici possunt verosimiliora sunt. Isacio defuncto, uxor ejus Susanna sepulchro mariti Epitaphium inscribi curavit, quod Græce, & Latine, ex Derubeis in historia Ravennatensi exhibet Baronius; quo ejus quidem bellica virtus, & quod urbem a Longobardorum infestationibus incolumen servaverit, laudatur, at de ejusdem, aut in Deum

Deum pietate, aut in ecclesiam reverentia ne verbum extat, quam nullam habuisse, ac turpiter in Lateranensis ecclesiæ expoliatione violasse scimus.

Paulus CP Episcopus hæresim occultat, ejus epist. ad Theodorum Papam.

4. Anno 641. Pyrrum CP. Episcopum hæreticum Monothelitam, sponte ecclesia cessisse, atque in Africam transiisse diximus, atque Paulum in ejus locum; Constantis Imp. jussu ordinatum fuisse adnotavimus: Hic porro, ut morem in ecclesia receptum retineret, synodicam ad Theodorum Papam epistolam scripsit, qua ita simulate se gessit, ut etsi Monothelitarum hæresi subscriberet, ab eodem nihilominus laudari meruit in epistola, quam ad eum Theodorus Papa dedit, qua inter cetera post longam Præfationem hæc leguntur. *Quoniam fide hominum corda purgantur; lecti apices dilectionis vestræ limpida fideifluenta vos de fontibus Salvatoris hausisse, & sicut prædicamus prædicare, & quemadmodum credimus, credere, & sicut docemus indiminute docere manifestarunt. His ergo ita se habentibus, cum ea, quæ a Pyrro adversus Apostolicam fidem nostram ad subversionem Synodalium Decretorum prolata sunt, tam per dogma Sedis Apostolicæ, quod expositum est a Prædecessore nostro, quam per jussionem filii nostri mansuetissimi Principis destructa sint: quamobrem Fraternitas tua a publicis locis Chartam quæ suspensa pridemque cassata fuerat non abstulit &c.. Si autem, quod absit hujusmodi scriptum amplectitur, cujus rei gratia nobis hæc per propria Synodica sua minime patefecit &c.? Porro mirati sumus, quia Episcopi, qui fraternitatem tuam consecraverunt, Sanctissimum illum in litteris suis dixerunt, idest Pyrrum; & quia propter vulgarem turbationem & odium Ecclesiæ hunc Constantinopolitanæ abrenunciasse significaverunt. Propter quod etiam in ambiguitate positi, quæ a Fraternitate vestra scripta sunt, judicaveramus ad modicum quid differre, donec jam dictus Pyrrus ab Episcopatu Ecclesiæ Constantinopolitanæ pelleretur. Nam turbatio, & odium populi Episcopatus gradum nescit auferre &c., Vivente itaque prædicto Pyrro, & nondum natura, vel culpa extincto, ne forte fieret Schisma, oportuerat præcaveri. Ut ergo Fraternitatis vestræ Sacerdotalis robustior ordo permaneat, oportet debitum adversus eum colligi Episcoporum ex propinquioribus locis conventum. Quatenus cum Fraternitate vestra prædicti Pyrri culpa regulariter exquiratur; Non enim præsentia ejus necessaria est, ubi ex-*

Theodori Papæ epist. ad Paulum CP Episc.

Jesu Chr. an. 643. *excessus ejus & scripta veritati repugnantia præsto sunt, ut cum de his dijudicatur, modis omnibus condemnetur. Primo quidem, quoniam Heraclium, qui anathematizavit inviolabilem Orthodoxorum Patrum fidem, diversis laudibus extulit, & sophisticam jussionem ipsius, in qua quasi Symbolum fidei composuit, subscribendo firmavit, furtivisque subreptionibus quosdam Sacerdotes apud se singulatim prædictam Chartam roborare coegit, & in publicis locis suspendere ad destructionem Chalcedonensis Concilii audaci transgressione præsumpsit*. Addit Theodorus se ab Imperatore per litteras enixius poposcisse, ut scilicet sæpedictum, Pyrrum ad hanc Romanam Urbem jubeat mitti, *quatenus ConventuSynodico a nobis effecto, pro sua temeritate judicetur &c.* Hæc, & alia plurima in eam rem Theodorus ad Paulum nuper CP. Episcopum ordinatum, quem aliqualem catholicæ fidei retinendæ, & vindicandæ zelum habere credebat.

TheodoriPapæ epist. ad episc. qui Paulum ordinaverant. 5. In eamdem causam alia ejusdem Theodori Papæ extat epistola ad Episcopos, qui Paulum CP. ordinaverant, inscripta, cum quibus, quod Paulum Regiæ urbis Episcopum ordinaverint, gratulatur; Sed Pyrrum, qui in Ecclesiis scandala seminaverat, ab iis antea canonica sententia dejiciendum, ac anathemati subjiciendum fuisse admonet; ac ut hæc agerent, hortatur. Unde post plurima. *Sunt capitula*, inquit, *quibus prædictus Pyrrus canonice potest ab omni Sacerdotali ordine pelli, Primum quidem, quia Heraclium, qui anathematizavit catholicam fidem, & Patres Orthodoxe sentientes, in litteris suis laudibus extulit, & per subreptionem per quosdam Sacerdotes, qui subscripserant, Sophisticam quoque chartam* (idest Ecthesim) *adversus Apostolicam fidem confirmare præsumpsit, & in publicis locis suspendere festinavit*, quam se anathemate dignam cum fautoribus suis, esse addit, ac tandem, quod in litteris suis Pyrrum ipsi sanctissimum dixerint, his verbis arguit. *Quoniam per litteras vestras prædictum Pyrrum Sanctissimum nominastis; Si enim alia taceamus, & nihil omnino peccavit aut in religionem, aut in doctrinam fidei, & nec una culpa damnavit, quam ob rem de propria est ejectus ecclesia. Sed fortasse quis dixerit, generale hoc odium fecit, sed vulgaris tumultus jus Sacerdotii auferre non potest, nec odio, sacro quemquam ordine denudare. Manifestæ quippe sunt canonicæ causæ, quæ jura Sacer-*

terdo talia recidere possint, nisi enim naturæ causa Præsul extinguatur, ecclesiam ejus alius non potest irreprensibiliter apprehendere. Et hæc quidem non contradicentes ordinationi prædicti fratris nostri Pauli &c.: Nam sæpe dictum fratrem nostrum in visceribus mentis nostræ complectimus, & fovemus, sed ne schismata fiant, fraterna providentia & affectione dilectionis terremur &c.. Hactenus Theodorus Papa in Pauli Episcopi laudem, & ad ecclesiæ CPolitanæ tranquillitatem fovendam; Non diu tamen sub ovina pelle latere potuit Paulus CP. Episcopus, nam cnm ex intimis præcordiis Monothelitarum hæresim foveret, ab Theodori Papæ apocrisariis qui CPoli erant rogatus ut fidem suam declararet, venenum tandem prodidit; quare cum eo inposterum tamquam cum hæretico agere cœpit Theodorus Papa, ut infra dicturi sumus.

6. Inter hæc autem cum gravissimis fluctibus catholica fides in Oriente Monothelitarum opera quateretur, si qui illic erant Orthodoxi Episcopi, unum sibi illud tantum reliquum esse remedium cognoscentes, in tanto naufragio conscendere naviculam Petri, quam scirent promissione Christi inter fluctus sæculi hujus solam navigare securam, nec ullis posse obrui undis, neque vorticibus absorberi, Romam se conferunt ad Theodorum Apostolicæ Sedis Episcopum, in tanta tempestate sollicite vigilantem clavumque summa prudentia moderantem. Alii vero non deserentes greges sibi commissos, per litteras id egere, ut inter ceteros Cypri insulæ Episcopi, qui Synodalem epistolam hoc anno ad eumdem Theodorum Pontificem scripserunt, licet in ea Metropolitani Episcopi nomen tantummodo exprimatur, Sergii scilicet; Epistola autem ipsa habetur in actis sanctæ Romanæ Synodi sub Martino celebrata ubi, Primicerius Notariorum Theophilactus ista est proloquutus: *Afferens*, inquit, *de venerabili scrinio, præ manibus habeo suggestionem Sergii Cypriensis Archiepiscopi, directam ab eo nuper transactam primam Indictionem, id est, ante septem annos, Theodoro beatæ memoriæ decessori vestro*. Hæc ibi tunc Theophilactus, quæ voluimus recensuisse ob certam ab eo expressam temporis notam, nempe hoc anno, quo prima indictio in cursu erat, In ea autem epistola Sergius Metropolita cum suis ejusdem insulæ Episcopis, traditæ semel a Sanctis patribus, & præci-

Catholici ad Rom, ecclesiam confugiunt.

Jesu Chr. An. 643. Synodalis epist. Episcoporum Cypri.

pue a S. Leone Papa fidei inhærere firmiter testatur, ac novitates vocum nuper inductas abhorrere indicat. *Nos autem*, inter cetera, inquit, *a Deo inspirati, & SS. Apostolorum consabulatores, & consacerdotes, quæ sapuimus confitemur, & confessi sumus a pristinis temporibus & ex ipsis cunabulis secundum sanctum ac beatissimum Papam Leonem, prædicantes omnibus, & confitentes, quod operatur utraque natura cum alterius communione &c.* deinde. *Multiloquium autem & contradictionem adversariorum non admittimus, quia parati sumus pro orthodoxa fide auxiliantibus vobis sanctissimis, & orantibus martyrium suscipere &c. Compendiose autem o sanctissime dicimus, ea, quæ ad eversionem & depositionem a Deo inspiratorum Patrum, & sanctissimi Papæ Leonis, nec non vestræ a Deo sapientiæ conscriptæ sunt, deponantur.* Ex his autem patet Theodorum Papam in Orientem Apocrysarios misisse, eorumque opera catholicæ fidei sinceram confessionem vulgasse, eosque qui eidem subscribere recusassent, anathemati subjecisse; In quam rem subdit Sergius: *Nam & nos sicut dictum est, jubentibus vobis dominis nostris, & a Deo inspiratis Patribus, percutimus eos anathematibus.* Hæc & alia Sergius cum Episcopis Cypri ad Theodorum Papam.

Stephani Dorensis Episc. ad Theodorum Papam.

7. Stephanum quoque Dorensem Episcopum legatum Romam ab Sophronio Hierosolymorum Episcopo ad Honorium Papam missum fuisse, supra anno 634. diximus; Is porro ea functus legatione, cum in Palestinam rediisset, ac hæresis Monothelitieæ venena latius in ea regione spargi videret, opera præsertim Sergii Joppensis Episcopi, qui alios Episcopos sui similes, ejusdemque hæresis infectos ordinaverat, a catholicis Palestinæ Episcopis rogatus Stephanus Romam rediit, quem iterum sub Martino Papa Romæ adfuisse videbimus; Theodorus autem Pontifex, ut hæc a Stephano accepit, ac catholicam fidem in Palestinam periclitari audivit, eumdem Stephanum Apostolicæ sedis auctoritate munitum remisit, ut Sergium, ceterosque hæreticos, aut hæresis suspectos ab Episcopatu deponeret, nisi dato libello catholicam fidem profiterentur, aut palinodiam canerent, ut ex libello ejusdem Stephani Sancto Martino Papæ oblato in concilio Lateranensi constat, quo inter cetera hæc narrat. *Ante Apostolicæ sedi innotui, idest Beatæ memoriæ decessori ve-*

vestro Theodoro, jussitque mihi indigno per sacram suam praeceptionem, ordinansque loci servatorem per Apostolica ejus scripta, quatenus tam ea, quae fuissent Ecclesiastica capitula, peragere debuissem, & canonice, si nullatenus emendarentur, qui sub denominato praetextu ordinati sunt Episcopi, deponerem eos. Quod & fecisse me certum est, & praecipue quoniam in errorem a veritate recedentes sponte delapsi sunt: tantumque illos recepi, secundum jussionem ejus, qui libellum poenitentiae obtulerunt, & professi sunt in scripto, conservare indesinenter, & amplecti atque praedicare SS.Patrum, & Synodorum doctrinas, quorum libellos nuper deferens, obtuli sacratissimae praesidenti sanctitati vestrae Martino ter beatissimo Papae, ab eo quod aliqui eorum merito recepti & confirmati sunt, aliqui vero pro tuitione Catholicae Ecclesiae condemnati sunt. Haec Stephanus ad Martinum Pontificem. Jesu Chr. an. 643.

8. Inter eos, qui adversus Monothelitas certantes, ex Oriente in Occidentem migrare compulsi sunt, ne ab haereticorum persecutionibus & perfidia opprimerentur, S. Maximus Abbas recensetur, qui cum toto vitae tempore pro pietate, & fide catholica tuenda pugnaverit, pro ea etiam martyrium subiit, ut suo loco dicturi sumus; Interea tanti viri primordia recensentes, adnotamus eum patria Constantinopolitanum fuisse, & antiqua nobilitate clarum, ac divinis humanisque litteris egregie excultum, ab Heraclio Imperatore, invitum fere, regiis commentariis praefectum fuisse, quo munere laudabiliter functus, cum Monothelitarum haeresim aulam invasisse cognovit, eidemque Imperatorem Heraclium patrocinari, suae saluti consulens, aulae abrenuncians, in Monasterio, quod ultra Chalcedonis littus situm erat, ac Crysopolitanum dicebatur, ingressus est, cujus etiam praefecturam gessit: *Cum autem videret*, ait auctor vitae ejus, *Monothelitarum tum haeresim propagari, misereque in dies ab impietatis defensoribus amplificari, ingemiscebat, & gravissimo luctu tenebatur, eos maxime miserans, qui nefaria agerent: nec vero habebat, quid faceret, sic malo in immensum effuso, totumque propemodum Orientem aggresso. Itaque in tantis malis hoc solum invenit sibi rebusque suis remedium. Nam cum intelligeret seniorem Romam tali scelere & piaculo carere, idemque quicquid erat in Africa, atque in aliis locis, ac circa insulas, hanc regionem deserens, illuc pro-*

Maximus Abbas in Occidentem migrat.

JESU CHR. AN. 643. *proficiscitur, patrocinium verbo veritatis daturus, ac eos, qui ibi erant, Orthodoxos conventurus.* Et post multa, de nefanda hæresi interloquutus, subjicit ista: *Romam venturus, primum in itinere convenit Africanos Episcopos: quibuscum sermones conferens, linguamque divina copiose loquentem movens, in fide confirmabat, edocebatque, ac monebat, quomodo possent adversariorum artes ac molimina effugere, atque ex eorum rationibus fallacibus & captiosis elabi. Sciebat enim vir imprimis intelligens, nobis peritia multa opus esse, multaque doctrina, ut in adversarios tela jaciamus omnemque eorum altitudinem destruamus extollentem se adversus scientiam Dei &c.* post multa vero de ejusdem pro tuenda catholica fide laboribus in Africa susceptis, & de disputatione ibidem cum Pyrro CPolitano olim Episcopo hæretico, anno 645. habita, ac de conciliis ab Africanis Episcopis in eam rem celebratis, quibus Monotheliticam hæresim condemnarunt; subdit. *Quod illi* (idest Africani) *ut facerent hortatione ac præceptis divini Maximi adducti sunt, non Africa solum, & ei finitimi, sed etiam si qui in aliis ibi insulis degunt hoc opus urgentes, ac summo studio rem præclaram gerentes, nam hi omnes illum præceptorem habebant ac Ducem, & rerum agendarum adjutorem &c.*. Hactenus de Maximi gestis hoc anno, cetera sequentibus annis.

Theoduri Papæ privilegium Bobuleno Bobiensi Abati datum suppositionis labe laborat.

9. In Cassinensi bullario a Margarino edito, privilegium Bobuleno Abbati Bobiensi datum a Theodoro Pontifice hoc anno legitur; quod etiam Ughellius in Italia sacra tomo quinto pag. 329. refert, cujus hæc est inscriptio. *Datum quarto nonas Maii, Imperii domini piissimi Augusti Constantini anno secundo, conss. primo, indict. prima anno Domini* 643. At tot sunt suppositionis argumenta, ut de ejusdem falsitate dubitari vix possit; In primis etenim Incarnationis epocha addititia est, cujus nonnisi post longa tempora in litteris suis usi sunt Romani Pontifices; insuper, qua ratione Theodorus Papa Rotharium Longobardorum Regem Arianæ hæresis sectatorem filium suum dixerit, vix constat, nec minus suspectum est privilegium Bobiensi Abbati tributum, *ut liceat Abbati ejusdem venerabilis loci Mitra, & aliis Pontificalibus uti*; Nam, hæc privilegia, ut Mitra scilicet, & Pontificalibus vestibus Abbates uterentur, nonnisi seculis aliquot elapsis a sede Apostolica concessum fuis-

fuiſſe conſtat ; ita ut S. Bernardus Abbas, hæc adhuc tamquam abuſus, & ſuperbiæ indicia, deploraret; Hinc Muratorius, ſuſpectæ fidei idem privilegium eſſe merito adnotat ad annum 643. cujus etiam falſitatem ſuſpicatus Mabillonius, nullam de eo mentionem in annalibus Benedictinis fecit.

JESU CHRISTI AN. 644. THEODORI PAPÆ 3.
CONSTANTIS IMP. 4. ROTHARIS ITALIÆ REGIS 9.

Paulini Rhofenſis in Anglia Episcopi obitus.

1. Redemptionis anno 644., *Anno ſecundo Oſcuvi*, ait Beda, *hoc eſt ab Incarnatione Dominica* 644. *reverendiſſimus Pater Paulinus, quondam quidem Eboracenſis, ſed tunc Epiſcopus Rhofenſis civitatis tranſiit ad Dominum ſexto Iduum Octob. die, qui decem & novem annos, & menſes duos, & viginti unum dies Epiſcopatum tenuit, ſepultuſque eſt in Secretario B. Apoſtoli Andreæ, quod Rex Edilbertus a fundamentis in eodem Rhofi civitate conſtruxit*; ac ſucceſſorem in Rhofenſi eccleſia habuit Sthamar, ab Honorio Dorovemenſi Epiſcopo ordinatum, ut eodem loco adnotat Beda; Quo etiam tempore chriſtiana fides apud Orientales Anglos mirifice propagata eſt opera, & zelo Furſei Hiberni, & Abbatis monaſterii Latiniacenſis in Gallia, cujus vitam duo auctores anonymi ſcripſere, quos Bollandus die 16. Januarii Mabillonius ſeculo ſecundo Benedictino exhibet; Quo autem anno Furſeus in Gallias tranſierit, ubi monaſterium Latiniacenſe fundavit, aut quo obierit, in obſcuro eſt, ac varias eruditorum opiniones refert Pagius nota 3. 4. 5. ad hunc annum: in re incerta pluribus non inmoramur; hæc tantum ex Beda de ejuſdem obitu, & corporis translatione referre contenti, quod cum adhuc in Galliis eſſet, & reditum in Britanniam Saxonicam meditaretur, ut quos ibi reliquerat fratres ſuos germanos *Tolianum*, & *Ultanum* inviſeret, *in itinere apud Macerias occubuit*; & iterum. *Infirmitate correptus diem clauſit ultimum, cujus corpus, idem Herconvaldus*, (ſeu Erchinoaldus Clodovei ſecundi Majordomus,) *patricius accipiens ſervavit in porticu quadam eccleſiæ, quam in villa ſua, cui nomen erat Perona, faciebat, donec ipſa eccleſia dedicaretur; quod cum poſt dies vigintiſeptem eſſet factum, & corpus ipſum de porticu ablatum prope Altare eſſet recondendum, inventum eſt ita illæſum*

Jesu Chr. an. 644.

sum, ac si eadem hora de hac luce fuisset egressus, sed & post annos quatuor constructa domuscula cultiore receptui corporis ejusdem, ad Orientem Altaris, adhuc sine macula corruptionis inventum, ibidem digno cum honore translatum est; Hæc de una, & altera translatione corporis S. Furfei Abbatis, & Anglorum Saxonum Apostoli Beda.

Sigebertus Orientalium Anglorum Rex occiditur.

2. Furfei Abbatis opera in conversione ad Christianam fidem Anglorum Orientalium usus fuerat Sigebertus Rex moribus & vita celeberrimus, quem inter sanctos Reges, & martyres commemorat Anglicanum martyrologium ad diem 27. Septemb. & die 7. Augusti supplementum martyrologii Gallicani. Is porro Regni curis abdicatis, & cognato suo Fricio commendatis, in monasterium a se constructum se se receperat, *Quod dum multo tempore faceret*, ait Beda, Penda Rex Merciorum adversus Orientales Anglos bellum suscepit; hi vero Sigebertum nolentem ac contradicentem de monasterio eductum, in certamen duxerunt, sperantes eo præsente, adversariorum impetum facilius superaturos fore; Is vero absque armis utpote monasticæ professionis tenax, virgam tantum in manu tenens ad hostes progressus, una cum Ericio Rege occisus est, Ericio autem & Sigeberto sublatis, successit Anna de regio genere, ut narrat Beda, quæ circa hæc tempora accidisse compertum est, quo autem anno ignoratur; de quibus plura ad hunc annum adnotat Pagius nota 6. 7. & 8., ut ibidem videre est.

Dagoberti Regis Francorum in Ecclesias munificentia, & testamentum

3. Ad hunc annum, qui apud nonnullos decimus quartus Dagoberti Regis Francorum erat, quique ex Pagii, & Danielis cronologia, quam sequimur, cum anno 445. concurrebat; ad hunc itaque annum vel ad sequentem, Bigargiensem conventum celebratum fuisse commemorant Francicæ historiæ scriptores, ex auctore de gestis Dagoberti, & Ajmonio, quo Rex adstans cum præcipuis Galliarum Principibus, & Regni proceribus testamentum suum obtulit, quo pro salute animæ suæ, plurimas Galliarum eccelsias latifundiis, & castellis, regia munificentia ditavit, de quibus hæc narrat Ajmonius. *Rex Dagobertus omnibus circumpositis gentibus nationibusque sibi subjugatis, paceque per circuitum facta, ad pietatem intendit. Utque se gratum cœlestibus in se supra modum fluentibus beneficiis demonstraret, universas pene Galliæ ecclesias patrimonii sui hæredes instituit. Convocatisque*

que filiis, *&* *turba amicorum*, *generale indixit placitum in loco noncupato Bigargio*; *ad quod propere convenientibus cunctis Franciæ primoribus*, *decimo Kal. Majas Rex solio residens aureo*, *hoc apud eos disseruit modo &c.* se scilicet testamentum suum scripsisse, quo præcipuas Galliæ ecclesias hæredes fecerat, cujus quatuor exemplaria exhibuit, sua, & filiorum Sigeberti & Hildovici subscriptione firmatam, et eorum unum ad perpetuam rei memoriam, Lugduno aliud Parisiis, tertium Mettis in ecclesiarum archiviis custodiendum tradidit, quartum denique, ut in thesauris suis servaretur, jussit; His subdit Aimonius; exemplar testamenti, quo basilicæ S. Vincentii Parisiis, ubi sepulturam elegerat, villam *Cumbis* prope Parisios donabat, Basilicæ S. Petri Parisii, *ubi sancta Genovefa requiescit in corpore villam* Dravernum in Brigejo. Basilicæ etiam S. Dionysii Parisiis *villam Bramatem in Brigejo*. Basilicæ Sanctæ Columbæ, & Domni S. Lupi Senonis. *Villam Grandecampum in Lautinensi*. Præterire tamen non possumus, quin adnotemus, hunc Bigariciensem conventum, una cum Dagoberti testamento, fictitium apud scriptores nonnullos haberi, Cointium scilicet in Annalibus Francorum anno 635. num. 8. Hadrianum Valesium lib.19. rerum Francicarum, de quibus etiam ne verbum habet Daniel in Francorum historia gallice scripta etsi Dagoberti gesta, & obitum diligentissime describat; Mabillonius econtra libro primo de re diplomatica cap. 6. num. 5., & lib. 4. pag. 251. Bigarciensem conventum, celebratum fuisse, non dubitat, ac oblatum in eo Dagoberti testamentum fuisse contendit; Nobis vero, qui judices inter præclarissimos viros sedere nolumus, hæc adnotasse sufficiat, nam supracitatos auctores lector curiosus consulere potest.

Jesu Chr. An. 644.

JESU CHRISTI An. 645. Theodori Papæ 4. Constantis Imp. 5. Rotharis Regis Italiæ 10.

1. Hoc Christi anno 645., indictione tertia, celebris disputatio inter Pyrrhum CP. Episcopum Monothelitam, & Maximum Abbatem in Africa, & ut probabile est, Carthagine coram Gregorio Patricio & Africæ Præfecto habita est; Anno quippe elapso in Africam, Monothelitarum persecu-

Disputatio Maximi cum Pyrrho.

populo, & cathedram ei poni juxta altare, honorans eum ut ſacerdotem regiæ civitatis: Hucuſque Anaſtaſius in Theodoro.

Disputationis præcipua argumenta.

3. Hæc autem Maximi cum Pyrrho collatio Baronii tempore tunc primum in lucem a Turiano edita, rem gratam lectoribus ſe facturum putavit, ſi non ſolum ejuſdem capita præcipua annalibus ſuis insereret, ſed etiam in appendice tomi integram Græce, & latine referret; Nunc vero cum ea apud Baronium, vel conciliorum editores, aut in SS. Patrum bibliotheca paſſim occurrat, ſtylo parcentes, ſumma tantum capita dabimus, ne diu difficillimis ſacrorum dogmatum quæſtionibus, inter vepres, ſpinaſque hæreticorum ſophiſmatum lectores detineamus, cum præcipue ob ſtyli ruſticitatem, ne barbariem dicam, inter flexuoſos anfractus, obſcuroſque receſſus, non uno in loco oratio vagetur, ita ut quo pergat, vix intelligi poſſit, diſputationi itaque his verbis Maximum compellans Pyrrus initium fecit; *Qua in re domine Abbas Maxime, ego, & is cui ſucceſſi tibi nocuimus, qui ubique nobis detrahis, & nos omnibus in ſuſpicionem de hæreſi venire facis. Quis umquam te, ne de facie quidem notum ſic honoravit, & coluit ut nos &c.*. Maximus vero ſe fidei tantum catholicæ zelo, ſe ei, ceteriſque ejuſdem opinioni ſubſcribentibus hactenus reſtitiſſe, addidit: *Cum vos aſpernati ſitis nunc dogma chriſtianorum, exiſtimavi pertimeſcendum mihi eſſe, ſi gratiam veſtram veritati anteponerem*; Hinc in quæſtionem, de una in Jeſu Chriſto operatione, & voluntate, quam Pyrrhus tuebatur, deſcenderunt; in qua cum diutius detenti eſſent, Pyrrhus quæcumqne in ſui erroris defenſionem afferri poterant, protulit, ac SS. Patrum auctoritatibus confirmare conatus eſt; Maximus vero ei contradicens, tum ſacrarum ſcripturarum cum SS. Patrum teſtimoniis, ſicuti duas in Chriſto voluntates, divinam ſcilicet, & humanam agnoſcendas eſſe demonſtravit, ita duas quoque in eo operationes confitendas eſſe longa oratione probavit.

Vigilium, & Honorium Rom. Pontifices vindicat S. Maximus.

4. Cum vero poſt Græcorum Patrum teſtimonia, quæ ſuæ cauſæ patrocinari putabat Pyrrhus, Vigilii quoque, & Honorii Rom. Pontificum auctoritatem in ſuæ hæreſis defenſionem attuliſſet, eum mentiri aperte Maximus adnotavit. Hæc quippe Pyrrus de Vigilio dixerat. *Quamodo igitur Vigilius tunc Pontifex Romanus libellum a Mena Epiſcopo hu-*

mus; atque cum Pyrrus in errore hactenus se fuisse cognovisset, veritati cedens, victas tandem manus dedit, ac palinodiam canens, hæc dixit. *Demonstratum profecto est in quæstione de operationibus, absurdum esse unam operationem in Christo dicere, quomodocumque dicatur. Sed veniam postulo tum mihi, tum iis, qui præcesserunt; ignorantia enim nos in absurdas istas sententias & argumentationes detorsit. Et obsecro, ut inveniam modum delendi hanc introductam absonam sententiam, & conservandi memoriam antecessorum:* Maximus: *Non est alius modus, quam taceri personas, & anathemate affici talia dogmata.* Pyrrus: *Et si hoc fiat, reperientur cum his ejecti Sergius, & Synodus meo tempore habita.* Maximus: *Subit me admiratio, quomodo Synodum voces, quæ non est habita ut leges & canones Synodici & jura Ecclesiastica jubent: nec enim epistola encyclica ex consensu Patriarcharum edita est, neque dies conveniendi decretus: non fuit aliquis actor, aut accusator. Qui convenerunt epistolas commendatitias non habuerunt, nec Episcopi a Metropolitanis, neque Metropolitani a Patriarchis: non epistola neque substituti ab aliis Patriarchis missi sunt. Quis igitur particeps rationis Synodum velit appellare, quæ scandalis & discordiis cunctum orbem implevit?* Pyrrus: *Si non est alius modus quam hic, pluris faciens salutem meam, quam cetera omnia, præsto sum ad faciendum hoc cum omni satisfactione: hoc unum & solum rogans, ut dignus habear in primis interiore aditu ædis Apostolorum, quin potius ad orationem ipsorum Principum Apostolorum, deinde ut videam faciem sanctissimi Papæ, eique tradam libellum eorum, quæ absurde facta sunt.* Maximus, & Gregorius Patricius dixerunt: *Quandoquidem tua propositio bona est, & Ecclesiæ utilis, sic fiat.* Hucusque disputatio, cui subjicit ista Maximus de his, quæ ab eodem Pyrro gesta sunt Romæ: *In hac ergo celeberrima urbe Roma, cum adesset nobiscum, promissum præstitit, damnavitque dogmata impiæ expositionis, seque per rectam confessionem cum catholica & Apostolica ecclesia conjunxit, gratia & cooperatione magni Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi, cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.*

§ 6. His cum Baronio addimus; Magnum sane tunc vidit primum Africa, deinde Roma spectaculum. Africa quidem, dum quem paulo ante aspexerat magnis animis Patriar- Spectaculum in Africa, & Romæ exhibitum.

guntur ex actis publicis accepta: *Dicit ad Martinum Papam Demosthenes rescriptor: Dic nobis ea, quæ de Pyrrho hic & Romæ subsequenter gesta sunt: Pro qua causa abiit Romam? jussus, an proprio proposito? Respondens sanctus Papa dixit: proprio proposito. Ait Demosthenes: Libellum illum*, fidei Catholicæ confessionis scilicet, *quomodo fecit? compellente aliquo; Respondet sanctus vir: Nemine, sed propria propositione. Demosthenes inquit. Veniente Pyrro Romam, quomodo eum suscepit sanctus vir Theodorus præcessor tuus Papa? uti Episcopum? Respondit æquanimis Papa: Uti Episcopum. Et quomodo non, si priusquam veniret Pyrrhus Romam manifeste scripsit Beatus Theodorus ad Paulum, utpote ad eum, qui supplantationem fecit, & alterius thronum invasit: deinde eodem Pyrro veniente Romam sponte sua ad vestigia beati Petri, quomodo non haberet eum suscipere & honorare, utpote Episcopum? Respondens Demosthenes dixit: Vere veritas sic se habet. Unde autem sumebat ea, quæ ad usum sui corporis erant necessaria? Dicit beatus manifeste: De Patriarchio Romano: Ait concertator: Qualis panis dabatur ei? Respondit honorabilis vir: Vos Domini mei nescitis Ecclesiam Romanam. Dico enim vobis quia quisquis venit illuc miserabilis homo hospitari, omnia ad usum præbentur ei, & nullum immunem suis donis S. Petrus repellit venientium illuc, sed panis mundissimus, & vina diversa dantur, non solum ei, sed hominibus ei pertinentibus. Si ergo in miserabilibus hominibus hæc fiunt: qui venit honorabilis sicut Episcopus, quales sumptus habet suscipere?* Vides, lector, munificentiam Romanæ Ecclesiæ erga hospites omnes, quibus panis mundissimus, & vina diversa impenderentur: præstabantur vero multo majora advenientibus illuc externis Episcopis. Sed pergunt acta: *Dicit ad eum Demosthenes: Nos didicimus, quia Pyrrhus vi fecit libellum Romæ, & quia vincula lignea sustinuit, & multa dolenda passus est. Respondit ille beatus, & dixit: Nihil tale factum est. Nam si qui a formidine aliqua tenentur, non possunt forte loqui veritatem: hic sunt Constantinopoli, qui tunc erant Romæ, & sciunt, quæ ibi gesta sunt; ex quibus interim superest Plato Patricius, qui tunc Exarchus erat, quique direxit homines suos tunc ad Pyrrhum Romam. Percontamini eum de his, si mentior. Verumtamen quid voluimus plurima quærere &c.*? Hæc de his, quæ

perfidia Martyr occubuit, ut infra dicturi sumus, sed etiam catholicos. Cum etenim ex publica illa cum Pyrrho disputatione habita, maximam sibi ubique famam comparasset, plurimorum adversus eum invidia excitata est, eique quod Pyrrhum laudaverit, exprobraverunt, aut quasi tres in Christo in scriptis suis voluntates admisisset, duos scilicet secundum duas in eo unitas naturas divinam, & humanam, tertiam vero secundum hypostaticam unionem personæ Christi, quam Deivirilem, seu Theandricam nuncupabant, idque ex ejusdem Maximi epistola ad Marinum quemdam data confirmare curarunt: quæ cum a monachis quibusdam Siculis audivit Maximus, Apologeticam ad eos scripsit epistolam cujus initium est; *Pax multa diligentibus legem tuam, & non est illis scandalum*, & post multa in eam rem, descriptis, *Ad Marinum quidem Presbyterum, varie & de diversis scripturæ capitibus scripsimus, non tamen ullo quovis modo de contrariis dogmatibus dictum est de una, inquam, & de duabus, idest quas ipsi fingunt in eodem & uno Christo tres operationes vel voluntates, quasi nos has in eodem similiter, ut ipsi constituamus, aut confiteamur Marino, aut ulli prorsum. Si enim quæ destruxi, hæc rursus ædifico, transgressorem me constituo, ut ait vas electionis. Unde epistolam, quam sic quidam proferunt, idest fingunt, tamquam a nobis ad Marinum missam, tamquam alienam omnino & non nostram nos ipsi abjicimus, & cunctos similiter, atque nos, ut abjiciant qui pie dominum confitentur, obsecramus, ut omnem occasionem adversariis intercidamus, qui excusant excusationes in peccatis, & studium contradicendi calumnia contegunt, quos quia non commendat ratio, proprio impetu veritatis fracta, aditum fallacem simplicioribus ad se confictis litteris moliuntur &c.*; Hæc, & alia Maximus ad Marinum de litteris suo nomine confictis. Ad quem genuina scripta extant, quorum mentionem in ea ad monachos Siculos scripta epistola, habet, atque inprimis extat epistola cujus initium est. *Cum tibi in Deo venerande Pater animo constitutum sit, ut laudatissimam cum Deo amicitiam ineas &c.*. Epistolæ autem polemicum opus addidit de duabus in Christo voluntatibus pluribus constans capitibus, quo etiam probat duas in Christo voluntates dumtaxat adstruendas, neque Deivirilem, quam Dionysius Areopagita dictus invexerat,

JESU CHR. AN. 645.

Maximi op. tom. 2. p. 58.

Maximi epist. 1. pag. 1. ad 27.

Jesu Chr. an. 645.

tertiam esse demonstrat, aut unam tantum, sed duas potius interpretandas, Dei scilicet & hominis; Quanti autem Maximus Marinum æstimaret, alia ejusdem Maximi epistola indicat, qua eum multis exornat laudibus, ut ibidem videre est, cujus etiam alia plurima supersunt opuscula, & epistolæ ab Combefisio duobus voluminibus vulgatæ. Quomodo autem pro catholica fide adversus Monothelitas certans, martyr occubuerit, suo loco dicturi sumus.

op. Maximi tom. 2. p. 69.

Omarus Seracenorum Chalifa obiit cui Othmanus succedit

II. Hoc anno, aut auctor est Theophanes, Omarus tertius Seracenorum Princeps seu Chalifa, postquam annis decem Seracenis præfuisset, eorumque Imperium per vastas Persici Imperii provincias dilatasset, ac Syriam, Palestinam, Ægyptum aliaque loca Romanis erepta occupasset, ac Damascum, Hierosolymam, Antiochiam, Alexandriam invasisset, postquam Cruces Hierosolymis deposuisset, ac furore plusquam barbarico, celeberrimam Alexandriæ bibliothecam, a Ptolomeo Philadelphio ptimum instructam, ac temporis tractu immensis pene voluminibus auctam, igne concremasset, tardos tandem, & sceleribus suis impares pœnas dedit, dum a Persa quodam lancea seu cultro percussus interiit, successoremque Othmanum ex Mahumetis familia habuit, pene septuagenarium, virum quidem Alcorani legibus addictissimum, sed supramodum colligendis pœcuniis deditum, quare cum vix biennio Seracenis imperasset, eumdem cum Omaro exitum habuit, de quibus plura in historia Arabum gallice ab Abbate Marigni edita, aut apud Derbellotium in bibliotheca Orientali videri possunt.

JESU CHRISTI an. 646. Theodori Papæ 5. Constantis Imp. 6. Rotharii Italiæ Regis 11.

Africani Episcopi hæresim Monothelitarum condemnant

I. Maximus Abbas disputatione sua cum Pyrro in Africa habita, non solum Pyrrum hæresim docuisse demonstraverat, eamque abdicare coegerat, sed Africanos etiam Episcopos ad eam arguendam excitaverat, iisque ad confodiendam arma subministraverat, quamobrem classicum quodammodo adversus eam hoc anno concinentes, in singulis fere Africanæ ecclesiæ provinciis, cum eorum Primatibus convenientes Episcopi, in conciliis suis eamdem hæresim condemnarunt, sicque qui erant Bizacenæ provinciæ, sub Ste-

Stephano Primate convenerunt Episcopi quadragintaduo; Numidiæ vero cum eorum Primate Colombo; Mauritaniæ autem Episcopi sub Reparato Primate sex, ex Proconsulari seu Carthaginensi provincia sexagintaocto Episcopi convenerunt, quibus Carthaginensis Episcopus Fortunatus, seu Fortunius non præfuit, nec præesse potuit, utpote qui cum Paulo CP. Episcopo hæretico communione, & ut par est credere hæresi sociatus, quem ideo ejusdem provinciæ Episcopi, tamquam mortuum, & ab ecclesiæ communione remotum habebant: de communione a Fortunato cum Paulo CP. Episcopo inita, in actis sextæ synodi actione 14. his verbis mentio fit. *Constantinus Deo amabilis Præsbyter, & grammaticus latinus dixit, scio Domine temporibus Pauli quondam Patriarchæ venisse Fortunatum, qui fuit Episcopus Carthaginensis, & cum missas acturus esset in sancta magna Dei ecclesia, quæsitum est quomodo sedere debuisset, utrumne ante Metropolitanos, qui hic morabantur, an post eos, & requirente eodem Paulo quondam Patriarcha in bibliotheca Patriarchæ librum quinti concilii, & exinde instructus idem Paulus fecit eum ordinabiliter sedere &c.*; ex quibus sane constat Fortunatum cum Monothelitis communionem fovisse.

Fortunatus Carthag. Episc. cum Paulo CP. communicat *Labb. concil. tom. 6. pag. 984.*

2. At Fortunato defuncto, seu ob hæresim amoto, in ejus locum Victor hoc anno ordinatus est, qui ut se catholicum esse probaret, fidei suæ professionem ad Theodorum Papam misit, cum legatis suis, Mellos scilicet Gippensi, seu Gissipensi Episcopo, Redempto Carthaginensis ecclesiæ notario. Extat Victoris epistola ad Theodorum Pontificem data in concilio Romano sub Martino Papa celebrato, cujus hæc est inscriptio. *Domino Beatissimo, & honorabili sancto fratri Theodoro Papæ Victor*. Eaque epistola, nonnullis in laudem Romanæ ecclesiæ prænotatis, se *die decimaseptima Kal. Augusti, indictione quartæ*; idest hoc anno in Carthaginensem Episcopum ordinatum fuisse narrat, eaque legatos suos ei commendat, ac ut ante hyemem ad se remittere dignetur, rogat. Deinde turbas in ecclesia Orientali excitatas, cum maximo animi sui mœrore accepisse addit, voces scilicet catholicorum; *Querentium & clamantium novitates, & continnationum figmenta a Paulo venerabili consacerdote nostro ut dicitur, contra fidem veracissimam approbare debere, repelli*. Se autem, & ceteros Africæ Episcopos

Victor. Carthag. Episc. ordinatur.

Victoris epist. ad Theodorum Papam.

JESU CHR. AN. 646. Orientalium errores, & Monothelitarum hæresim omnino averfari his verbis teftatur. *Nos autem temperamentum caufis innectentes, expedire putavimus prædictorum beatiſſimorum confacerdotum noſtrorum licet juſtiſſimos queſtus equanimiter ſupportare, & ad auditus venerandos fraternitatis veſtræ hoc ipſum pervigili cura deducere. Inquiunt enim, quædam vice epigrammatum, chartarum volumina in ſacris ædibus apud regiam civitatem nuper eſſe ſuſpenſa religioni Catholicæ, & ipſi veræ fidei, ac Patrum traditionibus omnino contraria. Quis enim vecors ſacrilega voce audeat prædicare in Domino noſtro Jeſu Chriſto aut unam tantummodo voluntatem, aut unam operationem exiſtere, dum manifeſtiſſimis Patrum definitionibus liquidius clareat, in Domino noſtro Jeſu Chriſto duas naturas, & earum duas voluntates, duaſque operationes vel proprietates naturales modis omnibus inveniri? Et poſſumus multiplicibus Patrum documentis noſtræ parvitatis intentionem firmare, niſi veſtram ſanctiſſimam fraternitatem in omnibus corde ea retinere, firmiſſime teneamus. Ut autem ipſius Sedis Apoſtolicæ decretis per omnia confirmemur, Leonis beatiſſimi prædeceſſoris veſtri Apoſtolicæ memoriæ definitionem inſeri pervidimus, quæ continet: Agit enim utraque natura cum alterius communione quod proprium eſt.* Hactenus S. Leonis verba; deinde *Nos itaque Patrum in omnibus decreta ſequentes in Chriſto domino noſtro duas naturas, earumque duas voluntates, duaſque operationes firmiſſime prædicamus, Deum verum atque hominem abſque delictis humanis veraciter confitemur, repudiantes cunctarum hæreſum ſubſannationes, vanitates, & inſanias mendaces.* Cum vero ob tumultus in Africa excitatos, feu ob Gregorii Africæ Proconfulis adverfus Conftantem rebellionem, cujus ad annum quintum Conftantis Imp. meminit Theophanes, in fufpicionem quoque veniffent Africani Epifcopi, eamque ob caufam Paulo CP. Epifcopo fcribere non poffent, ut eorum epiftola per apocryfarios Romanæ ecclefiæ CPolim mitteretur, Theodorum Pontificem his verbis rogant: *Poſſemus vero etiam eidem fratri & Coepiſcopo noſtro Paulo beatiſſimæ regiæ civitatis Antiſtiti ſimilia noſtris ſcriptis dirigere, niſi malorum cognoſceremus falſis locutionibus dictum fuiſſe, noſtram quaſi Africanam provinciam poſſe aliqua (quæ in vero non conſiſtunt) mala peragere, ſed & hoc noſtræ poſtulationi ſubjungimus, ut ea,*

ea, quæ epistolariter a Coepiscopis nostris sancti concilii nostri ad beatissimum Paulum Patriarcham scripta sunt, per vestræ beatitudinis responsarios, eidem fratri nostro Paulo dirigere jubeatis.

JESU CHR. AN. 646.

Victoris episc. epistola a Martino Papa commendata.

3. Hæc autem Victoris Episcopi Carthaginensis epistola, suggerente Theophilacto primicerio notariorum, qui dixit eam in sc[...]nio Romanæ ecclesiæ servari, lecta est in concilio Lateranensi sub Martino Papa sessione secunda, ac ab eodem Martino Papa his verbis laudata est; *Per synodicam epistolam suam, dudum nobis relectam Victor venerabilis Carthaginensis Episcopus tam ferventissimum zelum suum declaravit, quamque Deo amabilem humilitatem rationabiliter certus est ostendisse. Et zelum quidem per hoc, quod introductam novitatem nimis accusare nostræ Apostolicæ Sedi dignoscitur, & enarrare in scripto ei acclamationes pene omnium Christianorum, nec non gemitus reverendissimorum Episcoporum, non leviter (sicut ille scripsit) perturbatorum propter fictiones & commenta, quæ adversus veram confirmavit fidem Paulus Episcopus Constantinopolitanus: Humilitatem autem competenter, minime præsumens abrogatum eumdem Paulum habere, sed consacerdotem appellans, donec judicium de eo nostræ Apostolicæ auctoritatis, hoc est, principis Apostolorum Petri cognoscat, utpote quoniam solus & præ omnibus creditus est, atque accipere meruit a Rege Regum Christo Deo claves regni cælorum ad aperiendam recte credentibus in eumdem Dominum nostrum, & claudendum infidelibus hæreticis*. Nimirum cujus sit communionem Catholicam iis, qui foris stant, aperiendo Ecclesiam impartire, vel declarando hæreticos, claudere. Plura alia addit in commendationem ejus epistolæ, sed ista satis pro instituto nostro.

Synodalis epist. trium conciliorum Africæ.

4. Nunc ad Africana concilia hoc anno celebrata redimus, eaque tria fuisse supra adnotavimus, quorum communis extat synodalis epistola ad Theodorum Papam data, quæ lecta, & inserta est in concilio Lateranensi a Martino Pontifice celebrato; Cujus hæc est inscriptio. *Domino Beatissimo Apostolico culmine sublimato Sancto patri patrum Theodoro Papæ, & summo omnium Præsulum Pontifici; Columbus primæ sedis Episcopus concilii Numidiæ, & Stephanus primæ sedis Episcopus concilii Bizaceni, & Reparatus Episcopus primæ sedis concilii Mauritaniæ, & universi Episcopi*

JESU CHR. AN. 646. *de tribus conciliis antedictis Africanæ provinciæ*. Atque de Romanæ ecclesiæ dignitate, & Primatu supra ceteras, hæc præfantur. *Magnum & indeficientem omnibus christianis fluenta redundantem apud Apostolicam sedem consistere fontem, nullus ambigere possit, de quo rivuli prodeunt affluenter universum largissime irrigantes orbem Christianorum; cui etiam in honore beatissimi Petri Patrum decreta peculiarem omnem decrevere reverentiam in requirendis Dei rebus, omnino & sollicite debent, maxime vero justeque ab ipso Præsulum examinari vertice Apostolico, cujus vetusta sollicitudo est, tam mala damnare, quam probare laudanda. Antiquis enim regulis sancitum est, ut quicquid quamvis in remotis vel in longinquo positis ageretur provinciis, non prius tractandum vel accipiendum sit, nisi ad notitiam almæ sedis vestræ fuisset pronunciatio firmaretur, indeque sumerent cæteræ Ecclesiæ velut de natali suo fonte prædicationis exordium, & per diversas totius mundi regiones puritatis incorruptæ maneant fidei sacramenta salutis. Quocirca humillimum vestro Apostolico culmini persolventes obsequium, cum lachrymis suggerimus, quod sine cordis gemitu reticere non valemus, ante hoc temporis spatium exosum apud Constantinopolitanam civitatem novitatis commentum ad nos usque opinanter fuisse delatum: & ut hactenus siluissemus, putavimus serenissimo examine vestræ Apostolicæ sedis fuisse defectum. Quod ubi pertinaciter cognovimus invalescere, relegentes videlicet libellum Pyrri nostri fratris & Coepiscopi dudum ejusdem Constantinopolitanæ civitatis apud vestram venerabilem sedem prolati, relationem qualem necessitas exigit fratri Paulo nunc Constantinopolitanæ civitatis Ecclesiam occupanti emisimus, exhortantes cum nimio fletu, jam dictum novitatis commentum, non quidem suis temporibus adinventum, a suo videlicet auctore confutatum, a se quoque vel ab omni Ecclesia, cui præsidet, repellere & chartas omnes præ foribus ipsius S. Ecclesiæ ad scandalum populorum suspensas projicere; qualiter fides, quæ nunc usque remansit integra, & Apostolica eruditio illibata servetur.* Deinde vocum novitates in ecclesia vitandas esse tradunt, quia vero se Paulo CP. Episcopo scribere prohibebantur; *Quia*, ut subdunt, *in quamdam suspicionem nostra Africana a malignis hominibus apud memoratam regiam civitatem, recitata est provincia, antedictam relationem memorato fratri Paulo*

Paulo CP. Antistiti transmissam, vestræ Dei amabili beatitudini direximus, quam rogamus humiliter per vestræ sacratissimæ sedis responsales transmittere, qualiter propere cognoscamus, si memoratus superius frater a nefandæ se novitatis adinventione, ad integram reformaverit orthodoxæ fidei prædicationem, quod si dissimulaverit, auctoritas almæ sedis vestræ juxta patrum sanctiones salubri consilio pertractabit a sano corpore separare vulnus insanum, remotoque morbi sævientis flatu, cautius quæ sunt sincera perdurent, & grex purior ab hac mali contagione, spiritali vestri culminis ferramento purgetur.

JESU CHR. AN. 646.

Synodalis epist. concilii Bizaceni ad Constantem Imp.

5. Quid porro epistolæ a tribus Africæ conciliis ad Paulum CP. Episcopum scriptæ continerent, in obscuro est, cum amplius non extent, has tamen cum altera ad Theodorum Pontificem scripta in synodo Lateranensi lectas, & a Martino Papa laudatas fuisse concilii acta testantur. Eodemque tempore Bizacenum concilium ad Constantem Imp. alteras scripsisse litteras, ac honorificam ad eumdem legationem destinasse, litteræ ipsæ ad Imperatorem inscriptæ testantur, at cum eodem tempore seditio iis in provinciis per Gregorium Præfectum excitata fuisset, visum est Episcopis litteras has, per legatos suos Romam ad Theodorum Papam mittere, ut per eum CPolim mitterentur; Epistolæ autem concilii Bizaceni ad Constantem Imp. hæc est inscriptio. *Domino clementissimo terræ marisque domino Constanti Augusto, Stephanus primæ sedis Episcopus, vel universi Episcopi concilii Bizaceni, vestræ pietatis ultimi famuli*; & nonnulla præfati de Imperatorum obligatione in tuenda catholica fide, comprimendisque hæresibus, subdunt. *Pro qua re pietati vestræ cuncti vestræ Africæ Domini Sacerdotes coram Domino supplicamus, ut novellæ præsumptionis scandalum, quod adversus fidem nostram attentatum est, auferatur, fratremque nostrum Paulum Constantinopolitanæ Ecclesiæ Episcopum regali auctoritate, ut nobiscum, idest, cum omni generalitate orthodoxe sapere debeat, coarctare dignemini. Fidem namque rectam a sanctis Patribus nobis traditam sine adjectione aut imminutione custodire debemus: quia quicquid auctum fuerit aut subtractum, numquam probatur fuisse perfectum. Scripsimus enim prædicto fratri & coepiscopo nostro Paulo per latores præsentium, & ut nostra eum vice cum vestræ clementiæ præceptione admoneant, destinantes injunximus: quos vestræ*

que voluntates naturales sicut catholica docuit, & docet semper ecclesia &c.. His vero testimonia quædam ad id probandum ex Sanctis Ambrosio, & Augustino addiderunt; suaque subscriptione Episcopi 68. confirmarunt; quæ omnia in concilio Lateranensi sub Martino Papa exibita, & probata sunt, ut ibidem videre est,

JESU CHR. AN. 646.

5. His synodicis ex Africa acceptis epistolis, Victoris scilicet Carthaginensis Episcopi, & Episcoporum trium provinciarum, idest Numidiæ, Bizaceniæ, & Mauritaniæ, cum in unam eamdemque sententiam conspirare Africanam ecclesiam cognovisset Theodorus Papa, omnesque pariter in Paulum CP. Episcopum conclamare, calculo suo eorum sententiam confirmandam censuit; Quare Apocrysarios suos CPolim mittens, ad eumdem Paulum graviores dedit litteras, quibus eum admonuit, ut vel tandem sententiam, seu potius hæresim de una in Jesu Christo voluntate & operatione abjiceret, ac duas cum ecclesia catholica admitteret, ac post exhortationem & admonitionem, anathema subjecit adversus omnes, qui ab ea, quam teneret catholica ecclesia, sententia discreparent; Hæc quidem Theodori Papæ epistola ad Paulum deperdita est, at reddita ab eodem Paulo ad Theodorum, quæ in supracitato sæpius concilio Romano sub Martino Pontifice lecta est. Theodori litteras increpatorias fuisse, indicat.

Theodori Papæ epistola ad Paulum CP Episcopum.

tom. 6. pag. 222.

6. Paulus itaque CP. Episcopus acceptis Theodori Papæ litteris, ad excusandas in peccatis excusationes, erroresque tegendos, ut hæreticorum mos est, se ecclesiarum pacem ac concordiam fovere dixit, ac injuriis lacessitum, nequaquam vicem reddere sibi in animo fuisse addidit; *Propter hoc enim & verborum supportavimus colaphos, ut vel paulatim valeamus eum imitari, qui propter nos se humiliare dignatus est, ut extremæ illius ultionis per hanc plagam verbera declinemus*; deinde post aliqua. *Si enim & verbo amplius eousque huc taciturnitatem dileximus, hoc quidem bene habere arbitrati sumus, ne scriptis vestris reciprocata respondentibus, injuriæ fomitem excitemus, & pusillanimitate dijudicemur ab eo, qui omnia ad charitatem dirigere promulgavit: Oravimus vero & tunc, ostium circumstantiæ labiis nostris imponi, & verbum tacitum concipere potius, quam vocale: & tamen hoc mihi donum est a Domino, & factus*

Pauli CP epist. ad Theodorum Papam.

JESU CHR. AN. 646. *sum sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones: Sed quia tempus est loquendi, & tempus tacendi: aperio verbum, & claudo ostium per taciturnitatem, competenter exorans; Domine labia mea aperies, ut respondeam exprobantibus mihi verbum. Licet enim tacuimus, non semper tacebimus, adaperiente nobis Deo claves verbi. Igitur directis in præsenti a beatitudine fraternitatis vestræ Apocrisariis (qui post multas factas inter nos de Ecclesiastica requisitione dissonantes sermocinationes, in finem ad hoc pervenerunt, admonentes nos atque adhortantes interpretari unius Christi veri Dei nostri voluntatis intellectum, atque hujusmodi interpretationem destinari vestræ sacratissimæ venerationi); nos acceptam habentes bonæ conscientiæ prædictorum venerabilium virorum admonitionem, cognoscentes autem & quæ principatus Apostolorum summitas docet, paratos esse ad satisfactionem omni poscenti nos verbum de spe, quæ in nobis est, secundum Dei timorem mansuetudinem ad bonam scientiam temperantes, super tali tantummodo requisitione mentem nostram per has syllabas exponimus, superfluam excitationem & altercationem verborum propter satietatem, & præsentis temporis incongruitatem declinantes ac præcaventes, nihil nostrum intelligentes, aut proferentes, vel dicentes, sed quæ audivimus & cognovimus a sanctis & universalibus magnis Conciliis, & patres nostri narraverunt nobis, quoniam viæ veritatis intellectus est sapientum, sicut proverbiorum annunciatori Salomoni, atque veritati bene placere dignoscitur. Sed quia tempus jam trahit nos promissionis, & ad aperiendam requisitionem provocat, incipiamus rectæ nostræ fidei formam scripturæ imaginibus enarrare, sicuti tinctis aliquibus coloribus, paternis testimoniis certius decorantes quæ a nobis dicuntur. Nos igitur &c.*. Hic fidei professionem de Verbi Dei incarnatione inseruit, integram quidem, si verba quibus concepta est, spectes, ac aperte etiam *Sileant* inquit, *cum Nestorio, Diodoro, & Theodoro Severus, & Eutyches, Apollinares execrabiles, ex alterutra dissonantia consonantes sibi ad impietatem, aliis confusionem, aliis divisionem male inducentibus, & bene a veritatis regula denudati*. At unam tamen in Christo operationem, & voluntatem confitendam esse paulo post ait, sicque quod bene ædificaverat, suomet ore destruebat, quin Sanctos Patres, Gregorium scilicet Theologum, Lu-

Luciferum, Athanasium, & Cyrillum sibi consentientes habere gloriatur; *Quorum si opus est requisitione proveniente, & competenter relegimus testimonia, quibus concordes & consonantes facti sunt piae memoriae Sergius, & Honorius, unus quidem novae, alter autem antiquae Romae summi Sacerdotii sedem decorantes*. Ita quidem sicut & Pyrrus ejusdem sedis Episcopus in disputatione cum Maximo (ut diximus) Honorii Papae auctoritate abutebatur. His autem a Paulo acceptis litteris, cum cum Monothelitarum haeresim obstinato animo fovere, ac praedicare cognovit Theodorus Papa, excommunicationis sententiam in eum dixit, ut Anastasius bibliothecarius testatur; at de his infra. — Jesu Chr. an. 646.

7. Hoc tempore, & fortasse hoc anno, ut adnotat Pagius nota quarta, concilium Toletanum septimum Ghindasvindi Regis jussu celebratum est, cui Episcopi sive praesentes, sive per praesbyteros, aut Diaconos, qui absentium vices gesserunt, numero 38. aut trigintanovem subscripti leguntur, eique Orontius Emeritensis praefuit, quo canones sex disciplinae ecclesiasticae instaurandae gratia editi sunt; *Cum in sanctae nomine Trinitatis, pro quibusdam disciplinis ecclesiasticis tam nostra devotione, quam studio Serenissimi, & amatoris Christi Chindasvindi Regis nostri apud Toletanam urbem conventum esset &c.* ut in praefatione legitur, in fine vero. *Nos autem*, addunt, *immortali Deo, & glorioso Chindasvindo Principi, ob cujus votum in hac urbe, sancta devotione convenimus, gratias unanimiter referentes, optabili annisu deposcimus, ut sanctae ecclesiae catholicae fidei semper ac pacis cumuletur affectus, & memorato Principi cum posteritate praesentis Regni futuri etiam largiantur praemia gaudii &c.*. Ac canone primo, laici aeque ac clerici cujuscumque ordinis etiam Sacerdotalis excommunicationis, & depositionis poena plectuntur, si Gothorum provinciis relictis, ad exteras gentes transierint: *Quia novimus*, inquiunt, *omnes pene Hispaniae Sacerdotes, omnesque seniores, vel judices, ac ceteros homines officii Palatini jurasse, atque ita dudum legibus decretum fuisse, ut nullus refuga, vel perfidus, qui contra gentem Gothorum, vel patriam, seu Regem agere, vel in alterius gentis societatem se transducere reperitur, integritati rerum suarum nullatenus reformetur &c.*. Eademque canone primo amplioribus etiam verbis confirmantur; Cano- — Concilium Toletanum septimum ejusque canones.

 ne

Jesu Chr. An. 646.

ne secundo statuitur, ut si interveniente languore, vel ægritudine Episcopus, vel Sacerdos consecrationis officium perficere non potuerit, alius Episcopus vel Sacerdos consecrationis officium perficiat; Nec quisquam, *post cibi potusque quamtumlibet minimum sumptum, missas facere præsumat*. Canon tertius jubet ut Presbyteri sub pœna suspensionis annuæ ad Episcopi exequias conveniant, ac ut sub eadem pœna Episcopum in exequiis Presbyterorum invitare debeant. Canone quarto statutum est, ne Episcopi ex parrochiis Galleciæ provinciæ ultra *quam duos solidos, per singulas diœcesis suæ basilicas* exigant, monasteriorum vero ecclesias ab omni præstatione liberat; deinde *Cum vero Episcopus Diœcesim lustrat, nulli præ multitudine onerosus existat, nec umquam quinarium numerum evectionis excedat, aut amplius, quam unam diem per unamquamque basilicam remorandi licentiam habeat*. Quinto canone, Monachos vagos, aut cellulis inclusos, ad sua monasteria revocandos esse, sub pœna competenti jubetur; ac tandem Episcopos Toletanæ ecclesiæ vicinos admonet, ut *pro reverentia principis ac regiæ sedis honore, vel Metropolitani civitatis ipsius consolatione, juxta quod ejusdem Pontificis admonitionem acceperint, singulis per annum mensibus, eadem in urbe debeant commorari, messivis tamen ac vindemialibus feriis relaxatis*. Hæc, & alia Concilium Toletanum septimum hoc anno celebratum.

Episcopi parochias exactionibus in visitatione non gravent.

Felix Orientalium Anglorum Episcopus obiit.

8. Hoc anno Felix Episcopus Orientalium Anglorum, postquam annos septemdecim Episcopatum in urbe *Dumnoe* seu *Dumvleo* sibi ab Honorio Metropolitano assignata, gessisset, vivere desiit, ut ait Beda; Is Sigeberto Orientalium Anglorum Regi, in procuranda ejusdem gentis conversione ad fidem Christi, insignem Episcopatus sui tempore operam navaverat, ut idem Beda lib: 2. cap. 15. adnotat, ac in sua Dumvirici sede moriens sepultus est; ac inter Sanctos die octava mensis Martii in multis martyrologiis recolitur, ut apud Bollandum videre est. Sancti viri obitum his characteribus describit Petrus Blesensis in epistola, quam præfixit suæ ad historiam Ingulphi continuationi; *Migravit ad Dominum anno Domini 646., indict. 4: Cicio Decennali per incipiense; Penda Pagano adhuc super Mercios regnante*.

JE-

JESU CHRISTI an. 647. Theodori Papæ 6.
Constantis Imp. 7. Rotharii Italiæ Regis 12.

1. Hoc Christi anno 647. indictionis quintæ, qui etiam Constantis Imp. sextus numeratur, cum Seraceni præter Syriam, & Palestinam, Ægyptum quoque, ejusque Metropolim Alexandriam occupassent, occasione accepta, quod adversus Constantem Africa Duce Gregorio Præfecto rebellasset, immisso exercitu, Africæ quoque partem maximam Abdala Duce occuparunt: *Eodem anno*, sexto scilicet Constantis, *Seraceni hostiliter Africam adierunt, & conflictu cogitato adversus Gregorium tyrannum, hunc in fugam vertunt, & eos, qui cum ipso erant, interimunt, & hunc ab Africa pellunt, atque tributis in Africa ordinatis, & pactis reversi sunt*; Quousque iis in provinciis Regnum suum Seraceni dilataverint, ignoratur, scimus tamen Carthaginem cum limitaneis, & maritimis regionibus in Romanorum potestatem perseverasse. His addit Elmacinus Gregorium ipsum in ea pugna periisse: *Expugnavit Africam Abdala filius Saidi occisoque ejus Rege, opum ejus factus est Dominus*; Nec terrestribus tantum præliis Seraceni Romanos vicerunt, sed etiam maritimis, nam ingenti instructa classe Moavia duce circa hæc tempora, Cyprum cum Constantina Metropoli, aliisque insulis occuparunt, ut Theophanes, & Elmacinus narrant, eademque fusiori stilo exponit Abbas Demarigni in historia Arabum gallice scripta tomo primo circa finem. Atque hæc de gestis hoc anno satis sint.

Seraceni Africam invadunt.

Theoph. chronog. Elmac. lib. 1. 4.

JESU CHRISTI an. 648. Theodori Papæ 7.
Constantis Imp. 8. Rotharii Italiæ Regis 13.

1. Hoc Christi anno 648., indictionis sextæ, cum Paulus CP. Episcopus tum ex litteris a Theodoro Romano Pontifice, cum a conciliis Africanis scriptis, universam Occidentalem ecclesiam adversum se concitatam vidisset, ut & sibi consuleret, & hæresi patrocinaretur, ac ut catholicis sibi adversantibus arma eriperet, Typum, seu pacis edictum subdola arte composuit, ac Imperatoris nomine promulgari curavit, quo catholicis, æque ac hæreticis de agitata quæstione, an

Paulus CP. Episc. Typum promulgari curat.

JESU CHR. AN. 648. an una vel duæ in Jesu Christo voluntates, & operationes dicendæ essent, silentium imponebatur, quin ut catholicis aliqua in re satisfaceret, Heraclii Ecthesim, quæ in ecclesiæ foribus appensa fuerat, e medio tolli jussit, ut ex his Typi verbis constat. *Ad perfectam unitatem sanctarum Dei Ecclesiarum, & communem concordiam, & ut nulla occasio relinquatur iis, qui sine fine volunt contendere, & chartas, quæ positæ fuerant in Narthica sanctissimæ magnæ Ecclesiæ hujus a Deo conservandæ Regiæ nostræ urbis, quæ continent prædictas quæstiones, jussimus levari*. Typum autem Constantis nomine promulgatum Paulo CP. Episcopo auctore prodiisse, non aliter ac Sergio Ectesis Heraclii tributa fuerat, extra dubium est, ac non semel concilii Lateranensis Patres testantur, ea arte subdolus homo agens, ut vel saltem silentio adversarios comprimeret, ac duas in Christo operationes, sicuti & voluntates fuisse, prædicare prohiberet. Hoc anno peracta hæc fuisse CPoli ex actis concilii Lateranensis anno proximo celebratis constat, ubi sessione quarta, hæc Theophilactus Notariorum primicerius congregatis Patribus dixit: *Secundum jussionem beatitudinis vestræ, epistolam Pauli, & exemplar Typi, nuper, idest transacto anno persuasionem ejusdem Pauli expositi præ manibus habeo*.

Typi formula ab Imp. Constante promulgati. 2. Exemplar autem promulgati Typi, qui integer a Theodoro notario in secretario quarto dicti Lateranensis concilii sub Martino celebrati, recitatus fuit, hæc summa est. *Consuetudinem habentes de omnibus curam agere, & intendere, quæ respiciunt ad utilitatem Christianissimæ nostræ Reipublicæ, & præcipue quæ feruntur ad immaculatam nostram fidem, per quam nobis omnia prospera fieri credimus, cognovimus in multa perturbatione esse nostrum Orthodoxam Populum, utpote dicentibus quibusdam unam voluntatem in dispensatione magni Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi, & eamdem ipsam operari divina & humana: aliis autem dogmatizantibus duas voluntates & duas operationes in eadem dispensatione incarnati Verbi, & illis quidem in satisfactionem propter unam personam esse Dominum nostrum Jesum Christum in duabus naturis inconfuse & indivise volentem & operantem divina & humana: aliis autem propter convenientes naturas indivise in ipsa una persona, & ut salvetur & maneat earum differentia secundum naturas, eumdem ipsum unum Chri-*

Christum naturaliter operari divina & humana: & ex hoc in multam dissentionem & contentionem nostram Christianissimam Rempublicam perduci, ut discordantes invicem non convenirent, & ex hoc secundum multos modos eam lædi oportere. Experiebatur quidem Imperator, quantum sibi afferret detrimenti in Africa Orthodoxum populum a se ea de causa aversum penitus eo tempore inveniri, sed pergit: *Igitur arbitrati sumus, ab omnipotente Deo inspirati, sicut talem accensam discordiæ flammam extinguere, & non concedere eam ulterius humanas animas depasci. Quapropter sancimus, nobis subjectos, qui consistunt in Orthodoxa & immaculata nostra Christianorum fide, qui sunt Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ, non habere licentiam invicem a præsenti de una voluntate, aut una operatione, aut duarum voluntatum, aut duarum operationum qualemcumque proferre altercationem, aut contentionem, aut rixam. Hæc autem sancimus, nihil aliud intercipientes penitus de piissimis dogmatibus, quæ a sanctis probabilibus Patribus de dispensatione incarnati Dei verbi dogmatizata sunt; sed ulterius contentionem, quæ gratia propositæ quæstionis orta est, cessare præcipientes, & tantummodo de eis sequi, & sufficienter habere divinas Scripturas & traditiones sanctorum quinque universalium Conciliorum, & simplicibus sine quæstione sanctorum probabilium Patrum uti vocibus, quorum dogmata regula & lege sanctæ Dei Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ consistunt, nihil eis addentes proprium, neque minuentes, aut per suam intentionem eas interpretantes, sed priorem habitum ubique custodiri, sicuti antequam procederet contentio prædictarum quæstionum, quasi nulla de eis exorta contentio.* His subdit, se chartas in Narthica ecclesiæ appensas, sive Ecthesim deponendas jussisse. Si quis autem imposterum de his disputare præsumpserit: *Primum quidem subjacebunt judicio terribili omnipotentis Dei, deinde etiam qualemcumque regalem indignationem revereantur, per quem siquidem Episcopi aut clerici sunt, sui Sacerdotii, sive sui cleri modis omnibus excidant, sin autem monachi, segregantur, & alieni sint de suis locis: Sin autem dignitatem, aut cingulum, aut militiam habeant, nudentur eis; si autem sint privati, siquidem nobiles consistunt, suarum substantiarum proscriptionem patiantur, sin autem ignobiles consistunt, non solum in corpore verberentur, sed exilio perpetuo consigne-*

JESU CHR. AN. 648.

Jesu Chr. an. 648.

gnentur, ut omnes timore Dei compressi, & comminata eis digna supplicia reverentes immobilem & sine turba pacem sanctarum Dei ecclesiarum custodiant. Hucusque Imperatoris Typus Pauli CP. Episcopi stilo, & hortatu vulgatus, qui licet conciliandæ pacis, & restituendæ gratia editus foris appareat, ad jurgia nihilominus & dissensiones in ecclesia excitandas, fovendasque in lucem prodiit: Unde adversus catholicam fidem, ejusque defensores atrox exortum est bellum, cruentæque persecutiones adversus veritatis patronos excitatæ, ut ex dicendis infra constabit, ex ea præcipue ratione, execratione, & anathemate dignus, quod erroris patronos, cum defensoribus veritatis æquabat, quam sane agendi œconomiam, quotiescumque ecclesiarum Præsides adhibuerunt, nec errores in ecclesia irrumpentes compresserunt, nec pacem ecclesiis reddiderunt, sicuti sequentium etiam seculorum infelix experientia docuit.

De Typo synodi Lateran. judicium.

3. Hinc cum Constantis Typus Lateranensi in synodo coram Martino Pontifice anno sequenti recitatus esset, anathemate dignum esse, tota synodus his verbis conclamavit: *Relectus Typus bonum quidem intentum habere dignoscitur, dissonantem autem virtutem intentui continet. Bonum est namque procul dubio, & omnibus timentibus Deum desiderabile, cohibere dissensiones & altercationes pro causa fidei: sed non est utile & bonum, cum malo destruere bonum, id est, cum hæreticis Orthodoxorum Patrum verba & dogmata: quoniam hoc potius exurit, non enim mitigat in merito controversiarum stantium, nullo videlicet patiente denegare cum impietate hæretica venerabile verbum fidei. Simile namque est, & inhonestum malum amplecti, & cum eodem bonum indiscrete projicere: quoniam utrumque justitiæ perimit traditionem. Unde & magnus Abraham in hoc hæsitans, Domino appropinquans, ait: Num perdes justum cum impio, & erit justus, sicut impius? Nullo modo tu facies secundum hoc verbum, ut occidas justum cum impio & erit justus sicut impius, Non est hoc tuum, qui judicas omnem terram: non facies judicium hoc. Nam si quidem per approbationem scripturæ, hoc est, paternæ doctrinæ, reprehensibile pariter aut laudabile utrumque ostenderet, bene utique fuisset Typus expositus propter utriusque approbatam per spiritales sermones reprehensionem, aut per spiritales patres utriusque taciturnitatem definiens, aut e contra-*

trario pro eorum laudabilitate utriusque professionem. Si autem nihil horum penitus demonstravit, sed taciturnitate pariter prohibuit unam aut duas dicere in Christo Deo operationes & voluntates, sufficit nobis Patriarchæ voce serenissimum Principem alloqui. Hinc multa contra Typum addentes, anathemate dignum, una cum Ecthesi, suisque auctoribus, & defensoribus Sergio, Pyrro, Paulo CP. Episcopis, judicarunt ut suo loco iterum dicturi sumus. JESU CHR. AN. 648.

4. Unde etiam Martinus Papa in enciclica epistola post synodum ad universos orbis Episcopos data, cum multa in catholicæ fidei eversionem ab hæreticis hactenus tentata fuisse dixisset, de Typo hæc adnotavit. *Addere peccata super super peccata properaverunt, humanitatem Salvatoris, atque Deitatem ejus blasphemantes, ac denegare per impiissimum typum, qui ex maligna instigatione illorum factus est contra immaculatam nostram christianorum fidem a serenissimo Principe, desinientes in eodem typo, nec unam, nec duas voluntatis operationes, hoc est neque divinam, neque humanam voluntatem & operationem in ipso Salvatore nostro, quempiam omnino confiteri &c.*. Dum hæc, aliaque in Oriente adversus catholicam fidem molirentur, Theodorus Papa, etsi fortasse de promulgato Typo nullum hactenus accepisset nuncium, cum Paulum CP. Episcopum exhortationes suas, & litteras ad eum datas spernere accepisset, ut tandem hæreticorum conatus auctoritate Apostolicæ sedis comprimeret, in Paulum Episcopum excommunicationis sententiam dixit, eumque ab ecclesiæ communione, & sede sua dejecit, ait Anastasius, *Cum eum neque litteris suis, neque adhortationibus, aut increpationibus per Apocrysarios suos factis, a sua obstinatione revocare potuisset.*

Martini Papæ de Typo judicium. *Epist. enciclica pag. 371.*

Theodorus Papa Paulum CP. Episc. condemnat. *Anastas. pag. 27.*

5. Graviori adhuc excommunicationis sententia in synodo Romana percussus est hoc anno Pyrrus CPolitanus Episcopus, qui cum, ut supra diximus ad annum 645., in Africa ex collatione cum Maximo habita victus, Monothelitarum hæresim ejurasset, ac Romam profectus, oblato retractationis libello, hæresim abjurasset, catholicam fidem professus, in ecclesiæ communionem, suoque gradu exceptus fuisset, paulo post in hæresim relapsus, anathematis vinculo alligatus fuit, *Postea more canis*, ait Anastasius, *ad proprium impietatis vomitum*, Pyrrus, *remeavit. Tunc san-*

Pyrrhus in hæresim relapsus a Theodoro Papa excommunicatur.

JESU CHR. AN. 648. *sanctissimus Theodorus Papa, convocans universos Sacerdotes, & clerum in Ecclesia Beati Petri Apostolorum principis, condemnavit eum sub vinculo anathematis, juxta mercedem ac retributionem propriæ transgressionis, canonicam pœnam sive depositionem excipiens*. Qui prædictus Pyrrus reversus est in partes Orientis &c. De Pyrri autem in hæresim reditu adnotandum est, eum Romæ obtulisse Theodoro Pontifici libellum pœnitentiæ, ab eoque in communionem receptum fuisse, cumque Constans Imperator ad Platonem Exarchum scripsisset, ut Ravennam eum vocaret, & ad veterem errorem redire hortaretur, aut etiam cogeret: Is vero CPolitanæ sedis recuperandæ spe illectus, ut Imperatori Constanti gratificaretur, ejusque gratiam recuperaret, faciles Platoni Exarcho manus, & aures præbuit: *Quo comperto*, ait Theophanes Theodorus Papa, *convocato ecclesiæ cœtu, ad Sepulchrum verticis Apostolorum accessit, & divino calice expostulato, ex vivifico sanguine in atramentum stillavit, & ita propria manu depositionem Pyrri, ac ei communicantium fecit. Pyrrus subinde CPolim delatus, Paulo defuncto, ab audacioribus variæ vanæque fidei propugnatoribus in CPolitanum thronum restituitur*. Eadem plane ratione depositum postea fuisse in VIII. Oecumenica Synodo Photium, qui CP. sedem invaserat, ita prodit Nicetas in vita S. Ignatii. *Subscripsere Episcopi depositioni calamus non simplici atramento, sed horrendum dictu! ut eos, qui rem norunt asseverantes audivi, ipso Salvatoris sanguine tinctus*. Hujusmodi vero ritum peculiarem Græcorum fuisse adfirmat Pagius in critica Baronii ad hunc annum, & patruum exscribens Franciscus Pagius in Breviario Pontificum Romanorum: Verum totam hanc, cum de Pyrro, tum de Photio historiam infirmo satis fundamento superstructam esse pluribus, nec sane contemnendis argumentis demonstrat Dionysius Scandellius, P. nempe Fassinius in Commentario de singularibus Eucharistiæ usibus apud veteres Græcos n.XXV.& sequentibus, ad quem lectorem amandamus; id unum cum eodem adnotasse contenti, inepte prorsus isthæc avide a Protestantibus arripi, ut Theodorum, Patresque concilii Constantinopolitani octavi, negatæ in Eucharistia transubstantiationis reos probent: Neque aut Patres eosdem, aut Theodorum, si verum esset in Photii, & Pyrri condemnatione, Christi sanguinem atramento commixtum fuisse, irrive.

reverentis & impietatis arguendos esse adversus tam sanctum vivificumque mysterium, (inquit adposite Martenius de ant. Eccles. Rit. lib. I. cap. V. artic. IV. n. VII.) *Nam qui antiquos ritus ex hodierna observatione metiri volunt, hi procul-dubio his in omnibus debitam sacræ Eucharistiæ reverentiam desiderari existimabunt, at longe alia erat veterum opinio qui nihil exinde honoris Christi debiti detractum censebant. Nec enim nescierant Deum fidem, & cordis intentionem respicere, non exteriorem nescio quem cultum superstitiosum; Christum in sui Corporis, & Sanguinis sacramenti institutione omni vilitati & extremitati se se submisisse, nec magis in corpore humano inter sputa, & excrementa honorari, quam aut vulnere ægroti, aut cadaveri defuncti applicatum. Ceterum nihil ex dignitate Solis decedere, sive in luto, sive in auro fulgeat.*

Jesu Chr. An. 648.

6. Quid postea CPoli gestum sit, cum hoc, vel sequenti anno ibidem auditum est, ab Theodoro Pontifice Paulum CP. Episcopum, & Pyrrhum, ejusdem sedis olim Episcopum anathematis sententia perculsos fuisse, ac Constantis Typum Romam missum, ut omnes eidem subscriberent, nequaquam admissum, quin etiam communi suffragio rejectum & damnatum fuisse, cum inquam hæc CPoli audita sunt, in iram tum Imperator ob contemptam majestatem, cum Paulus ob acceptam (ut putabat) injuriam, exarsit, ac primum in Romanæ sedis Apocrysarios, aliosque Orthodoxos persecutio excitata est, ut Sanctus Martinus Papa ad Patres in Lateranensi synodo congregatos narrat, de Paulo CP. Episcopo hæretico verba faciens; *Paulus autem prædecessores suos in his superare contendens, non solum in scripto per propriam epistolam ad hanc directam nostram Sedem confirmavit, & ipse contra se superius memoratæ Ecthesеos irrationabilem hæresim, sed etiam contradicens in scripto adversus recta sanctæ Dei Ecclesiæ dogmata, audacter præsumpsit paternis definitionibus contraire: propter quod justa ab Apostolica Sede & ipse depositionis ultione percussus est: Insuper studuit, ad cooperimentum proprii erroris, & in hoc Sergium imitatus, quibusdam subreptionibus uti, & clementissimo Principi suadere Typum exponere, qui Catholicum dogma destrueret: in quo Typo omnes omnino voces sanctorum Patrum cum nefandissimorum hæreticorum dictionibus enervavit, nec unam, nec duas*

Apocrysarii Rom. sedis CPoli vexantur.

Jesu Chr. an. 648. *voluntates aut operationes in Christo Deo nostro definiens confiteri: ac per hoc sine voluntate penitus & operatione Christum denunciando, id est, absque substantia & natura cum prædicare noscuntur. Quod enim nullam virtutem habet (sicut beatæ memoriæ Dionysius ait) nec est, nec aliqua est ejus omnino stabilitas. Nec enim aliter natura cognoscitur esse secundum veram substantiam consistens, nisi per inhærentem sibi naturalem & substantialem virtutem, quæ videlicet & confirmare eam naturaliter assolet. Qua de re hujusmodi pravitatem suam defendens, quod numquam nec a prioribus hæreticis præsumptum est, ipse illicite præsumere studuit. Altare enim sanctæ nostræ sedis in domo Placidiæ sacratum* (Placidiæ palatium erat Romani Pontificis, in quo Apocrysarii habitare solebant) *in venerabili oraculo subvertens diripuit, prohibens, ne adorandam & immaculatam hostiam, id est sacram celebrationem Apocrysarii nostri ibidem Deo offerre valeant, & vivificæ divinæ communionis sacramenta percipiant. Quos videlicet Apocrysarios, quia ex præceptione Apostolicæ auctoritatis commonuerunt eum, ut de tali hæretico intentu recederet, nec non contestari visi sunt, persequutionibus diversis cum aliis Orthodoxis viris, & venerabilibus Sacerdotibus insequutus est eos, quosdam eorum custodiæ retrudens, alios autem verberibus submittens.* Quorum plurimos ad Apostolicam sedem querelas detulisse refert, ac ut his medelam afferret, rogasse addit, sed de gestis hoc anno hactenus.

JESU CHRISTI AN. 649. MARTINI PAPÆ 1.
CONSTANTIS IMP. 9. ROTHARIS ITALIÆ REGIS 14.

Theodori Papæ obitus ejusq. in Sanctos religio. *tom. 1. p. 127*

1. Hoc Christi anno 649. indictionis septimæ, eodemque Constantis Imp. octavo absoluto, & nono incœpto, Theodorus Rom. Pontifex, cum annos sex, menses quinque, dies aliquot Romanam ecclesiam administrasset, mortuus est, ac *Sepultus est ad Beatum Petrum Apostolum sub die secundo idus Maji, & cessavit episcopatus dies 52.*, ait Anastasius, qui de ejusdem pietate in Sanctorum ecclesiis exornandis subdit. *Eodem tempore levata sunt corpora SS. Martyrum Primi, & Feliciani, quæ erant in arenario sepulta via Numentana, & advecta sunt in urbem Romanam, quæ recondita sunt in Basilica B. Stephani protomartyris, ubi & dona ob-*

obtulit, Gabatas tres, tabulam ex argento ante confessionem, arcus argenteos duos; Fecitque ecclesiam a solo Beato Valentino via Flaminia juxta pontem Milvium, quam & ipse dedicavit, & multa dona obtulit. Fecitque oratorium B. Sebastiano intra Episcopium Lateranense, ubi & dona largitus est. Fecit oratorium B. Euplo martyri foras portam B. Pauli Apostoli, quod etiam ordinavit. Eximiæ venerationis, quæ Theodorus Papa Sanctos martyres prosecutus est, memoria in inscriptione ejus nomini dicata perseverat.

Exquirens Pietas tectum decorare Sacratum
Pastoris Summi Theodori Corda direxit.
Qui studio Magno Sanctorum Corpora Cultu.
Hoc dedicavit non Patris Neglecta Reliquit.

Martinus Rom. Pontifex ordinatur, ejusdem in tuenda catholica fide zelus.

2. E vivis itaque erepto Theodoro, cum per dies 52. vacasset Romana sedes, in ejus locum Martinus patria Tudertinus ordinatus est, die quinta Julii ut ait Pagius, vel 19. ut adnotat Mansius ad eum locum, qui *Sedit annos sex mensem unum, dies 26.* ait Anastasius loco supracitato; cujus electioni, & ordinationi Imp. Constans consensit, indeque sperabat, quod pro accepto beneficio Martinus Pontifex edicto fidei, seu de servando silentio circa unam aut duas in Christo operationes, & voluntates, quod Typum dicebatur, subscripturus esset, quod etiam datis litteris ab eo expetierat; ut in vita Sancti Audoeni Rothomagensis Episcopi legitur his verbis; *Cumque ea de re a Paulo, & ceteris infausti dogmatis assertoribus, cum auctoritate etiam Imp. Constantis tertii nepotii Heraclii B. Martino Pontifici Romana scripta dirigerentur, ut ipse huic sententiæ assentiret, & subscriberet, gustum mortiferæ suasionis, summa cum execratione respuit &c.*

Martinus Papa synodum Romæ celebrat, ac Monothelitas condemnat.

3. At alia omnino Martini Papæ mens erat, nam cum catholicæ fidei tuendæ zelo exardesceret, ut eam, Monothelitarum factione, & insidiis periclitari vidit, statim ac Apostolicum ascendit thronum, celeberrimam Romæ ex tota Italia, & adjacentibus insulis Sicilia, & Sardinia synodum indixit, ac hoc anno celebravit, cui centum & quinque adfuere Episcopi, eaque cum Heraclii Ecthesi, & Typo Constantis, Cyrum Alexandrinum Episcopum, cum Sergio, Pyrro, & Paulo, qui in sede CPolitana sibi successerant, condemnavit, dies qua incœpta est synodus his verbis notatur. ***In nomine Domini Dei Salvatoris nostri Jesu Christi, Imperii***

Jesu Chr. an. 649. *rii Domini Constantini Piissimi Augusti anno nono sub die tertia nonas Octobris, indictione octava*, idest incepta est die quinta mensis Octobris hujus anni, absoluta vero die ultima ejusdem mensis, ut titulus ultimi secretarii seu sessionis quintæ, & ultimæ indicat. *In nomine Dei Salvatoris Nostri J. C. Imperii Domini Constantini piissimi Augusti anno nono, sub die pridie Kal. Novenb. indictione octava.*

De synodi loco, auctoritate, & canonibus.

4. In secretario, sive sacrario Basilicæ Constantinianæ Salvatori Deo, & Domino Nostro J. C. dicatæ synodus celebrata fuit, unde etiam Lateranensis dicta est. Erat autem secretarium ædicula seu camera vice exedræ Templo, & ædibus sacris addita, in qua ecclesiæ ministeria recondebantur, & Sacerdotes, ac clerici priusquam ad sacra procederent, vestes ecclesiasticas induebant; atque in iis secretariis synodos sæpe celebratas fuisse ecclesiastica docet historia; Quinque autem secretariis, seu sessionibus, totidem diebus celebratis, synodus absoluta est, quæ etiam canones vigintiquinque ad fidei catholicæ confirmationem edidit: Tanta porro hujus synodi auctoritas semper fuit, ut cum conciliis Oecumenicis pene coæquaretur. Hinc post quinque synodos generales, hujus quoque mentio fiebat in professione fidei a Romanis Pontificibus fieri solita, eamque ob rem in libro diurno Rom. Pontificum a Garnerio edito cap. 2. titulo 9. formulæ tres earumdem professionum recitantur, & in tertia, quæ post ordinationem a Pontifice Romano fiebat, non solum confitetur Pontifex se quinque synodos generales, ac sextam etiam, *nuper*, ut ibidem dicitur congregatam, sed etiam cuncta decreta Pontificum Apostolicæ sedis: *præsertim quæ a sanctæ memoriæ Martino universali Papa ad confirmationem prædictarum quinque synodorum definita sunt, atque decreta*: cujus synodi auctoritatem idem Martinus Papa in epistola ad Amandum vindicat, dum Generale concilium appellat; Acta vero Integra adhuc supersunt, Græce & latine scripta, eo qnod non solum in Archivio Romanæ Ecclesiæ servata fuerint, ut ait Anastasius, sed plurima etiam exemplaria confecta sunt, ac a Martino Papa in Orientem, & Occidentem missa.

Synodi Lateranensis gestorum summa.

5. Cumque in ea synodo, quæ hactenus in Monothelitarum causa gesta fuerant, retractata fuerint, de quibus data occasione supra mentionem fecimus, eorumdem gestorum

rum summam exponere sat erit, ne longiora acta exscribentes, quæ in Labbeana conciliorum editione trecentis paginis continentur, in immensum Annalium moles excrescat. Congregatis itaque in unum Episcopis centum quinque, ut ait Anastasius, aut centumdecem, ut narrat Theophanes, qui addit eisdem Maximum quoque Abbatem adfuisse, quem etiam Martinum Pontificem, ad synodum pro hæresi Monothelitarum damnanda, excitasse adnotat, quod etiam Maximi ejusdem acta confirmant. Nullibi tamen in actis synodi ejusdem mentio occurrit, cum consultationis tantum, prærogativam in conciliis haberent monachi, & Abbates, numquam vero jus aut sententiæ dicendæ, aut subscribendi; Inter primos vero post Martinum Papam, qui synodo præfuit, subscripti sunt Deusdedit Calaritanus in Sardinia Episcopus, deinde Maurus Episcopus, & Deusdedit presbyter Cesenates vices agentes Mauri Ravennatensis Episcopi, qui epistolam excusationis synodo obtulerant, quæ in sessione prima lecta est, qua se excusat, eo quod ob irruentes barbarorum incursiones synodo adesse non potuerit, eademque epistola se non solum Heraclii Ecthesim, sed etiam Constantis Typum aversari testatur, ac cum Apostolica sede duas in Christo operationes, & voluntates agnoscere ac prædicare fatetur. Cur autem Mediolanensis Episcopi, qui in Italia post Romanum Pontificem primum obtinebat locum, aut Episcoporum Galliæ Cisalpinæ nulla fiat in hac synodo mentio, in obscuro est, eos Rotharium Longobardorum Regem Arianum ne synodo adessent, prohibuisse, cum præsertim hoc tempore Romanos inter, & Longobardos bellum vigeret tradit Baronius. Plurimos tamen Episcopos ex Beneventano, Spoletino, aut Tusciæ ducatu synodo adfuisse constat, etsi iis in locis Longobardi ea ætate dominarentur, atque his de synodo adnotatis, nunc ad singulas sessiones accedimus.

Gesta primi secretarii seu sessionis primæ.

6. Itaque cum in unum essent, Theophilactus Notariorum primicerius, veluti tuba canens, Christi milites ad ineumdam cum catholicæ fidei hostibus pugnam excitavit; Joelis inter cetera usurpans verba. *Canite tuba in Sion, ululate in monte sancto meo, quia venit dies domini, Clamante, Suscitate bellatores &c.* Atque ita excitatis adversus hæresim animis, Martinus Pontifex disertam valde, & tempori accommoda-

Jesu Chr. an. 649 modatam habuit in ſacro illo conventu orationem, qua deploravit ſacroſanctum divinæ Incarnationis myſterium, Angelis & hominibus reverendum, a ſcelerata hæreticorum impietate diſſolvi penitus & diſſipari, auctoreſque prodit errorum Cyrum Alexandrinum, Sergium, Pyrrum, & Paulum Conſtantinopolitanos Epiſcopos, profitentes omnes non niſi unam in Chriſto voluntatem & operationem, in neceſſariam aſſumptionem adducentes unam pariter eſſe in Chriſto naturam, ſicut & perſonam, licet id palam dicere vererentur, docetque robuſtis ſententiis, duas in Chriſto voluntates & operationes, ſicut & duas naturas, neceſſe eſſe fateri, firmatque Catholicum dogma divinæ Scripturæ ſententiis atque aſſertionibus Ss. Patrum. Quæ autem hactenus adverſus Catholicam fidem machinati eſſent nominati ſuperius erroris ſigniferi Cyrus, Sergius, Pyrrus, & Paulus, exacte recenſens, noviſſime perſecutionem a Paulo in Oriente adverſus Apocryſarios Apoſtolicæ Sedis, & alios Orthodoxos excitatam enarrans: quam ob cauſam provocatus querelis Orthodoxorum undique exclamantium, coactus ipſe fuerit Synodum convocare, docuit. Poſt hæc Mauri Ceſenatis Epiſcopi legatio pro Archiepiſcopo Ravennate audita eſt, ejuſdemque excuſationis epiſtola lecta, ut ſupra diximus, atque his geſtis, prima ſeſſio finem habuit.

Secundæ ſeſſionis geſta.

7. Cum vero octavo idus Octobris iterum conveniſſent Patres, Martinus Pontifex, qua maturitate judicii ab Apoſtolica Sede cauſæ pertractari ſoleant, aut debeant, his verbis expoſuit. *Beatus David ad Dominum dicit: juſtitia & judicium præparatio ſedis tuæ. Miſericordia & veritas præibunt ante faciem tuam: Hanc igitur preparationem per veritatem geſtorum ad gloriam ejus & imitationem ſacræ ſedis ſuæ properans opportune perficere & ſancta Synodus nobiſcum conſiſtens venerabilium Sacerdotum, ut ex hoc præcipue in eum glorietur in hoc, quod intelligit & cognoſcit Dominum, & facit judicium & juſtitiam in medio terræ, ſtuduit competenter non antea per ſcripta eorum, qui accuſati ſunt, cauſam illorum diſcutere; donec per querulantium inſtitutiones reſpexerit hanc, & addiſcere valuerit, illud videlicet, quod per ſapientiam bene placuit Salamoni, adimplens, quod dicit: Antequam ſcruteris, non reprehendas: Intellige prius, tunc increpa. Antequam audieris, non reſpondeas. Nempe, licet aper-*

apertissima sint contrariorum reprehensio : verumtamen oportet & his , quæ clara sunt, ad eorum examinationem ordinem conservari ab his , qui secundum Deum scrutari deputati sunt : quatenus ita cum oratione cooperantem inveniamus , & confessorem Deum , qui dicit . Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum . Offeratur ergo secundum pie complacitam omnibus nobis consequentiam , per eos, quorum interest , sive de nostro venerabili scrinio , per dilectissimum Primicerium & Notarios querulantium denominatos temeratores cum omni reverentia secundum ordinem submonitio. Hæc Martinus Papa.

JESU CHR. AN. 649.

Stephani Dorensis, aliorumque fidei libelli, & litteræ in synodo lectæ.

8. His dictis oblatus est libellus a Stephano Dorensi Episcopo qui vices Apostolicæ Sedis in Palæstina gesserat ad exturbandos hæreticos Monothelitas , quo relationem faciebat de iis , quæ ab obitu sanctissimi Sophronii Hierosolymorum Episcopi in illam ipsam diem facta fuerant : ex quo quidem libello plura superius , quæ pertinebant ad historicam veritatem , suis locis posuimus . Præter illa adjecit sinceram adversus hæresim Monothelitarum fidei suæ confessionem , detestans in primis ejus erroris auctores , propagatores , ac defensores ; Quibus auditis , & inter acta relatis , oblatus est libellus Abbatum , Presbyterorum, & Monachorum , tam in urbe consistentium, quam eorum , qui tunc in urbem advenerant , quorum libello præpositus erat titulus , quo ipsum Martinum Papam Sacerdotem nominant sacerdotum , Patrem Patrum , terque beatissimum . Ex iis nonnulli ex monasterio Romano erant , omnesquæ postularunt simul damnari cum hæresi impios hæreticos , & abominabilem Typum novissime editum nomine Imperatoris. Auditis in Synodo iis, qui præsentes accusatores advenerant , jussa sunt edi ex archivo Apostolicæ Sedis scripta eorum , qui prædecessori Theodoro Papæ adversus eosdem hæreticos querelarum libellos obtulerant : ac primum lectæ fuere litteræ Sergii in Cypro Episcopi , quas nos superius suo loco, cum oblatæ sunt Theodoro , retulimus . Quibus auditis & declaratis a Mauro Cæsenate Episcopo, jussæ sunt recitari litteræ Africanorum Episcoporum ejusdem argumenti adversus eosdem hæreticos ad Theodorum Papam scriptæ , quas æque suo loco superius recitavimus : lectæque pariter aliæ eorumdem Episcoporum ad Constantem Imperatorem adversus eos-

Jesu Chr. an. 649. dem hæreticos datæ, itemque aliæ Concilii Byzaceni ad Theodorum item missæ, nec non aliæ ad Paulum datæ ab Episcopis Proconsularis provinciæ Carthaginensis subscriptione sexaginta octo Episcoporum munitæ. Novissime vero recitata fuit Epistola Victoris Carthaginensis Antistitis ad eumdem Theodorum Pontificem data, quæ Maximi Aquilejensis Episcopi præconio commendata, secundæ sessioni finis impositus est.

Sessio quarta Lateran. Synodi. 9. Convenerunt tertio Patres eodem loco decimo sexto Kalend. Novembr. ejusdem anni & Indictionis, eodem præsidente Martino Pontifice: qui cum de studio, vigilantia, & cura, quæ decebat eum, qui universæ præest Ecclesiæ, in investigandis atque damnandis hæresibus, quamplurima cunctis audientibus, Martinus Papa disseruisset: mox e scriniis Romanæ Ecclesiæ idem Pontifex prodi jussit, quæ ab ejusmodi hæreticis adversus Catholicam fidem scripta hactenus fuerant vulgata, atque in primis lecta sunt scripta Theodori Episcopi Pharanitæ, obscuri quidem nominis viri, ex impietate tantum noti: ex blasphemia enim solum sibi nomen aliquod comparavit his temporibus, cum ei ob ætatem, & in hæresi sedulum studium, reliqui deferre solerent: lectæque sunt ex ejus scriptis ipsius de unica Christi voluntate & operatione blasphemiæ. Iste enim princeps erroris habitus est, utpote quod ex ejus scriptis, qui hæresim promulgarunt, omnes acceperint: ex quibus & cognita sunt ejusdem hæresis penetralia, ostensumque (quod successores ejus præ pudore occultare conati sunt) ex quo fonte horrenda blasphemia flueret de una tantum in Christo voluntate & operatione, quod, scilicet, iste assereret, incorporaliter ex utero processisse Dominum nostrum Jesum Christum. Ad hæc, & alia confutanda, Sanctorum Patrum sententiæ in medium allatæ sunt. Post hæc autem confutata, jussa sunt recitari novem capitula Cyri quondam Alexandrini Episcopi, itemque Sergii Constantinopolitani Episcopi ad Cyrum epistola scripta: & quoniam Dionysii testimonio nitebatur Cyrus, unius assertor in Christo voluntatis & operationis, jussus est afferri codex Dionysii, legique ejus epistola ad Cajum, in qua Deivirilem appellat Christi operationem. Interloquutus autem S. Martinus Papa, fraudem detexit hæreticorum, textum Dionysii corrumpentium: etenim cum

ille

ille dixisset novam Deivirilem operationem, illi loco novam, unam dixerunt, atque demum, ejecta voce Deivirilis, unam in Christo operationem dumtaxat, S. Dionysium asseruisse testati fuerunt. Jussa sunt etiam legi ab eodem Pontifice Themistii hæretici scripta de una operatione ex Dionysii Deivirilis operationis male accepta sententia. Post hæc lecta, interloquutus idem Martinus Papa, plane ostendit, Dionysium per Deivirilem operationem, non unam significare voluisse, sed unius personæ duas, humanam scilicet, & divinam, idque pluribus docuit: quod etiam per Sophronium Hierosolymitanum antea fuisse detectum, & in hæreticos objectum, male vero excusatum a Pyrrho, Deusdedit Episcopus Calaritanus interloquutus ostendit. Atque hic obiter mirari subiit, quod cum hæretici tanta confidentia ad sui erroris defensionem Dionysii Areopagitæ scripta protulerint, ne unus quidem in tanta Episcoporum corona fuerit, qui eadem scripta in suspicionem saltem vocaverit, eaque uti supposititia, aut saltem suspecta fuisse dixerit; sicuti in collatione CPoli cum Severianis & Catholicis anno 532. Ephesinus Episcopus, catholicorum vices gerens adnotaverat; uti ad dictum annum diximus; Unde quod eadem scripta, sive Catholici, sive Novatores tamquam adulterina rejiciant, eousque mirari non debuit Baronius, ut etiam in eos ea de causa irascatur. Sed ad acta redimus; His actis, lecta est Ecthesis Sergii CP. Episcopi, nomine Heraclii Imp. edita, & promulgata, ejusque ad Cyrum Alex. Episcopum de ejus confirmatione litteræ, necnon redditæ ab Pyrro ad Sergium quibus Ecthesim confirmabat; iisque peractis tertia sessio finem habuit.

Jesu Chr. an. 649.

10. Cum vero rursus in unum convenissent Episcopi decimoquarto Kal. Novembris, Martinus Pontifex ex more proloquutus, plura in detestationem recitatæ Hecthesis, & eorum, qui eam confirmare laborarunt, Sergii, Cyri, & Pyrri, pro concione dixit. Annuit omnibus sancta Synodus, adjecitque de Paulo, qui Typum edendum proposuit, judicium peragi, & causam judicari. Jussæ itaque sunt recitari litteræ ipsius Pauli ad Theodorum Romanum Pontificem, ex quibus ejus refractarius animus cognitus fuit. His adjecta est lectio Typi nomine Constantis Imperatoris editi, idem-

Quartæ sessionis gesta. *pag.* 210.

que

Jesu Chr. An. 649. que examinatus a sancta Synodo fuit Paulus CP. Episcopus, atque inconstans, mendax, atque in omnibus impius detectus, damnatus est. Quibus evulsis pravis germinibus, jussit sanctissimus Pontifex vetera in medium afferri de fide Catholica decreta Patrum: primumque omnium recitatum est Nicænum Symbolum, & Constantinopolitanum, postea vero quæ in defensione Catholicæ fidei edita sunt in Concilio Ephesino duodecim capita, sive anathematismi: addita his est definitio fidei Catholicæ facta in Chalcedonensi Concilio, & quatuordecim capita in Quinta Synodo. Quibus lectis, nomine totius Synodi locutus est Maximus Aquilejensis Episcopus, pluraque in commendationem eorumdem Conciliorum dixit, atque in detestationem hæreticæ pravitatis plurima inculcavit, iisque gestis hæc sessio finem habuit.

Quintæ sessionis acta. *pag.* 267.

11. Pridie autem Kal. Novembris, quinta & ultima sessio sive actio celebrata est, cui sicuti & ceteris præsidens sanctus Martinus Papa hortatus est Episcopos, ut adversus hæreticos strenue decertarent, eosdemque Sanctorum Patrum sententiis veluti jaculis confoderent, quamobrem allata sunt sanctorum Patrum volumina, Ambrosii scilicet, Augustini, Basilii, Gregorii Nisseni, & Nazianzeni, Cyrilli, Amphilochii, Hippoliti, Grisosthomi, Theophili, Hilarii, Leonis Magni, Athanasii aliorumque ex quibus velut e pharetra sagittas, quibus ferirent hostes acciperent. Recitatisque, eorumdem sanctorum Patrum sententiis, iisdemque a Sancta Synodo collaudatis, jussa sunt legi veterum hæreticorum scripta, quibus consentientes fuisse recentiores hæretici convincerentur, pariterque mendaces arguerentur, dum ut deciperent simpliciores, se Patres sequi, & sacra Concilia tueri mentiti essent; ostendereturque pariter ab iisdem adulterata fuisse eorumdem sanctorum Patrum dicta. His igitur a sancta Synodo exacte cognitis atque discussis, & vera de Verbi incarnatione doctrina firmata, ad eam spectantes, & ad confutandas adversariorum assertiones viginti sanciti sunt canones, quibus singulis anathema in eos additum est, qui contra sentirent, iisque integra fidei confessio circa Trinitatis mysterium, & Verbi incarnationem inserta est, ac nominatim, repetita non semel excommunicationis sententia, perculsi sunt cum antiquis hæreticis, atque inter eos Origines etiam

etiam, Dydimus, & Evagrius, Theodorus Pharanitanus, Cyrus Alex., Sergius, Pyrrhus, Paulus CPolitani Episcopi, una cum Heraclii Ecthesi, & Constantis typo, & ceteris scriptis, in confirmationem, aut defensionem hæresis Monotheliticæ hactenus editis, iisque omnibus Martinus Papa primum subscripsit, deinde ceteri Episcopi; post synodum vero tamquam appendix legitur subscriptio Joannis Mediolanensis Episcopi, Justini Calaritanæ ecclesiæ Deusdedit successoris, qui synodo præsens fuit, & Malliodori Dertonensis ecclesiæ Episcopi, qui cum synodo adesse nequiverint, gestis, & actis absentes subscripserunt.

JESU CHR. AN. 649.

12. Synodo autem absoluta Martinus Papa Synodali, & Encyclica epistola cunctos ubique Episcopos, Presbyteros, Diaconos, Monasteriorum Abbates, & Monachos, quin cunctos etiam ubique fideles, de gestis in synodo certiores reddidit, ac ut a Monothelitarum hæresi caverent, admonuit: eaque post inscriptionem cunctis ecclesiæ membris, & longam præfationem hæc narrat. *Itaque notum facimus vobis dilectissimi fratres, quod & vos sine dubio nobiscum cognoscitis, vigilantem & bene zelantem in Deum habentes proprium cogitatum: quoniam Catholica Dei & Apostolica Ecclesia in quiete & pace consistente, veluti leones rugientes & quærentes quem devorarent, subintrojerunt quidam homines, qui olim præscripti sunt in hoc judicium impietatis sponte procedere hoc est, Theodorus quondam Episcopus Pharanitanus, Cyrus Alexandriæ, Sergius Constantinopolitanus, vel ejus successor Pyrrus, & Paulus, magni Dei & Salvatoris nostri dispensationem in hæreticam novitatem retorquentes, & eum qui redemit nos, Christum Dominum denegantes, ex hoc quod in scripto asserunt minime eum habere secundum formam servi, vel secundum quod propter nos factus est homo, voluntatem aut operationem naturalem, sed sine substantia eum sive natura, & non solum sine anima, & irrationabilem & insensibilem secundum eos existere: quia sicut nos gloriosi Ecclesiæ Patres docuerunt, quicquid absque voluntate consistit & operatione, ab omni caret substantiali natura: pro qua re ipsum gloriæ Deum, & Dominum nostrum Jesum Christum per utramque, ex quibus, & in quibus consistit naturis atque ad pertinentibus eisdem naturalibus proprietatibus perfectum esse* in

S. Martini Papæ Encyclica, & synodalis epistola. *pag. 367.*

Jesu Chr. an. 649. *in omnibus, absque tantummodo peccato, prædicarunt &c.* His multa in hæreticorum deteſtationem, & catholicæ fidei confirmationem addit, ac eos una cum ſectatoribus, eorumque ſcriptis, ac præcipue Ecthesi Heraclii, & Typo Conſtantis diro anathemate percuſſos fuiſſe narrat, ut ibidem videre eſt, digna plane tanti Pontificis, ac ex quamplurimis ſcripturæ teſtimoniis concinnata.

Martini Pontificis ingens animus, & zelus.

13. Atque hoc loco cum Baronio adnotare juvabit, excelſi ſane animi Martinum Pontificem fuiſſe, dum hoc tempore, quo nullus Orientalium Patriarcharum catholicus erat, Imperator vero hæreticus, & acerrimus hæreticorum defenſor, qui in Italiam ad promulgandum Typum Olympium Exarcham cum exercitu miſerat, dum Italia ſub jugo Ariani Regis ideſt Rotharii, ejuſque ducibus premeretur: Nihilominus hoc ipſo acerbiſſimo tempore, idem Sanctiſſimus Pontifex, nulla horum ratione habita, vel trepidatione retardatus, vix aſcenſo Apoſtolico throno, ne quidquam liceret novitati Imperatoris auctoritate graſſanti, confeſtim magnam hanc Synodum Epiſcoporum convocat, non adverſus tantum nominatos hæreticos, quos probe ſciret non indigere alia damnatione, cum damnati eſſent a prædeceſſoribus; ſed adverſus Imperatoris recens promulgatum de fide edictum illud, quod Typum appellant, adeo ut præſens bellum adverſus Imperatorem ipſum potiſſimum videri poſſet ab ipſo eſſe ſuſceptum.

Olympius in Italiam miſſus, quid adverſus Martinum egerit tom. 1. p. 128

14. Et ne hæc in Martini laudem exageraſſe videamur, quanta obſtinatione & perfidia Typum ſuum ab omnibus recipi, & ſubſcribi juberet Imperator Conſtans, ex his quæ Olympius adverſus Martinum Pontificem temerario auſu egit abunde patet, de quibus hæc Anaſtaſius in vita Martini. *Ipſis diebus*, inquit, *Imperator direxit in Italiam Olympium cubicularium ad regendam omnem Italiam, præcipiens ei & dicens: Oportet gloriam tuam, ſicut ſuggeſſit nobis Paulus Patriarcha hujus a Deo conſervandæ urbis peragere: & ſiquidem inveneris provinciam ipſam conſentientem in Typo a nobis expoſito, tuere omnes, qui ibi ſunt, Epiſcopos hujus hæreſis profeſſores & habitatores & peregrinos, ut in eodem ſubſcribant. Sin autem ſecus accidit quomodo nobis ſuggeſſit Platon glorioſus Patricius, tu & Eupraxius glorioſus poteritis ſuadere exercitui ibidem conſiſtenti, quod jubemus teneri Mar-*

Martinum, qui hic erat Apocrisarius in regia urbe, & postmodum relegere eum, qui factus est a nobis Orthodoxus Typus, ut omnes Episcopi Italiæ in ipso subscribant. Si autem inveneritis contrariantem in tali causa exercitum, taciti abitote, donec obtinueritis provinciam, & poteritis vobis exercitum aggregare tam Romanæ civitatis, quam Ravennatis: ut ea, quæ a nobis præcepta sunt, quantocyus explere valeatis. Qui prædictus Olympius veniens in civitatem Romanam, invenit sanctam Romanam Ecclesiam coadunatam cum omnibus Episcopis Italiæ, seu sacerdotibus, vel clero. Et volens adimplere quæ ei jussa sunt, armans se cum exercitus virtute, voluit schisma sanctæ Ecclesiæ intromittere (hoc per plurimum tempus actum est) & non illi permisit Omnipotens Deus, quæ nitebatur perficere. Videns ergo se a sancta Dei Catholica & Apostolica Ecclesia superatum, necesse habuit de sua tam mala intentione declinare, & quod non potuit per manum armatam facere, surreptitio modo per Missarum solemnia nisus est implere. In Ecclesia enim Dei genitricis Mariæ ad Præsepe, dum ei communionem porrigeret sanctissimus Papa, voluit interimere eum, ut demandaverat suo Spathario. Sed Deus omnipotens, qui solitus est servos suos Orthodoxos circumtegere, & ab omni malo eripere, ipse excæcavit spatharium Olympii Exarchi, & non est permissus videre Pontificem, quando Exarcho communionem porrexit, vel pacem dedit, ne sanguis ejus effunderetur, & Catholica Dei ecclesia hæresi subjugaretur: quod postmodum prædictus armiger diversis cum jurejurando professus est. Videns ergo Olympius Exarchus, quia manus domini circumtegebat Martinum Papam, necesse habuit se cum Pontifice concordare, & omnia, quæ ei jussa fuerant, eidem viro indicare. Atque hæc postea Martino Papæ objecta sunt, quasi cum Olympio Exarcha adversus Constantem, & Rom. Imperium rebellasset, ut infra suo loco dicturi sumus.

Jesu Chr. an. 649.

15. Nec in Martino Pontifice minor prudentia, quam animi constantia erat, utraque etenim virtus in epistola ad Constantem Imp. hoc anno data, mirifice elucet, nam eodem tempore, quo acta Romanæ synodi, & gesta adversus Monothelitas transmisit, cum Imperatore stylum suum ita temperavit S. Pontifex, ut etsi eum hæreticis patrocinari sciret, cum eo nihilominus tamquam cum catholico egit, quem etiam piissimum, ac Christi amatorem appellare non du-

Martini Papæ epist. ad Constantem Imp.

tom. 6. conc. pag. 5.

JESU CHR. AN. 649. dubitavit, totam in Paulo CP. Episcopo culpam adscribens; quod suo nomine Typus vulgatus fuerit. Quare post inscriptionem, & Præfationem, subdit. *Quapropter vobis optime Imperator, ut dominum quærentibus in simplicitate cordis & in mentis bonitate de eo sentire properantibus, studuimus ejus annunciare salutare hac relationis nostræ mediocritate. Nobis enim per Amos prophetam de se annunciare præcepit, dicens, Sacerdotes audite, & testificamini domui Israel, dicit Dominus Deus omnipotens. Edocemus igitur pium vestrum ac serenum Imperium, quod in hac Dei amante & cultrice vestra urbe Roma convenientes nos omnes, qui ad mansuetudinem vestram confugimus, ex Apostolica & spirituali unanimitate & consensu, in eadem mente & eadem sententia piam Orthodoxæ fidei definitionem confirmavimus, & congruenter infirmavimus inconvenientem hæreticorum sermonem, qui quondam, quique nunc propriorum sensuum pravitate se a veritate separarunt: qui intra ipsos non recte ratiocinati dixerunt, non habere in humanitatis suæ natura voluntatem, aut operationem naturalem, ipsum, qui propter nos humanatus est, Dominum, sed sine voluntate ipsum existere ac sine operatione, intangibilemque & inanimem esse: & quidem cum Patrum doctrina testem veritatis propriam habentes naturam, ad redarguendam eam, quæ de hoc ab iis dogmatizatur, absurditatem, cum substantiam suam videant ab ipso creatore voluntate præditam & operatoriam factam esse. Quomodo igitur a se fabricatam, & propria incarnatione assumptam a naturali voluntate & operatione diminuit, non vere faciens substantiæ nostræ in se fidem, sed imaginarie & fallaciter dispensationem secundum illos perpetrans, qui ab hoc unam divinitatis ejus atque humanitatis voluntatem & operationem esse dogmatizarunt? Quapropter ab omnibus fere aliarum provinciarum Deo amabilibus Episcopis, & ab Apostolicis Pontificibus in hac seniore Roma constitutis, in dilectione admoniti, ut ab hujusmodi damnabili novitate abstinerent, ad correctionem non venerunt, sed in deterius progressi sunt, divinam ejus voluntatem & operationem in humanam contrahentes: ac veluti asserentes, nullam ullo modo eum in utraque earum, ex quibus, & in quibus est, naturarum, voluntatem & operationem habere, sed absque voluntate naturam esse, & absque operatione: quod omnium tum sanctorum Patrum, tum Oecume-*

menicorum quinque Conciliorum definitiones evertit, quæ per omnia perfectum eumdem in divinitate, & in humanitate perfectum prædicaverunt, tantum absque peccato: nam in peccato naturæ perfectio non conspicitur, sed vitium agnoscitur nostræ transgressionis. Quod si perfectus est, est videlicet perfectus secundum divinam voluntatem & operationem, quemadmodum & juxta naturam principii expertem atque increatam; & secundum humanam quoque tum voluntatem, tum operationem, ut & secundum naturam creatam, & quæ principium habuit. Qui vero in aliquo eum imminuit, manifeste evertit perfecti rationem, eam conspici nullo modo permittens propter ejus, quod naturæ convenit, defectum, quem adversarii, Theodorus videlicet, qui Pharam Episcopus fuit, & Cyrus, qui Alexandriæ, Sergius, qui Regiæ urbis, ac eorum successores Pyrrhus, & Paulus in prima & secunda conscriptione dogmatum suorum non solum posuerunt, sed etiam studuerunt, ut sibi illa per expositionem, hæc per formulam confirmaretur &c. Per expositionem, fidei scilicet, & formulam Heraclii Ecthesim, & Typum Constantis indicasse compertum est: Quare post plurima, synodalia acta cum græca versione mittens, Imperatorem Martinus admonet, hortaturque, ut ab hæreticorum fraudibus, protectione, & communione caveret.

Jesu Chr. an. 649.

16. Ejusdem argumenti sunt aliæ quamplurimæ Sancti Martini Epistolæ in Orientem, & Occidentem, cum synodalibus Romanæ synodi actis, transmissæ: Cujusmodi sunt litteræ ad Ecclesiam Carthaginensem conscriptæ, quarum exordium est. *Omnis quidem virtus dilecti fratres &c.*: Ut autem de rebus gestis in concilio Romano iidem fierent certiores, se ad illos ejusdem acta mittere, una cum iisdem litteris synodalibus his verbis docet. *Ut autem hujusmodi nostri sacrificii pretiosum opus vobis quoque ipsis penitus certum faceremus: ea, quæ in præsenti a nobis gesta sunt, continentia sicut dictum est, vestrorum sermonum splendorem* (eorum scilicet litteras contra eosdem hæreticos Romam missas, iisdem actis insertas), *una cum nostris encyclicis litteris ad vos misimus per Theodorum, & Leontium religiosos monachos S.Lauræ &c.*

Aliæ Martini Papæ epistolæ ad diversos scriptæ. pag. 12.

17. Cum vero ex litteris Stephani Dorensis Episcopi, in synodo Romana lectis, Martinus Papa didicisset, Hierosolymorum, & Antiochenam ecclesias Seracenorum jugo opp-

Martini Papæ epist. ad Joannem Episc. pag. 20.

Jesu Chr. An. 649.

Martinus Joannem Rom. sedis vicarium creat

pressas, in maxima turbatione esse, ac Petrum in Sophronii locum Hierosolymorum Episcopum contra canonum statuta ordinatum fuisse; Macedonium vero hæreticum Antiochenam sedem invasisse, ut his aliisque Orientalis ecclesiæ morbis mederetur, ad Joannem Philadelpiæ Episcopum litteras scripsit, quibus eidem vicariam Rom. sedis potestatem contulit, eique potestatem fecit Episcopos, & Presbyteros, ab hæresi redeuntes in ecclesiæ communionem, cum suis etiam ordinibus, & honoribus recipiendi, cum id ecclesiæ utilitas exegisset, Petri vero, & Macedonii ordinationes reprobavit, eique cum encyclicis litteris suis, Romanæ synodi acta misit, ut per Orientis provincias ea spargeret, ac publicanda curaret: Hinc post multa in ejus laudem dicta, cui vices suas delegavit, addit. *Ut sic prosperans in Domino, ea, quæ desunt, corrigas, & constituas per omnem civitatem earum, quæ Sedi tum Hierosolymitanæ, tum Antiochenæ subsunt, Episcopos, & Presbyteros, & Diaconos, hoc tibi omnimodo facere præcipientibus nobis ex Apostolica auctoritate, quæ data est nobis a Domino per Petrum sanctissimum principem Apostolorum, propter angustias temporis nostri & pressuram gentium, ne usque in finem in illis partibus deficiat sacerdotalis decoris eximius ordo, ac ne inde de cetero nostræ religionis magnum & venerandum mysterium ignoretur, si jam non sit sacerdos, & sacrificium, aut spirituale libamen, quod jugiter Deo in odorem suavitatis pro salute populi offeratur &c.*. Deinde post aliqua: *Quocirca ne differas omnimodo, dilecte, implere juxta præceptum nostrum, Episcopis & Presbyteris & Diaconis, qui istic sunt, Catholicas Ecclesias commendare, qui per propriam eorum conversationem in omnibus bonis testimonium habeant &c.*. Plura inculcans de eorum, qui essent Ecclesiis præficiendi, integritate: quantum vero id cupiat, docet iis, quæ sequuntur verbis, hæc addens: *Dolor enim mihi est magnus, & incessabilis molestia cordi meo, quoadusque per vestrum in Christo studium hoc opus absolutum videam, quandoquidem hoc & prius Apostolica hæc sedes fieri præcepit per memoratum Stephanum dilectum coepiscopum nostrum; sed hoc salutare propositum ad effectum venire prohibuerunt, qui talia prohibere dignos seipsos præstiterunt, qui pro arbitratu suo ea, quæ ædificationis sunt, nota ei omnino non fecerunt, nempe præcepta demandatæ vicis Apo-*

Apostolicæ hujus cathedræ, quibus jussus est electiones ibi facere eorum, qui ad curam christianissimi populi deligendi sunt: solummodo autem ei significarunt de depositione, eorum scilicet, qui se intruserunt, Episcopos in Ecclesias Palæstinæ. Quanta autem diligentia cavendum esset, ne indigni ecclesiis præficerentur, gravioribus hisce verbis Joannem admonet: *Hoc etiam omnino animadvertat charitas tua in iis, qui ab ipsa confirmantur, aut eliguntur, ne præter hæresim, quæ ab ipsis dato libello evacuatur, alia quædam peccata notato canone eorum impediant vel confirmationem, vel electionem . . . . ne & ipsi propter canonis contemptum amplius graventur, & nos in culpa simus, injuste agendi eis licentiam permittentes. Defensores enim divinorum canonum & custodes sumus, non prævaricatores. Cujus rei gratia hortamur canonem observarii in iis, qui præter mentem ac scientiam seipsos elegerunt, vel electi sunt*, Episcopi scilicet, *in Patriarchia beatæ memoriæ Sophronii*, Hierosolymorum Episcopi. *Qui sane ante ipsius Patriarchiam, vel post decessum in Domino, a quibusdam non convenienter electi sunt; propter angustiam (ut dictum est) temporis, vel quod ejus copia non esset, qui judicio adhibito, sive juxta canones eligere deberet, vel permittere: tales, datis scriptis libellis, confirmari mandamus, nullatenus inde canoni præjudicio facto. Novit enim canon afflictorum temporum persequutionibus veniam tribuere, in quibus contemptus non præcessit, prævaricationem redarguens, sed angustia magis & penuria, quæ propter necessitatem ex misericordia cogit multam diligentiam prætermittere. Sed de istis &c.* Ad causam vero Macedonii pseudo-episcopi Antiocheni stylum convertens, sic pergit: *Ejus vero, qui falso Episcopatus sibi nomen affinxit, Macedonii dico, importunas litterarum minas, sive protestationem fortiter despicito, ut rabidi canis & temerarii latratum, auscultans ei, qui dicit: Nolite timere opprobria hominum, & contemptu eorum ne vincamini. Hunc enim Episcopum Catholica Ecclesia nullo modo novit, non solum quod is præter Canones in externa regione sine consensu, & absque ullo certo decreto hanc sibi appellationem usurpavit, sed & quod consentiat hæreticis, qui hæreseos suæ appendicem ejus electionem per contemptum tumultuarie fecerunt: quemadmodum & Petri, qui ab iis nominatus est & assimulatus Episcopus Alexandriæ, ut per*

S 2 plures

JESU CHR. AN. 649.

JESU CHR. AN. 649. Rom. Pontifex canonum vindex. Quando dispensatio locum habeat.

plures & ascriptitias personas hæresim suam munitiorem utique reddant, quam una cum ipsis impræsentiarum canonice hic & synodaliter anathematizavimus. Theodorum videlicet, eosdem scilicet, quos supra sæpe nominatos audivimus in actis Romanæ synodi, quæ eidem Joanni misit. *Per Presbyterum & Apocrysarium nostrum Abbatem Theodorum, & monachos sancti Theodosii religiosissimæ mansionis Joannem, Stephanum, Leontium, qui hujusmodi nostræ Apostolicæ synodo interfuerunt, & per gratiam Dei ipso visu didicerunt, quæ insequuta sunt omnia,* & *canonice definita. Quæ ipse firmiter custodiens, denuncia quoque omnibus, qui illic sunt fidelibus populis inviolabiliter tenere &c.*.

Martini Papæ ingens vigilantia, & Rom. sedis auctoritas.

18. Tandem post plurima in eamdem rem, hæc in epistolæ finem adnotat. *Ecce vero in auxilium, ut magno studio, ac sine ullo impedimento charitas tua ministerium impleat, a nostra Apostolica auctoritate tibi commissum; hortati sumus Deo amabiles Episcopos, ipsum dico Theodorum Esbuntiorum, & Antonium Bacathorum adesse in omnibus, ac pro viribus inservire hujusmodi spirituali voluntati tuæ, quibuscum & Georgium dilectum Presbyterum, & Archimandritam, & Petrum Christi amantem, Adrænsem nempe, ac omnino eos, qui in illis partibus fidem Dei, verumque zelum habent, quorum merces plurima erit apud Deum, cum vobis promptitudinem animi studiique sui præstiterint in omni obedientia & gratiæ perfectione.* Hactenus epistola sancti Martini ad Joannem Episcopum Philadelphiæ, ex qua satis perspicue intueri potuisti Romanæ Ecclesiæ super omnes Ecclesias vigilantiam, auctoritatemque præcipuam, simul & ipsius Martini sanctissimi Papæ in administranda universali Ecclesia robustæ mentis indefessum robur, dum paucos menses in præfectura pastorali agens, eo tunc Christianum orbem salubri per epistolas, & legationes aliaque scripta juvamine operose lustravit, lapsos erigens, stantes confirmans, perfidos damnans, adversantes redarguens, errantes admonens, fortesque consolidans, conducens magnus Pater familias operarios in vineam suam, quam (ut queritur) his temporibus singularis ferus depascebatur, impia gens Sarracenorum, & vulpes, hæretici ipsi, prorsus perdere laborabant.

Martini epist ad Theodorum episc.

19. Hinc alias ad dictum Theodorum Ecbuntiorum Episcopum litteras dedit, quibus eum admonet, ut Joanni Phi-

Philadelphiensi, Romanæ sedis vicario, præsto esset: Hic unus, ex lapsis in hæresim Episcopis erat, at facti pœnitens cum honore Episcopatus receptus fuerat, quare ut in incœptis perseveraret, & Joanni suo vicario subesset, sanctus Pontifex hortatur. *Theodoro Episcopo Esbuntiorum Martinus &c. Est confusio adducens peccatum, & est confusio adducens gloriam & gratiam: Tu igitur religiosissime frater confusionem vituperabilem culpans, scripta tua secundum Deum satisfactione, gloriam tibi & gratiam acquisivisti, gloriam quidem Orthodoxam de ipso domino, ac Deo nostro confessionem, gratiam vero splendorem tuorum in virtute illustrium studiorum, quibus non solum nobis innotuisti in pietate perfectus; sed & ipsi universorum Salvatori Christo cum multa libertate placitus &c.*, & post multa in ejus laudem addita; *Quæ autem synodaliter a nobis hic gesta sunt ad confirmationem defensionemque Ecclesiæ Catholicæ, idest, paternarum ejus ac Synodalium definitionum, nuper misimus ei, qui a nobis Vicarius canonice designatus est, dilecto fratri nostro & Episcopo Philadelphensium civitatis: cui bene facitis assentientes, & omnes Orthodoxos una vobiscum excitantes ad eorum articulorum implementum, qui ei pie commissi sunt ad commendationem Ecclesiæ Catholicæ. Nam pro ea multa vobis in sempiterno regno merces erit.* Hæc Martinus ad Theodorum, postliminio ad Ecclesiam Catholicam ante reversum. Ejusdem conditionis fuit Antonius Episcopus Bacathorum, qui pariter lapsus & pœnitens reversus, libellum itidem Romam fidei Catholicæ ad ipsum miserat, ad quem extat Martini epistola, quæ sic incipit. *Decipi quidem & falli commune est, propriumque humanæ infirmitatis: at in melius commutari, solius opus est gratiæ &c.*. Scripsit tunc pariter ad Georgium Archimandritam, patrem Orthodoxorum monachorum monasterii sancti Theodosii, ex quo progressus erat Stephanus Dorensis Episcopus, qui pro Ecclesia Hierosolymitana bis eadem ex causa ad Romanum Pontificem legationis munere functus fuerat. His insuper adjecit alias litteras ad Pantaleonem quemdam, qui impedimento fuerat Stephano Episcopo Dorensi, ne susceptam vicem Apostolicæ Sedis libere exerceret quarum hoc, est exordium: *Semper qui omnis hominum vitæ &c.*. Scripsit & ad Petrum virum illustrem maximeque pium, commendans dictum Joannem Phila-

JESU CHR. AN. 649.

Jesu Chr. an. 649.

ladelphiæ Episcopum, Vicarium a se in Oriente institutum ad reparandas pastoribus destitutas Ecclesias, ob barbarorum clades illatas, atque hæ Martini epistolæ initio tomi 6. conciliorum integræ extant, pagina 31. & seqq.

Martini epist ad ecclesias Hierosolym & Antiochenam. *tom. 6. conc. pag.* 40.

20. Uberiores etiam eo de argumento litteras ad ecclesias Hierosolymitanam, & Antiochenam dedit; idest ad Presbyteros, Monachos, & laicos earumdem ecclesiarum, quos de condemnatione in Romana synodo hæresis Monotheliticæ cum auctoribus suis admonet; de irrita ordinatione Macedonii in Antiochenum Episcopum, & Petri Alexandrini agit, ac de delegata Apostolicæ Sedis vice Joanni Philadelphiæ Episcopo certiores reddit, atque ut eidem obediant jubet, cui etiam se acta Romanæ synodi misisse adnotat.

Martini epist in Gallias missa.

21. In Gallias quoque Encyclicas suas litteras, cum actis Romanæ synodi misisse S. Martinum, scimus ex actis & vita Sancti Eligii Noviomensis Episcopi, quam coevus scriptor, seu Sanctus Audoenus Rothomagensis Episcopus conscripsit, qua de litteris a Sancto Martino Papa in Gallias missis, ac de synodo Romana adversus Monothelitas celebrata hæc adnotat. *In quo Concilio omnibus orthodoxis consentientibus edidit contra hæreticos fidem*, confessionem scilicet fidei, *magnifice valde & accurate*; *quam etiam cum subjuncta epistola Galliarum Patribus destinavit*, *mandans & obtestans Regem Francorum*, nempe Clodoveum, *ut si essent ei viri Catholici, & eruditi, & ipsi adminiculum ad hæresim comprimendam faceret destinari*. *Quo tunc etiam Eligius cum sodali suo libentissime perrexisset*, *nisi res ei quædam impedimento fuisset*. Studuit Martinus Papa, petiitque a Francorum Regibus præcipuos mitti Romam Gallicanos Episcopos, quibus credi posset legatio Apostolica, quam in Orientem ad Constantem Imp. una cum litteris mittere destinaverat, ut in sua ad Amandum Trajectensem Episcopum epistola docet S. Martinus his verbis: *& Sigibertum præcellentissimum filium nostrum Regem Francorum pro suæ Christianitatis remedio consultissime admonere atque precari*, *dirigere nobis ex corpore fratrum nostrorum dilectissimos Episcopos*, *qui sedis Apostolicæ legatione*, *divina concedente propitiatione*, *fungi debeant*, *& quæ in nostro Concilio peracta sunt*, *cum aliis Synodolibus apicibus nostris ad clementissimum Principem no-*

nostrum sine dubio adportare, ut nostrorum laborum particeps effectus, mercedis cumulum adipisci valeat, & sui regni protectorem inveniat eum, cujus causa dignoscitur: hoc namque & per ejus epistolam exhortari eum cognoscimus, Porro cum *Principem nostrum Clementissimum* dicit S. Martinus, non alium, quam Imperatorem Constantem designavit. Jesu Chr. an. 649.

22. Quod itaque apud Clodoveum primo egerat S. Martinus, cui synodalia acta cum Encyclicis litteris suis miserat, ut ex vita Eligii diximus; idem apud Sigebertum Austrasiæ Regem, & Clodovei fratrem egisse, ejusdem Pontificis epistolæ ad Amandum Trajectensem Episcopum data docet; Martinum quippe Pontificem litteris suis adierat Amandus, ab eoque tum reliquias Sanctorum, & Codices quosdam sibi mitti rogaverat, ac ut sibi Episcopatu cedere liceret licentiam petierat, cum improbos cleri sui mores nec corrigere, aut sustinere posset. Huic ergo rescribens S. Martinus reliquias quidem se tradidisse narrat, Codices vero adeo exesos, seu exinanitos fuisse ait, ut *unde daremus ei*, (legato scilicet, quem Romam Amandus cum litteris suis miserat) *nullatenus habuimus, transcribere autem non potuit, quoniam festinanter de hac civitate regredi properavit*: licentiam vero se a munere Episcopali retrahendi negavit, quin ut patienter ferret, hortatus est; eaque occasione de habita Romæ synodo certiorem reddidit, cujus acta, cum litteris Encyclicis misit; digna quidem ut integra exscriberetur, nisi nos brevitatis studium retineret; Quare post multa de patienter sustinendo onere Episcopali, subdit. *Suggestum namque est nobis, eo quod Presbyteri, seu Diaconi, aliique sacerdotalis officii post suas ordinationes in lapsu conquinantur, & propterea nimio mœrore fraternitatem tuam adstringi, velleque pastorale obsequium pro eorum inobedientia deponere, & vacationem ab Episcopatus laboribus eligere, & in silentio atque otio vitam degere, quam in his, quæ tibi commissa sunt, permanere, dicente Domino: Beatus qui perseveraverit usque in finem; quia secundum Apostolicam prædicationem: Omnes qui voluerint in Christo pie vivere, persecutiones patientur. Ideoque frater charissime, non vos afflictionum amaritudo a pio mentis vestræ proposito coarctet recedere, considerans quanta pro absolutione nostri & liberatione Creator Dominusque noster pertulerit, quibusve se contumeliis afficiendum*

Martini Papæ epist. ad Amandum Trajectensem.

Jesu Chr. an. 649. *dum tradiderit, ut nos a vinculis potestatis diabolicæ liberaret. Propterea nullatenus in hujusmodi peccato delinquentibus, ad destructionem canonum compassionem exhibeas. Nam qui semel post suam ordinationem in lapsum ceciderit, deinceps jam depositus erit, nullumque gradum sacerdotii poterit adipisci; sed sufficiat ei lamentationibus fletibusque assiduis, quousque advixerit, in eodem pœnitentiam perdurare, ut commissum delictum divina gratia extinguere valeat. Si enim tales quærimus ad sacros ordines promovendos, quibus nulla ruga, nullumque vitæ contagium præpediat: quanto magis si post ordinationem suam quisque in lapsum ceciderit, & prævaricationis peccato deprehendatur obnoxius, omnino prohibendus est cum manibus lutulentis atque pollutis mysterium nostræ salutis tractare?*

De gestis a Martino Papa adversus Monotheliteas.

23. De gestis vero adversus Monothelitas hæc addit. *Credimus ad vos provenisse quomodo in conturbatione rectæ fidei & catholicæ ecclesiæ conculcatione ante hos plus minus quindecim annos a Sergio falso Episcopo Constantinopolitano, in auxilio habente tunc imperantem Heraclium execranda & abominanda hæresis pullulavit Apollinaristarum, & Severianorum, Eutychianistarum, atque Manichæorum errorem revocans, quam successor ejus Pyrrhus idemque Episcopus, qui ambitionis fastu Constantinopolitanam sedem arripuit, in deterius auxit. Pro qua re sæpius Apostolica sedes persuasionibus, contestationibus, atque increpationibus pluribus admonuit eos, quatenus ab hujusmodi errore recederent, & ad lumen pietatis, ex quo lapsi sunt, remearent: & non solum hæc facere nullatenus voluerunt, sed & nunc successor ejus Paulus temerator fidei Episcopus Constantinopolitanus, alium nequiorem excogitavit in præjudicium Catholicæ fidei conatum, quasi quæ a decessoribus suis hæretice exposita fuerant, destruens, & Imperialem Typum sacrilego ausu totius plenum perfidiæ a clementissimo Principe nostro fieri persuasit, in quo promulgatum est, ut omnes populi Christiani credere debuissent. Ideoque necesse habuimus, ne pro quadam negligentia & animarum detrimento, quæ nobis commissæ sunt, culpæ reatu adstringamur, cœtum generalem fratrum & coepiscoporum nostrorum in hac Romana civitate congregare, in quorum præsentia memoratorum hæreticorum scelerosa conscripta examinata atque denudata sunt, & Apostolico mucrone, Patrum-*

trumque definitionibus uno ore unoque spiritu condemnavimus: ut cognoscentes universi errorem, qui in eis continetur, eorum pollutione nullatenus maculentur. Unde prævidimus volumina gestorum Synodalium in præsenti vobis dirigere una cum nostra, ex quorum serie omnia subtiliter potestis addiscere, & tenebras illorum nobiscum ut filii lucis extinguere. Idcirco studeat fraternitas tua, omnibus eadem innotescere, ut tam abominandam hæresim nobiscum execrentur, quamque suæ salutis sacramenta indiscere valeant, atque Synodali conventione omnium fratrum & coepiscoporum nostrorum partium illarum effecta, secundum tenorem Encyclicæ a nobis directæ, scripta una cum subscriptionibus vestris nobismet destinanda concelebrent, confirmantes atque consentientes eis, quæ pro Orthodoxa fide, & destructione hæreticorum vesaniæ nuper extortæ a nobis statuta sunt: atque hæc de gestis S. Martini Papæ hoc anno adversus Monothelitas satis sint. JESU CHR. AN. 649.

23. His acceptis a Martino Papa litteris, propositum nihilominus Episcopatui renunciandi nequaquam Amandus deposuit; cui paulo post renunciavit ut indicat Baudemundus in ejus vita apud Mabillonium seculo 2. Benedictino num. 17. ubi de Episcopatu suscepto & abdicato agit. *Coactus a Rege, ac Sacerdotibus Pontificalem suscepit cathedram, sicque per triennium fere vicos vel castra circumiens, verbum Domini constanter omnibus prædicavit. (Multi etiam quod dictu quoque nefas est), Sacerdotes atque Levitæ prædicationem illius respuentes audire contempserunt: ac ille secundum Evangelii præceptum, pulverem de pedibus in testimonium excutiens, ad alia properabat loca.* Deinde de gestis ab eo postquam Episcopalem sarcinam deposuerat, hæc iterum idem subdit Baudemundus in ejus vita: *Parvam reperiens insulam, cui vocabulum est Canelaus*, (vulgo Calloo Frisiis adjuncta) *juxta Scaldum fluvium, aliquantis diebus cum fratribus spiritualibus, ibidem Christo militare studuit, sed orbi Dei contemptores per biennium fere ingens attrivit plaga*; Quare iis relictis, *ad quamdam gentem quam Vacciam appellavit antiquitas, ei qui nunc vulgo noncupatur Vvasconia, quæ gens erga Pyrræneos montes diffusa erat*, ac Idolis adhuc inserviebat: *Verum illis in cæcitate permanentibus, ad alia demigravit loca*, tandem Elnonense monasterium in silva extructum; sedem, senectutis suæ, & sepulturam elegit, ut

Amandus Episcopatum abdicat quid postea gesserit. *Bolland. die 7. Febr.*

Jesu Chr. an. 649. ut pluribus in ejus vita narrat auctor, apud Mabillonium, & Henschenium, ac in Trajectensi cathedra successorem sanctum Remaclum habuit.

Chindosuintus Hispaniæ Rex Recensuindum Regno sociat. Pag. not. 12. an. 649.

24. Chindosvindus interea, ut Regnum Gothorum in Hispania, quod hactenus electivum fuerat, familiæ suæ hæreditarium faceret, filium suum Flavium Recensuindum Regni sui consortem hoc anno fecit, eique Regni administrationem delegavit. Hinc factum ut solus imposterum Hispaniæ Rex dictus fuerit, etsi pater ejus triennio adhuc superstes extiterit, ut post Marianam adnotat Pagius.

JESU CHRISTI an. 650. Martini Papæ 2. Constantis Imp. 10. Rotharii Italiæ Regis 15.

Martini Papæ epistola ad Paulum Thessal. Episc. epist. 12. pag. 46.

1. Quanta animi constantia Monothelitarum hæresim S. Martinus Papa Pontificatus sui initio insectatus fuerit, anno proximo exposuimus, atque ad ultimum usque vitæ spiritum adversus eam certasse dicenda monstrabunt. Hoc autem anno indictione octava cum legatos Pauli Thessalonicensis Episcopi accepisset, cum litteris ejusdem & confessione fidei, quibus de ordinatione sua Martinum certiorem fecerat; ex ejus autem litteris cognovisset, eum Monothelitica labe infectum fuisse, non sine indignatione litteras ejus cum ejusdem fidei confessione sibi oblata rejecit, at cum Pauli apocrysarii Pithanus Episcopus, & Ignatius Diaconus in eam excusationem dixissent, non ex mentis errore, sed ignorantia ea in litteris suis inseruisse, paratumque fore ea emendare, ac fidei confessioni, quam ipse Pontifex misisset subscribere, ea accepta, Thessalonicam reversi sunt, at tantum abfuit, ut Paulus errorem suum retractaret, aut confessioni fidei a Martino missæ subscriberet, quin peccatis peccata addens, secum in errorem Apostolicæ Sedis apocrisarios traxit. Quare Martinus Papa juxta indignatione commotus, graves vereque doctrina & spiritu Apostolicas ad eum dedit litteras, quibus tum ob hæresim Monotheliticam, cum ob alia crimina, excommunicationis, & depositionis in eum sententiam dixit, in quibus multa præfatus de severitate divinæ justitiæ, dum etiam per ignorantiam patrata peccata; vel per oblivionem castigat, graviori eum pœna dignum fuisse demonstrat, qui non in uno, nec semel

mel, aut per obreptionem, vel ignorantiam peccaverit, sed obstinato animo, atque ex prava animi affectione; Unde subdit S. Martinus. *Manifeste enim secunda dogmatum tuorum transgressio etiam primam voluntariam demonstravit, & ex prava meditatione sive sensu hæretico contra fidem a te factam fuisse, non ex involuntaria irreptione, aut corde non ficto. Nos igitur oportuit, creditum nobis onus Pontificalis ministerii reputantes, id est, providæ animarum curæ atque diligentiæ, nullatenus morari ac differre, cum fides a te proderetur, sed rigore canonis præcise utentes, ex prima interpellatione scriptum tuum una cum eo, qui scripsisset, damnare; ne rationalibus Domini ovibus mortiferum doctrinæ porrigens gramen; eos tecum per malam fidem mortificares, privaresque æterna secundum Christum vita, pro quibus ipse animam suam posuit bonus pastor. Sed per longanimitatem sustinuimus, nec pœnam inflximus, acceptis misericorditer precibus Pithani Episcopi & Ignatii Diaconi tuorum Apocrisariorum, qui maxime asseverarent & affirmarent, ejusmodi litterarum involuntariam esse abreptionem, nec mentis certæ sententiæ opus esse illam absurditatem dogmatis tui: unde & dicebant statim ac sine mora a pejori dogmate in melius mutationem in te fore, si te, (juxta illorum postulatum) de eo amanter monuissemus: cujus rei causa nos hortati sunt, ut tibi ostenderemus, nos ea, in quibus lapsus es, notasse. Quod utique per Apocrisarios nostros fecimus, rigorem canonis per charitatem omittentes, teque adhortantes, non tamen præcipientes omnino quem subjecto huic Apostolicæ Sedi, ut huc venires, teque canonice expurgares de his, quæ initio creationis tuæ non pie docuisti. Sed curavimus (inquit Hieremias) Babylonem, & non est sanata: quoniam pervenit usque ad cælos judicium ejus. Non solum enim ipse incorrectus mansisti, sed memoratos Apocrisarios nostros decepisti, idque erga eos fecisti, quod astutus serpens fecit adversus Adam, desertorem una secum eum constituens, qui a Domino mandatum acceperat &c.*

Jesu Chr. an. 650. Pauli Thessal Episc. errores & crimina.

2. Quare post aliqua tum in Apocrysarios suos, cum in Paulum Thessalonicensem Episcopum, hanc S. Martinus tulit sententiam: *Quamobrem hos quidem in cinere, & sacco, & afflictione animæ, & corporum & lachrymis pœnitentiæ opprobrium ipsis a te illatum expurgare jussimus, quod non solum Apostolicam contempserint potestatem, sed etiam sa-*

Martini Papæ sententia in Epocrysarios suos, & in Paulum Episc.

JESU CHR. AN. 650. *sapientem non audierint parabolam, quæ dicit: Quando submiserit inimicus vocem suam, ne credideris ei: quoniam septem nequitiæ sunt in corde illius. Te vero una cum hæreticis tuis litteris, id est, litteris Synodalibus, quæ & prius, & nunc a te ad nos missæ sunt, sententia anathematis damnavimus, ex eo die, qui scriptus a nobis ac definitus est, nempe a die prima præsentis mensis Novembris, Indictionis octavæ, qua die missas a te lubricas litteras accepimus, & condemnavimus: quo ad ea, quæ synodaliter a te gesta sunt, quæque prius & quæ nunc tu cum omnibus, qui quomodocumque vel scripto, vel sine scripto iis patrocinantur, aut ea defendunt, nobis consentiendo, damnetis, & anathematizetis ut hæretica & vana*: deinde post aliqua. *Quapropter cognoscens cognosces; quemadmodum diximus, quod depositus sis ab omni Sacerdotali dignitate & ministerio in sancta Dei catholica & apostolica ecclesia, quod sine ulla prætermissione omnia, quæ a nobis hic synodaliter sancita sunt, ac definita ad confirmationem & commendationem catholicæ ecclesiæ, videlicet dictorum sanctorum Patrum, & universalium quinque synodoram scripto confirmes &c.*; idest ut iterum paulo post addit: *Anathematizes omnes hæreticos, quos anathematizamus, idest quos anathematizat catholica Dei & Apostolica ecclesia cum omnibus hæreticis ipsorum dogmatibus, & eos, qui nunc exorti sunt hæreticos, & qui a nobis synodaliter propter ipsorum hæresim anathematizati sunt. Theodorum dico, qui fuit Episcopus Pharan, & Cyrum qui Alexandriæ, & Sergium, qui CPolis, ejusque successores Pyrrhum, & Paulum, cum omnibus ipsorum hæreticis dogmatibus, & impia expositione*; (idest Heraclii Ecthesi) *magisque impia formula*, (seu Typo Constantis) *eorum, quæ ab ipsis nefarie firmata sunt, ad orthodoxæ fidei eversionem & omnibus simpliciter, qui vane affirmant unam, sive nullam omnino confitentur divinitatis & humanitatis Christi naturam, aut voluntatem aut operationem, quos ut hostes, & adversarios suos catholica Dei & apostolica ecclesia jure abiicit & anathematizat*. Quare ut ad consilia saniora revertatur excitat; ut suam, & Apostolicæ Sedis gratiam promereri posset, cui etiam crimini dat, quod cum ab antiquis temporibus Thessalonicensis Episcopus Apostolicæ Sedis vices in Illyrico gereret, se nihilhominus Vicarium Apostolicæ Sedis in litteris

suis

suis non dixisset. *Nam cognitio rerum tuarum*, inquit, *conciliabit tibi celerem in iis correctionem, maxime si una cum proprio dogmatis errore, corrigas etiam, quæ in sacros canones peccasti, eos enim irritos facere ausus es, qui teipsum per proprias litteras non confessus sis ut subditum huic Apostolicæ Sedis Vicarium. Qui igitur in utroque lapsus es, utrique studeto convenienter mederi: non enim aliter habebis perfectam a nobis veniam, nisi in utroque nobis correctionem tuam exhibeas.*

Martini epist. 13. ad Clerum & populum Thessal. pag. 57.

3. Hactenus Martinus Papa ad Paulum Thessalonicensem Episcopum; eodemque tempore alteram ad Clerum & populum Thessalonicensem dedit, qua fusius causas exponit, cur Paulum eorum Episcopum condemnaverit, eosque ut ejusdem communionem refugerent, admonet. Unde post plurima. *Quocirca*, inquit, *& vos, charissimi hujusmodi nostram pro vobis scientes solicitudinem, & edocti diligenter a divinitus inspiratis Scripturis, quod nulla est participatio justitiæ cum iniquitate, nec societas lucis ad tenebras, nec conventio Christi ad Belial, nec pars fideli cum infidelibus, neque consensus Orthodoxorum cum hæreticis: omni custodia custodite cor vestrum, nullam participationem habentes, nec societatem, nec consensionem, nec connexionem cum hujusmodi homine: ac ne ulla ratione assentiamini ejus doctrinæ, sed assidue permanentes in sanctissima nostra fide, servite Deo in conscientia pura: Synaxis autem ministerium perficiant vobis, qui ibi sunt Presbyteri, & Diaconi, qui diligenter & acceptabiliter rectam Catholicæ Ecclesiæ nobiscum doctrinam suscipiunt, quæ nuper ad vos a nobis scripta est, & abjicientes omnem hæresim ac novitatem, quæ ab Apostolica prædicatione condemnatur, quousque (ut dictum est) ille sua corrigat, aut alius pro illo canonice eligatur pastor bonus ac verus, quique animam pro ovibus ponat, imitatione principis pastorum Christi, in loco pascuæ vos collocans, & super aquam refectionis educens.*

Agilbertus Episcopus Occidentalium Saxonum.

4. Hoc anno Agilbertus, Occidentalium Saxonum Episcopus ordinatus est, ac Secundus Dorcestriæ, ubi primum Birinus sedem fixerat, Episcopus fuit, ait Pagius. Is porro natione Gallus, cum in eam regionem transiisset, ab Egnigilso Occidentalium Saxonum rege rogatus: *ut accepta Episcopali sede, suæ genti manere Pontificem, qui precibus ejus* an-

Jesu Chr. An. 651.

annuens, multis annis eidem genti Sacerdotali jure præfuit; ait Beda, ideſt uſque ad annum 660. quo Dorceſtrenſi Epiſcopatu abdicato, in Gallias rediit, ubi paulo poſt Pariſienſis eccleſiæ adminiſtrationem obtinuit, ut infra ſuo loco dicturi ſumus.

JESU CHRISTI AN. 651. MARTINI PAPÆ 3. CONSTANTIS IMP. 11. ROTHARII ITALIÆ REGIS 16.

Olimpii Exarchi obitus cui succedit Theodorus Calliopa.

1. Olympium Italiæ Præfectum, ſive Exarchum a Conſtante Imperatore miſſum fuiſſe, eumque Romam intraſſe cum ſynodus Lateranenſis a Martino Papa celebraretur, anno 649. ex Anaſtaſio adnotavimus; ac fruſtra eum, ut Conſtantis Typus a Martino, vel ſynodo Romana, & Clero ſubſcriberetur laboraſſe diximus. Hoc autem tempore colligens exercitum, ut narrat Anaſtaſius; *profectus eſt Siciliam adverſus gentem Seracenorum, qui ibidem habitabant, & peccato faciente, major interitus in exercitu Romano pervenit, & poſt hoc idem Exarchus morbo interiit. Deinde derectus eſt ab Imperatore Theodorus Exarchus, qui cognomento Calliopa dicitur.* Quouſque vero Olympius vitam tenuerit poſtquam in Siciliam tranſierat, cum neque Anaſtaſius, aut alius ſcriptor adnotaverit, in obſcuro eſt. Eum tamen hoc anno ob res male geſtas in Sicilia periiſſe, veroſimile eſt, & Anaſtaſii textus indicare videtur, dum eum in Siciliam tranſiiſſe, ibique exercitum perdidiſſe, ac morbo periiſſe, uno orationis contextu adnotat. Quare cum anno 649. deſinente in Siciliam tranſierit, ibique anno ſequenti 850. cladibus a Seracenis affectus fuerit, labenti tandem anno obiit, cui anno ſequenti 652. Theodorus Calliopa ſucceſſor a Conſtante Imp. in Italiam miſſus eſt, qnem graviſſimam adverſus Martinum Pontificem perſecutionem excitaſſe anno 653. videbimus. Interea cum Seracenos in Siciliam quoque tranſiiſſe hoc tempore in Anaſtaſio legimus mirari ſubiit, quomodo Arabum viliſſima gens, anteactis temporibus vix cognita, tales tantoſque progreſſus fecerit, ut breviſſimo annorum curriculo Perſicum Imperium funditus exterminaverit, Romanum vero ita decurtaverit, ut præcipuas Orientalis Imperii provincias, Syriam ſcilicet, Paleſtinam, Ægyptum, aliaſque ſuo ſubjugaverit Imperio, & uſque ad Italiam, &

uſque

usque ad extremas pene Occidentis plagas sese dilataverit, ita ut ad Seracenicam gentem ea facile aptari possint, quæ de hostibus Moab a Deo excitandis per Jeremiam Prophetam Deus prædixerat: *Velociores aquilis equi illius, dicit Dominus*, & iterum: *Ecce quasi Aquila volabit & extendet alas suas ad Moab*. Et utinam his limitibus stetisset Seracenorum Imperium, sed proh dolor! quis ignorat, eousque Mahumetanorum, seu Turcarum Imperium excrevisse, ut totum, quo late patebat Orientale Imperium, cum Regia Constantinopolis urbe, invasisse, ac in Occidentale quoque non semel infesta arma intulisse, ac nobilissimas maris Ægei, & Jonii insulas, cum vastissimis Occidentalis quoque Imperii provinciis occupasse, & adhuc non siue Christianæ religionis detrimento retinere, ut de vinea domini Sabaoth vere dici possit, quod *singularis ferus depastus est eam*. Quæ quidem occulto, sed justo Dei judicio facta fuisse non est dubitandum. Et utinam veniat aliquando tempus, quo exurgens Deus, dissipentur inimici ejus, & iram suam, vel saltem misericordiam extendat in gentes, quæ non noverunt eum, nec nomen ejus invocaverunt.

Osvvini Regis obitus & laudes. *Beda hist. Angl. lib. 3. 14.*

2. Hoc ipso anno 651., ut in epitome adnotat Beda. *Osvvinus Rex occisus, & Ajdam Episcopus defunctus est*, in historia vero Osvvinum Regem Dejrorum violenta manu occisum fuisse, die 13. Kal. Septemb. anno Regni ejus nono adnotat, Ajdanum vero Lindisfarnensem Episcopum, *non plus, quam duodecimo post occisionem Regis, quem amabat die, idest pridie Kal. Septemb.* ad Deum migrasse narrat, quem etiam multis laudibus celebrat, præsertim ob animi demissionem, & humilitatem, & effusam in pauperes liberalitatem, quam ob causam inter sanctos in martyrologio Anglicano ad diem 20. Augusti inscribi meruit, cujus res præclare gestas idem Beda prosequitur. Peremptus autem est Osvvinus ab Osvio Berniciorum Rege, ut ibidem refert Beda, qui addit Osvium paulo post sceleris sui pœnituisse, & magnis fletibus crimen diluisse, structa etiam, ad veniam criminis facilius impetrandam æde sacra, & monasterio, cujus meminit Beda lib 2. cap. 24.

Ajdani Lindisfarnensis Episc. obitus & elogium.

3. Ajdanum vero Lindisfarnensem Episcopum duodecimo, post occisionem Regis Osvvini, die, idest pridie Kal. Septemb. obiisse *decimo septimo Episcopatus sui anno* adnotat Beda

JESU CHR. AN. 641. Beda lib. 3. cap. 17. quem magnis inclaruisse virtutibus narrat, ejusque nomen die 31. Augusti Martylogio Romano inscriptum est. In vita autem Sancti Guthberti, qui sextus Lindisfarnensis Episcopus fuit, narrat Beda Guthbertum, dum remotis in montibus, pecorum custodiam ageret, nocte quadam fusum de Cœlo lumen vidisse, & cœlestium choros agminum terras petiisse, & rapta secum anima claritatis eximiæ supernam rediisse ad patriam, *Agnovitque*, inquit Beda cap. 2.. *mane facto Antistitem Lindisfarniensis ecclesiæ Ajdanum, magnæ utique virtutis virum, per id temporis, quo viderat, raptum de corpore, Cælestia Regna petiisse, ac statim commendans suis pecora quæ pascebat Dominis, Monasterium petere decrevit*. Hoc itaque anno Sanctus *Cuthbertus* a pastorali vita ad Monasticam transiit, & Monasterium *Maitrosense* ingressus est, eique præfuit, deinde Lindisfarnensi, annoque DCLXXVI. in Franem insulam discessit & Anachoreticam vitam duxit usque ad Episcopatum. Sed de *Guthberto* rursus infra agetur, cujus vitam Beda descripsit, ut apud Bollandum ad diem XX. Martii, ac apud Mabillonium Sæculo II. videre est. Ajdano in Episcopatum Lindisfarnensem successit Sanctus *Pinanus*, *& ipse ab Hii Scotorum insula ac Monasterio destinatus*, inquit Beda lib. 3. cap. 17.

Isdegerdis Persarum Regis obitus, & Regni Persarum finis.

4. Romanorum æque, ac Persarum Imperium uno eodemque tempore Seracenos invasisse supra diximus, Persici tamen Imperii interiores partes, usque ad hunc annum, quo vixit Isdegerdes retinuit, at hoc anno e vivis sublato, Persicum Imperium quo late patebat, Seraceni occuparunt, si Elmacino fides habenda, dum scribit anno Hegiræ 31. *Vitam amisit Jasdegirdus filius Siabriaris filii Chosroe Regis Persarum, qui ultimus fuit Regum eorum, evanuit enim tunc plane eorum gloria, & cesserunt provinciæ eorum Muslimis*, idest Musulmanis, quibus nominibus Seraceni, tamquam recte credentes dicebantur: Persarum itaque Regnum, quod àb Arthaxare incœperat anno quarto Alexandri Severi Rom. Imperatoris, Christi 226., per annos quadrigentos vigintisex, usque ad labentem stetit: De Isdegerdis uxore nomine Cæsara narrat Paulus Diaconus, Constantis Imp. tempore, eam furtim ex Perside Constantinopolim aufugisse, ibique suscepto baptismate, Christo nomen dedisse, quam, cum missis ad Constantem legatis Isdegerdes expetiisset, non alia conditione

tione se eam restituturam respondit, nisi is quoque Christi fidem susciperet, quamobrem Isdegerdes, qui etiam Hormisdas dictus est, cum ingenti Persarum comitatu, CPolim profectus, atque ex sacro fonte ab ipso Imperatore susceptus Christi fidem amplexus est, indeque a Constante multis donariis auctus, ad sua, seu in Persidem rediit. Quam fidem hæc Pauli Diaconi historia sibi vindicet, ignoramus, hæc certe historici Græci ignorarunt.

JESU CHR. AN. 652. *Paul. diac. lib. 4. hist. Longob. cap. 52.*

JESU CHRISTI AN. 652. MARTINI PAPÆ 4. CONSTANTIS IMP. 12. RODOALDI ITALIÆ REGIS 1.

Rotharii Regis obitus, sui Rodoaldus succedit. *Paul. diac. hist. lib. 4. cap. 48.*

1. Hoc anno Longobardorum Rex Rotharius, *Postquam annos sexdecim, & menses quatuor Regnum tenuerat, vita decedens, Longobardorum Regnum Rodoaldo suo filio reliquit*, ait Paulus Diaconus, qui de ejusdem sepultura subdit. *Hic cum juxta basilicam Beatis Joannis Baptistæ fuisset humatus, post aliquantum tempus quidam iniqua cupiditate succensus, ejus sepulchrum noctu aperuit, & quicquid in ornamentis ejus corporis reperit, abstulit. Cui beatus Joannes per visionem apparens eum vehementer exterruit, eique dixit: Cur ausus es corpus istius hominis contingere? Fuerit licet non recte credens, tamen mihi se commendavit. Quia igitur hoc facere præsumpsisti, numquam deinceps in meam basilicam ingressum habebis. Quod ita quoque factum est, Quoties enimcumque voluisset beati Joannis oraculum ingredi, statim, velut a validissimo pugili guttur ejus feriretur, sic subito retro ruebat impulsus. Veritatem in Christo loquor: hoc mihi ipse retulit, qui hoc ipsum suis oculis factum vidit.* Hæc Paulus; Hic primum adverte (quod dictum ab auctore est) Rotharii corpus non intra basilicam, sed juxta eam humatum esse. Sed & illud observatione dignissimum, nec impiorum preces interdum despicere invocatos sanctos, vel irremuneratas relinquere præmio saltem aliquo temporali; siquidem & Creator omnium Deus solem suum oriri facit super bonos & malos. Quin tamen his fidem præbeamus, nemo nos cogit, ait Muratorius, & Zannetti: De Rotharii quoque obitu variæ sunt eruditorum opiniones, ac Baronius anno 654. Pagius

Jesu Chr. An. 652.

an. 656. obiisse narrant, Muratorius in Annalibus, ac Zanetti in historia Longobardorum, aliique hoc anno 652. id contigisse demonstrant: Rothario itaque Rodoaldus successit, cujus Regnum adeo obscurum fuit, ut vix pauca, eaque etiam dubiæ fidei Paulus Diaconus narret, ac Gundebergam Agilulphi, & Theodolindæ filiam uxorem duxisse, quam Arioaldo duci Taurinatium primum, deinde Rothario Longobardorum Regi nupsisse diximus; His addit Paulus de Rodoaldo. *Septem diebus, & quinque regnaverat annis*, ubi quoque turpiter eum errasse adnotant eruditi viri, nisi in lectione mendum irrepserit, ita ut legatur: *Septem diebus, & quinque regnaverat mensibus*, aut cum Bacchinio dicatur, eum quinque quidem annis regnasse, quorum quatuor cum dimidio cum patre Rothario regnavit, de quibus plura apud Zannetti in historia Longobardorum pag. 845. Muratorium anno 652., & Dissert. Ital. tom. 4. pag. 914 Bacchini in notis ad Paulum diaconum &c.. Hoc unum Paulo diacono concedi potest, quod ait brevissimum ejusdem Regnum fuisse, quam violenta morte a Longobardo quodam, cujus uxorem violaverat, percussum fuisse, addit. *Rodoaldus*, ait, *ut fertur, dum uxorem cujusdam Longobardi stuprasset, ab eo interfectus est.*

Pauli diac. lib. 4. cap. 49. & 50.

Marchulphus monachus Landerico Episcopo formulas suas offert.

2. Cum vix de rebus ecclesiæ dicenda hoc anno occurrant, adnotare juvabit, hoc tempore Marculphum monachum formularum suarum libros duos edidisse, ac Landerico Episcopo nuncupasse, cum fere septuagenarius esset, ut in præfatione testatur; Landericum porro, cui formulas suas inscripsit Marculphus, Parisiensem Episcopum fuisse scribunt Bigonius, qui eas primus edidit, ac Baulutius, cui iterum emendatiores vulgavit, quibus Mabillonius subscribit, Meldensem tamen Episcopum Landericum fuisse, & quidem seculi octavi contendit Launojus. Quidquid de Landerico sit, & Marculpho ejusque formulis, de quibus plura dabunt auctores historiæ litterariæ Galliæ, hoc adnotare juvabit, eas formulas, non tam ex editis instrumentis eum collegisse, quam ex proprio ingenio confecisse, ut tamquam exemplar iis essent, qui harum indigebant: Unde præfationem suam his verbis concludit. *Ego vero hæc, quæ apud majores meos, juxta consuetudinem loci, quo legimus didici, vel ex sensu proprio cogitavi, ut potui, in unum*

coa-

coacervare curavi, & capitula prænotavi, ut facilius, quod voluerit, a quærenti in antea scripto reperiatur &c.. Marculphianis antiquiores adhuc esse formulas Andecavenses tomo quarto analectorum, ait Mabillonius. Marculphianas vero formulas varii generis esse compertum est, de iis tantum, quæ ad ecclesiasticam disciplinam illustrandam pertinent, nonnulla adnotamus, quarum prima privilegium Episcopi continet monasterio cuidam datum, quo excepta monachorum ordinatione, & Altarium benedictione, vel Abbatis confirmatione, cum is ab Congregatione electus fuerit, in ceteris, quæ monachorum vitam, & disciplinam, aut bonorum administrationem spectant, liberam monachis agendi tribuit potestatem: Formula secunda Regis privilegium exhibet, quo Episcopi exemptionem confirmat: Formula tertia, & quarta, terras Episcopi ab jurisdictione laicali immunes esse declarat, aut immunitatem tributorum confirmat: Quinta præceptum Regis continet Episcopis directum, ut quemdam in Episcopum ordinent in locum cujusdam defuncti, quem ipse cum Episcoporum, & Magnatum consensu, vel consilio elegerat: Sequenti vero formula Episcopo cuidam jubet, ut electum ordinet. Septima civium cujusdam urbis postulationem refert Regi oblatam, qua quemdam ut sibi in Episcopum daretur, postulaverant, eique Regis decretum insertum est, ut is, quem petierant, ordinaretur: Decimanona licentiam continet, ut quidam clericus, pro ecclesiæ cujusdam servitio fieret: Vigesimaseptima Rex jubet Episcopo, ut clericum, vel Abbatem corrigat. 30. Divortii, aut separationis thori inter maritum & uxorem formulam continet: Aliæ exemplar donationum exhibent, quas quidam ecclesiis, vel monasteriis fecerant, Epistolarum etiam formulæ occurrunt, quas Episcopi, Reges, aut Reginæ in festo Natalis Domini scribere solebant, aliæ commendatitias epistolas continent, Episcopis, vel Abatibus inscriptas, quæ peregrinantibus dari solebant, vel Episcopi ad Episcopum cum Eulogias mittebat, vel vicissim ob acceptas, respondebat, ne longiores tamen simus, plura non addimus, quæ ibidem videri possunt.

3. Cum Eimerammi martyrium ad annum Christi 702. retulisset Baronius, a Marco Velsero Augustano, qui res Bojaricas fusiori stilo prosecutus est, admonitus, in addendis, — Sancti Ejmeramni martyrium.

JESU CHR. AN. 652. dis, ad annum 652. ea revocanda esse admonuit, cujus memoria cum hoc elogio die decima Kal. octobris in martyrologio Rom. recolitur; *Ratisbone in Bavaria Sancti Heimerami Episcopi & martyris, qui ut alios liberaret mortem sævissimam Christi causa patienter subiit*, quem etiam innumeris miraculis inclaruisse, vitæ ejusdem scriptor testatur, eumque ad Caroli Magni tempora floruisse addit; nonnulla tamen fabulis similia inseruisse, post Cointium ad annum 649. adnotat Pagius. Emeramnus vero patria Pictaviensis fuit, & Episcopatum in Aquitania gessit; sed cujus civitatis fuerit, in obscuro est, cumque intellexisset in Pannonia plures adhuc Idolis servientes esse, Ratisponam ingressus, ab Theodoro duce, evangelium prædicandi licentiam obtinuit, quod per *Triennium per urbes infradicti Principis fines, per oppida, per vicos & fidelium domus discurrens* egregie præstitit, usque dum martyrium ibidem pro Christi fide hoc anno pertulit, ut ex ejusdem Epitaphio his verbis conscripto scimus. *Emmerammus Pictaviensis Episcopus, prædicando Dei verbum venit in Bojariam, & ibidem in Heffendorf passus est anno 652. & hic translatus est*. Cum tamen Pictaviensem Episcopum eum fuisse non constet; hinc hoc modo Epitaphii verba legenda esse admonet Cointius. Emmerammus Pictaviensis, idest Patria, Episcopus incerti loci, prædicando &c. At de ejusdem gestis, martyrio, & miraculis, vel cultu vide si lubet apud Bollandum, vel Velserum, aut Brunnerum, qui res Bojaricas prosecuti sunt.

JESU CHRISTI AN. 653. MARTINI PAPÆ 5. CONSTANTIS IMP. 13. ARIBERTI ITALIÆ REGIS 1.

Constans Imp. adversus Martinum persecutionem excitat.

1. Annum 653. ingredimur ecclesiæ fastis memorabilem & luctuosum, ob sævissimam persecutionem a Constante Imp. adversus Martinum Pontificem excitatam, qua sanctissimus vir sua sede violenter abreptus, crudeliterque vexatus, ac CPolim translatus, Chersonam deinde in exilium actus, ibidem pro catholica fide viriliter certans, tribulationibus undique afflictus, ærumnisque contritus, triennio post, idest anno 655. martyrii coronam promeruit. Totius tragœdiæ seriem paucis his verbis Theophanes exponit. *Ceterum nono anno Imperii sui Constans nepos Heraclii, indictione octa-*

octava, his agnitis, furore repletus Sanctum Martinum, & Maximum CPolim ductos & cruciatos, apud Chersonam, & alia climata exilio relegavit, multos etiam Hesperiarum, (idest Occidentalis ecclesiæ) *Episcopos punivit.* Cum autem ait, Theophanes anno Imperii sui nono, indictionis octavæ in Martinum Pontificem a Constante Imp. excitatam fuisse persecutionem, non ad ipsam persecutionem ea temporis nota referri debet, sed ad causam persecutionis motæ, idest, ad Romanam synodum, qua Martinus Monothelitarum hæresim damnaverat, & Cyrum, cum Sergio, Pyrro, & Paulo CPolitanis Episcopis anathemate percusserat, ut ex Theophanis textu adnotat Pagius nota 6. 7. 8. 9. ann. 650. Baronii chronologiam corrigens, qui Martini exilium cum anno 650. alligaverat.

Calumniæ in Martinum Pontificem excitatæ.

2. Cum itaque tum Olympii Italiæ Exarchi relatione, cum ex epistola ejusdem Martini Pontificis didicisset Constans, non solum Typum in Italiam per Olympium missum, ut ei Martinus Pontifex cum clero Romano, ceterisque Italiæ Episcopis subscriberent, rejectum, & in Romana synodo cum hæresi Monothelitica, & auctoribus, sectatoribusque ejus damnatum fuisse, ira excandescens, tamquam leo furens, ut acceptam contumeliam ulcisceretur, ut in exilium S. Pontifex ejiceretur, jussit, ad id etiam a Paulo CP. Episcopo, quem Martinus in synodo Romana anathemate percusserat, excitatus: Ne tamen ecclesiam persequi, aut fidei causa in sanctum Pontificem sævire videretur, sceleratis Constantem inter, & Paulum initis consiliis, causas finxerunt, seu calumnias struxerunt, quibus justa in eum animadversio videri posset, tria præcipue in eum crimina objicientes, primum. *Quod irregulariter, & sine lege Episcopatum subripuisset, & non esset in Apostolica sede dignus institui,* 2. quod nescio quæ injuriosa in Beatam virginem protulisset; tertio demum quod adversus Romanum Imperium rebellis factus, Seracenis pœcuniam misisset, societatemque cum iis iniisset, ut idem Sanctus Pontifex in gemina relatione ad Theodorum quem jam sibi amicissimum refert, his verbis. *De falsis autem accusationibus, quas noviter hæretici faciunt, abjicientes veritatem Christi Dei: qualem omnino poterunt hominibus veritatem loqui, qui Dei veritati resistunt? Tibi igitur rationem reddo, dilectissime frater, per eum, qui judica-*

Jesu Chr. an. 653. *caturus est mundum istum per ignem, qui & reddet unicuique secundum opus suum. Ego aliquando ad Saracenos nec litteras misi, nec quem dicunt tomum, qualiter credere debeant, aut pecunias unquam transmisi, exceptis dumtaxat quibusdam illic viventibus servis Dei causa eleemosynæ, quibus & modicum quid præbuimus, minime ad Sarracenos transmissum. Porro de domina nostra gloriosa semper Virgine Maria, quæ Deum & Dominum nostrum Jesum Christum peperit, quam omnes Sancti, & Catholici Patres Dei genitricem appellant, utpote quæ Deum hominem genuit, falsum contra me, imo contra suas ipsorum animas iniqui viri testificati sunt* &c.. quod vero irregulariter ordinatus, & Apostolica sede indignus esset, ex altera relatione ad Theodorum supra jam diximus.

Martinus Papa a Theodoro Calliopa ex ecclesia abstractus CPolim mittitur.

3. Ut autem iniquum exequeretur consilium, *directus est ab Imperatore*, ait Anastasius, *Theodorus Exarchus, qui cognomento Calliopa dicitur, cum Theodoro Imperiali cubiculario, qui Pellurius dicebatur cum jussione, qui tollentes sanctissimum Martinum Papam de ecclesia Salvatoris, quæ Constantiniana appellatur, perduxerunt CPolim, & nec sic quidem acquievit, deinde directus est prædictus sanctissimus vir in exilium, in locum, qui dicitur Chersona, & ibidem, ut Deo placuit, vitam finivit in pace Christi confessor*. Qua fraude & sævitia, ex Constantiniana ecclesia S. Pontifex corpore infirmus, sed mente, & spiritu fervens abstractus fuerit, idem in supracitata relatione pluribus narrat, atque in primis adnotat, quod cum de ecclesia Constantiniana exiret. *In qua exercitus me cum armis constrinxerat, in præsentia Exarchi, & Theodori cubicularii, seu cleri clara voce dixerunt, anathema habeat quisquis dixerit, vel crediderit, quia Martinus usque ad unum apicem fidem mutavit, aut mutaturus est, & anathema habeant, qui in orthodoxa fide sua usque ad mortem non permanserit*. Tunc Calliopas cleri Romani fervorem timens, eamdem se quoque fidem tenere addidit: Quomodo autem a sua sede avulsus, in navim conjectus, ac in portum Romanum, deinde CPolim perductus fuerit, in altera ad Theodorum relatione distincte exponit, ac post præfationem subdit. *Igitur ut scias qualiter sublatus & ductus sim a Romana urbe, nil falsum audies. Accidentium omnia præscivi per multum temporis, quæ meditabantur*

tur inimici veritatis. Et sumpto me ipso cum omni clero meo privatus mansi in Ecclesia salvatoris nostri Jesu Christi, quae cognominatur Constantiniana, quae prima in toto mundo constructa & stabilita est a beatae memoriae Constantino Imperatore, & est juxta Episcopium. Illic omnes nos seorsum morabamur a die sabbati, quando Calliopas cum Ravennate exercitu, & Theodoro cubiculario introivit in civitatem. Misi ergo in obviam ei quosdam ex clero, quibus susceptis in palatio, aestimavit & me cum eis adesse. Cum autem quaesisset & non invenisset, dixit primis cleri: Quia nos eum voluimus adorare, sed cras, quod est Dominica dies, obvii erimus & salutabimus eum, quia hodie non sufficimus. Porro Dominico die, dictis missis in praedicta sancta Dei ecclesia, suspicatus ille turbam multam colligi propter diem, nunciavit hoc: Quia multum fatigati sumus ex itinere, non possumus occurrere hodie, sed cras omnibus modis occurremus, & adorabimus sanctitatem vestram. Piaculum enim videbatur, si quis peregrinus Romam veniens, non primum omnium accederet veneraturus Summum Pontificem. Sed addit de statu suo haec idem S. Martinus. *Ego vero ipse graviter infirmus eram ab octobrio mense usque ad praedictum tempus, id est, usque ad decimum sextum Kalendas Julias. Ergo feria secunda diluculo misit Cartularium suum, & quosdam ex obsequio suo, dicens: Quia arma praeparasti, & armatos habes intus, & multitudinem lapidum collegisti, & hoc necessarium non est, nec aliquid tale fieri permittas. Cumque praesens audissem haec, necessarium magis non habui, qualiter hos certos redderem, quam mittere illos gyraturos per totum Episcopium, & si arma, vel lapidem vidissent, ipsi testimonium perhiberent. Cum autem iissent, & nihil invenissent, subintuli eis per verba, quod numquam aliter aliquando, sed semper per circumplexionem & fallacem accusationem incederent adversum nos, cum & in adventu infamis Olympii vani cujusdam hominis cum armis me hinc potius repellere faterentur.*

Jesu Chr. an. 653.

4. *Ego itaque ante altare ecclesiae lectulum meum habebam in quo jacebam, & nondum transacta media hora, exercitus cum eis veniens in ecclesiam, loricati omnes, tenentes lanceas & spathas suas, quin & arcus suos paratos una cum scutis suis; & facta sunt illic, quae nec dicenda sunt. Quemadmodum namque in hyemali tempore, vento valido flante,* Excubiae Pontificis in Ecclesia.

folia

JESU CHR. AN 653. *folia ex arboribus concussa cadunt, ita percutiebantur armis candelæ sanctæ Ecclesiæ, & retunsæ excutiebantur in pavimentum, & audiebatur sonitus, qui in eadem fiebat ecclesia veluti tonitruus quidam horribilis, tam ex collisione armorum, quam ex multitudine candelabrorum ab eis confractorum: Quibus cum fastu introeuntibus, jussio a Calliopa porrecta est Presbyteris & Diaconis, in qua humilitatis meæ abiectio continebatur, quod irregulariter & sine lege Episcopatum subripuissem, & non essem in Apostolica sede dignus instituí, sed omnimodis in hanc regiam urbem transmitti, subrogato in loco meo Episcopo: quod necdum aliquando factum est, & spero quod nec aliquando fiet: quia in absentia Pontificis, Archidiaconus, Archipresbyter, & Primicerius locum præsentant Pontificis. Dum ergo moventur, quæ de fide gesta sunt, jam manifestavi vobis. Quod autem præparati non fuerimus ad repugnandum, melius judicavi decies mori, quam unius alicujus sanguinem in terram fundi: quod quidem & sine periculo hoc gestum est in paucis, qui non placuerunt Domino, malis effectis. Eadem itaque hora dedi me ipsum ad exibendum Imperatori, & non resistendum. Porro acclamantibus mihi (ut veritatem dicam) quibusdam e clero, ne facerem hoc, nulli eorum accomodavi aures ne subito fierent homicidæ, sed dixi illis. Sinite mecum venire ex clero, qui necessarii mihi sunt, Episcopos videlicet, & Presbyteros, & Diaconos, & absolute qui mihi videntur. Respondit Calliopas: Quotquot voluerint venire, cum homo venient: nos cuiquam necessitatem non facimus. Respondi ego: Clerus in potestate mea est. Exclamantes autem quidam ex sacerdotibus, dicebant: Cum ipso vivimus, & cum ipso morimur. Post hæc cæpit dicere per se Calliopas, & qui cum ipso erant: Veni nobiscum ad palatium. Nec hoc facere recusavi, sed exivi cum eis in palatium, eadem secunda feria. Et tertia feria venit ad me omnis clerus, & multi erant qui se paraverant ad navigandum mecum, qui etiam res suas immiserant in eas, quæ vocabantur levamenta, in quibus onera ex littore in naves majores, vel ex eis ad littus transportarant. Alii quoque nonnulli præparabantur clerici & laici, qui festinabant venire ad nos. Eadem ergo nocte, quæ illucescit in feria quarta, quæ erat decimo tertio Calendas Iulias, circa horam quasi sextam noctis, tulerunt me de palatio, retrusis omni-*

bus

bus qui mecum erant in palatio, usque ad res diversas, quæ mihi, & hic erant necessariæ, & non nisi cum sex pueris & uno cancellulo duxerunt nos ex urbe. Et cum immisissent nos in unum eorum quæ dicebantur levamenta, circa horam plus minus quartam diei ad Portum pervenimus. Sed hic velim observes, ante diem contigisse Martini egressum ab urbe, qua consuevit celebrari in Ecclesia natalis S. Silverii Papæ, qui & ipse exul factus, & in exilio moriens, auctus est corona martyrii. Sed pergit: *In ea sane hora, qua egressi sumus ab urbe Roma statim, ut erant obseratæ portæ, iterum eas obseraverunt, & sic remanserunt in civitate aliqui, ne venirent ad nos in Portum, donec illinc navigassemus. Unde necessitas nobis effecta est, ut omnium eorum res, quæ in levamento missæ fuerant, in dicto Portu dimitteremus, & mox eadem die movemur, & pervenimus Calendis Julii Misenum, in quo erat navis, id est, carcer.* Quod scilicet in terram inde descendendi nulla unquam daretur facultas, tum subdit: *Non autem Miseni tantum, sed in Terra Laboris, & non tantum in terra Laboris, quæ subdita est magnæ urbi Romanorum, sed & in pluribus insularum, in quibus nos vel transmisissemus, parata impedierunt, nullam compassionem adeptus sum: excepto dumtaxat in insula Naxia (quoniam ibi annum fecimus) merui lavari duobus vel tribus balneis, & apud urbem mansi in hospitio quodam &c.*. Hucusque res gestæ anni hujus; reliqua anno sequenti dicenda reservamus. Itaque in Naxum insulam delatus sanctissimus Pontifex annum integrum ibidem subsistere coactus est, ut longo exilio pertesus, ærumnisque contritus, CPolim viribus animi corporisque debilitatis, victas facilius manus Imperatoris voluntati daret, at tantum abest ut sanctus Pontifex frangeretur adversis, ut magis fieret pro tuenda catholica fide robustior, ut ex dicendis infra constabit.

Jesu Chr. an. 653.

5. A Martino Pontifice non est sejungendus S. Maximus, qui cum sancto Pontifice ad profligandam Monothelitarum hæresim & incentor, & adjutor fuerit, ita quoque ejusdem persecutionis particeps fuit, quem etiam hoc anno Romæ detentum, & CPolim perductum, ac calumniis inpetitum, falsisque criminibus accusatum, exilii pœnam cum sociis promeruit. Socii autem certaminis duo Anastasii fuere, quorum primus Monachus Maximi contubernalis fuit,

S. Maximus CPolim cum sociis ducitur.

JESU CHR. AN. 653.

alter vero Romanæ ecclesiæ apocrysarius. Hinc auctor anonymus vitæ S. Maximi. *Cum eo autem*, inquit, *ejus quoque discipulum Anastasium, ac cui idem nomen erat, parique morum honestate fulgebat Anastasium alterum, qui Romanæ ecclesiæ apocrysarius audiebat*, Bizantium perducunt. Sed tanti viri varia gloriosaque certamina paulisper spectanda sunt, admiraturi senem pene octuagenarium adversus omnes Imperatoris conatus, tanquam fortissimum athletam fortiter stetisse, ejusque satellites non semel immissos vicisse. Itaque auctor vitæ ejus, post enumeratos commentarios a viro sanctissimo adversus Monothelitas editos, subdit. *Cumque non ignoraret*, Imperator, *quis horum esset auctor*, eorum scilicet, quæ Romæ adversus Monothelitas gesta fuerant: *eum magno studio jubet in regiam deduci, existimans se, cum hujus potitus esset, alios quoque omnes in potestate esse habiturum. Cum eo autem ipsius discipulus ductus est Anastasius, una cum cognomine ejus ac iisdem moribus prædito, qui & Romanæ ecclesiæ apocrysarius dicebatur*. His nonnulla de gestis adversus Martinum Papam, sociosque Episcopos usque ad Chersonense exilium addens, hoc paulo post subdit: *Videamus*, inquit, *primum quibus ei dexteram dent tot occursibus, quodque de eo judicium faciant hi egregii legislatores. Nam simulatque Bizantium urbem appulit, navigio eo delatus, veniunt ad eum ab Imperatore homines missi, ex solo vultu multam animi acerbitatem ostendentes, qui sanctum virum licenter impudenterque comprehensum, incalceatum ac sine amictu per vias trahentes adduxerunt, sequente discipulo tantoque facinori ingemiscente, ac in quodam tenebricoso tecto concluserunt, ne discipuli quidem ei impertito contubernio. Post aliquot vero dies adducunt justum in palatium, Senatu universo sedente, ac truculentum aliquid & furens in eum intuente. Ac tum quidem Sacellario, qui dignitate anteiret, judicium in eum permittunt, viro ad dicendum prompto aptoque ad sermones fingendos, & ad veritatem malitiose interpolandam atque labefactandam omnium maxime accommodato. Is quid malitiæ prætermisit? quid improbum non perpetravit? a quibus minis, & contumeliis abstinuit? non honorabilem reveritus senectam (nam tum erat annos circiter octoginta natus, & paulalum ab ea ætate aberat) non efflorescentem in vultu gratiam, non modestos & compositos &* se-

Maximus judicio sistitur, cui falsa objiciuntur crimina.

sedatos liberalesque & amabiles mores &c..

Maximus judicio sistitur, calumniis appetitur.

6. At quae cum dicta factaque sunt, quasque innocenti calumnias imposuerunt, qui putarunt mendacio se tectos esse, ipse praeclarus religiosi viri discipulus particulatim exponit proprio commentario, ex quo cuivis licebit omnia ad verbum percurrere, accuratiusque cognoscere. Verum non alienum a proposito est, pauca ex illis a me commemorari, huicque orationi inseri, ne nullius omnino eorum mentionem fecerimus, cum praesertim non narrando, sed percurrendo res gestas simus exposituri. Ut igitur nefandus Sacellarius in sancti conspectum venit, statim incepit asperiori sermone eum lacessere, minasque incutere, injustum eum & proditorem, & Imperatoribus inimicum appellans, omniaque alia turpissima. Ut autem hic sciscitatus est, qua gratia haec de se diceret, & quamnam perpetrasset proditionem? Tum calumnias ille confingit, quas ab illo solo confingi par erat, testes in aperto mendacio sistens. Et quidem in religiosum virum deblaterabat, magnas eum urbes prodidisse, Alexandriam inquam, & Ægyptum, & Pentapolim, quas a nostris, inquit, abstraxisti finibus, & Saracenis jam addidisti; quorum eum maxime domesticum, atque in ipsos benevolum esse ajebat. Postquam vero hanc illius pravitatem oratione, cui contradici non posset, Sanctus propulsavit, sycophantiam manifestam nec quicquam aliud esse demonstrans: Quid enim ipsi cum capiendis urbibus, quarum causa potius utilia cupiebat? Aliam impudens viam init, somnia quaedam fingens & umbras & spectra, in iisque & vocum resultantes sonos majorum ac minorum, & Regum appellationes, & Occidentis Imperatori clariorem quam Orientis vocem resonare: accusatores hic quoque & sycophantes in medium proferens. Quare magis etiam ingemiscens religiosus vir, Gratias ago Deo meo, inquit, quod in manus vestras sim traditus, talibusque criminibus petar, ut his involuntariis, quae voluntate a me commissa sunt deleantur, atque ut vitae meae maculas abstergam. Verum ut paucis ad haec respondeam, neque ad somnia respicio, neque somniorum conjector sum, nec mihi otium est, ut in horum vana specie mentem occupem. Sed quoniam sic me accusare voluistis, ut etiam adduceritis testes, eosque qui non norunt, sed ex iis qui noverint audierunt, quod illi (ut dicitis) migrarunt e vita, cur non a principio, & superstitibus etiamnum primis, somniorum expetebatis rationem

Jesu Chr. an. 653. *ac pœnas? Sic enim & ipsi magno negotio molestiamque liberi essetis, ego vero pœnas ob confessas certasque res persolvissem. At (ut credibile est) nec veritas sic habet nec qui in me indicium fecerunt, eum qui scrutatur corda, ante oculos suos proposuerunt: Ne videam enim Domini mei conspectum, nec Christianus existimer (nihil enim aliud habeo quod imprecer mihi) si confictum somnium aut vidi, aut eo informatus sum, aut aliis narravi.*

Alia crimina Maximo falso objecta

7. Ut hæc autem facile falsitatis redargui viderunt, tertium ei crimen objecerunt, quod adeo incredibile, & puerile visum est, ut illud etiam vitæ auctor prætererit, quare ad quartum transiens. *Quemdam Gregorium adducunt, qui affirmaret dixisse Romæ sancti discipulum: Nefas esse, nec rationi consentaneum Regem sacerdotem appellari: quippe qui a magistro,* Maximo scilicet, *Anastasius hæc didicisset. Attamen sacro viro ne defensio quidem in hoc defuit. Qui ipsi Gregorio in faciem restitit, & ostendit, alia tum esse dicta, alia nunc objici. Nam cum ille, inquit, Romam venisset, de unitate habuit sermonem,* voluntatis scilicet, *ut Typum nos reciperemus, quo illud dogma in multorum ore positum sanciebatur & promulgabatur. Ad illa videlicet nos respondimus atque occurrimus, cum ea consideraremus, quæ nobis profutura essent, quæque utilia arbitrabamur. Quamobrem nec mea esse scio, quæ nunc proferuntur, neque discipuli, qui vocatur in crimen, qui cum numquam hujusmodi (ac Deus testis est) sermonem contuli. Verum tamen hoc solum mihi conscius sum dixisse, non discipulo, sed huic ipsi Gregorio (quod ne ipse quidem penitus negaverit, nisi se ipsum quoque plane neget) definire de dogmatibus, & quærere, Sacerdotum magis esse, quam Regum; quoniam his concessum est & ungere, & manus imponere, & panem cælestem offerre, & altari assistere, & quæcumque alia agere quæ diviniora sunt, sacramentaque sublimiora habent: Hæc elocutus sum, & nunc loquor. Ob hæc me quivis vel absolvat, vel damnet neque enim injuria homo ab homine affici potest, quamvis omnium gravissima patiatur. Tunc cum non haberent quid facerent qui mendacium spem suam ponunt, justum educunt, ejusque introducunt discipulum Anastasium, quem verbis ac minis perterrefaciunt, ut cogerent de magistro aliquid indicare, vim afferentes, ut diceret, eum dolorem dedisse Pyrro.* Cruciamentis illum torsisse sci-

fcilicet, *cum una fermonem haberent in dicta fuperius difputatione. Falfiloqui haud fcio cur ifta molirentur. Cum vero Anaftafius fecus locutus effet atque expectabant, fanctum virum non folum nihil ei doloris attuliffe, fed etiam omnem exhibuiffe honorem, pugnis eum & colaphis in caput & genas ferientes, eoque modo veritatem opprimentes, in cuftodiam rurfum includi jubent. Sanctum igitur ad fe iterum accerfunt, ut anteactis non contenti, aliamque tentationem invincibili adhibent. Hæc erat: Origenis eum dogmata fequi, & cum illo in omnibus fentire. Ut vero confeftim imbecillum & ad diluendum facile id crimen diffolvit, afseverans, eum a Deo fejunctum effe & a Chriftianorum partibus, qui affentiretur Origeni, delirafque ejus rationes acciperet: De Pyro rurfum, iifque quæ tum effent dicta interrogant, perfonam potius induentes benignitatis, quam hanc fcientes, aut in corde ponentes, ac deinde quomodo fe a Patriarchæ communione abrupiffet. Poftea vero cum alias interim percontationes & interrogationes prætendiffent, ac affirmaffent eum, qui ab ipfis offeretur, Typum magni faciendum effe, ac in honore habendum, quem ipfe execraretur & exhonoraret: ac demum cum ea quæ ipfis viderentur effugi non poffe nec facile dilui, propofuiffent, nec minis in eum, contumeliifque abftinuiffent, tandem viderunt fe in omnibus vinci, propriifque (ut ajunt) capi pennis: ac dimiffo confenfu, Imperatorem propere adjerunt, hominis conftantiam nunciantes: Maximufque, inquiunt, in fermonibus eft invictus, nec ei quifquam perfuadere poteft, ut noftris affentiatur, tametfi conetur quis fupplicio eum afficere.*

JESU CHR. AN. 653.

8. Poft hæc cum jam in cuftodia, feu carceribus Maximus detineretur, alii ad eum Patriarchæ nomine advenerunt, interrogantes cujus ecclefiæ communionis effet, num Bizantii, Romæ, Antiochiæ, Alexandriæ, Hierofolymorum: Has etenim ecclefias inter fe communione fociatas fuiffe dixerunt: *Si igitur*, addiderunt, *& ipfe catholicæ es ecclefiæ, conjunge te nobifcum, ne vitæ peregrinam viam innovans, quæ non expectas, patiaris. Ad quos beatus vir opportune & fapienter refpondet. Dominus cum Catholicam Ecclefiam rectam & falutarem fidei confeffionem effe dixit, idcirco Petrum, qui bene confeffus erat, beatum dixit, fuper quem talem fe ædificaturum Ecclefiam, univerforum Dominus pronun-*

[r] De duabus operationibus difputatio.

JESU CHR. AN. 653. *nunciavit. Verumtamen confessionem volo addiscere, super qua universa Ecclesiarum facta est conjunctio, nec alienor ipse, si id bene factum est. Ad quem hæc, qui missi erant: Quamvis jussi non simus de hoc dicere, dicemus tamen, ut nullam omnino excusationem habeas: duas dicimus operationes propter differentiam, & unam propter unitionem.* Cumque eos egregie Maximus confutasset. *Illi* autem, *cum non haberent, quid ad hæc contradicerent, quod placitum erat iis qui rerum potiebantur, ei inferunt, dicentes, illis videri hunc, qui non obtemperaret, anathemati subjici, ac mortem ei definitam irrogari. At hic leniter sic atque humiliter; Quod Deo, inquit, de me definitum est, nunc finem accipiat, ei gloriam afferens ante omne sæculum percognitam. Verum tum quidem quæ prolata erant, differunt. Consilium autem una habentes Imperator & Patriarcha (quemadmodum Pilatus, & Judæi super meo Jesu) justum damnant exilio, in quoddam oppidulum, cui Byzia nomen erat, statim abducentes, simulque discipulum Anastasium in quemdam locum valde malum, Romanorumque Imperii ultimum solum deportantes. Perba, alias Perberis ille locus lingua barbarorum nuncupabatur. Itidemque fecerunt eius cognomini Romæ apocrisario, qui Mesembriam relegatus est.* Est Mesembria in Thracia civitas, de qua Theophanes, Zonaras, & alii in Leone: hactenus de relegatione sanctorum confessorum Maximi, ac sociorum: Sed comparatione acerbiorum, quæ hæc subsecuta sunt, ludum hæc jure posset quisque vocare: quænam autem ista fuerint, suo loco dicturi sumus, sexennalem persecutionem a Maximo & sociis toleratam fuisse scribit Baronius, at longiorem, & decennalem eam fuisse, ab hoc anno scilicet, ad annum 662. probat Pagius, ex auctore Hypomnestici cap. 6., post Baronii ætatem in lucem edito, ubi nos edocet Maximum, & Anastasium anno 662. indictione quinta objisse, Maximum quidem mense Augusto, Anastasium mensis Julii die 24., post tolerata certamina,
Pag. not. 13. ad an. 650. *decem annos pariter, & Anastasius discipulus ejus ab undecima indictione præteriti cycli per tria exilia, Bypes scilicet, & Perberi Fracensium regionis, atque prædictum Lazicum in multis contritionibus, & intolerabilibus necessitatibus, atque hujusmodi athleticis certaminibus, annis decem peractis, ad Regnum migravere supernum*; Quare de ambobus iterum sermo fiet. 7. Nu-

9. Nuſpiam, ut puto, in eccleſiæ diſciplina inſtauranda ſollicitiores Epiſcopi inventi ſunt, quam hujus temporis Hiſpaniarum, quos ſæpiſſime eam ob cauſam conveniſſe in unum, Toletana concilia demonſtrant. Hoc anno Recusvinti Hiſpaniarum Regis quinto, æræ Hiſpaniæ 691. decimo ſeptimo Kal. Januarii, ſeu die 18. Decembris, Toletana ſynodus octava celebrata eſt, cui Epiſcopi 52. ſubſcripſerunt, ex his duodecim per vicarios ſeu legatos ad ſynodum miſſos, Abbates duodecim, cum præcipuis aulæ Proceribus, atque inprimis a congregatis Patribus Regum poteſtati frena injecta ſunt, ne pro lubitu ſubditorum bona diriperent. Unde ſtatutum eſt, ut ad filios ejus, aut hæredes, ea tantum bona tranſirent, quæ proprii juris, aut patrimonii erant, antequam Regnum adepti eſſent, cetera vero bona, quæ poſt adeptum Regnum acquiſierant, ſuis dominis, a quibus vi, vel injuria ablata fuerant, reſtituenda eſſe juſſerunt, eamdemque Epiſcoporum juſſionem Receſvinthus Rex lege ſua ſolemniter confirmavit. Hinc etiam ad avaritiam coercendam & ambitionem, canone decimo cautum eſt, ut ab Pontificibus, & aulæ Primoribus Rex eligeretur, & qua ratione electus, Regnum adminiſtrare deberet declararunt. *Ab hinc*, inquiunt Toletani Epiſcopi, *ergo &c. deinceps, ita erunt in Regni gloriam præficiendi rectores, ut aut in urbe regia, aut in loco ubi Princeps deceſſerit, cum Pontificum, majorumque Palatii omnimodo eligantur aſſenſu, non forinſecus, aut conſpiratione paucorum, aut ruſticanarum plebium ſeditioſo tumultu &c.* Deinde quæ in Regibus qualitates exigerentur exponunt, ut ſcilicet catholicæ fidei non ſolum ſectator, ſed etiam protector eſſet, omniumque virtutum ornatus, ut pie recteque Regnum adminiſtrare poſſet.

Jesu Chr. an. 653. Concilium Toletanum octavum.

Reges Reipublicæ adminiſtratores, non domini.

10. Synodo Rex Receſvindus adfuit, ac Patribus tomum ſua manu ſubſcriptum obtulit, fidei ſuæ profeſſionem continens, eoque etiam congregatos patres, & aulæ Principes rogavit, ut quæ circa fidem, aut bonos mores, & diſciplinam eccleſiæ emendatione indigere cognoſcerent, corrigerent, atque in melius mutarent; In quam rem canones tredecim editi ſunt. Quorum primus fidei profeſſionem continet, 2. perfugarum cauſam pertractat, atque in eos aliqualem indulgentiam habendam eſſe decernit. Tertius cle-

Toletanæ ſynodi canones.

ricos,

Jesu Chr. an. 653. ricos, vel laicos simoniæ reos, & gradus amissione, & perpetuo anathemate ferit. Quartus Episcopi cum mulieribus coinquinati, aut familiaritate polluti ordinis & dignitatis jactura plectuntur. Quintus Sacerdotes, & Ministros ab uxorum, aliarumque fœminarum complexu revocandos omnino esse jubet, obstinatos vero, iisque fœditatibus assuetos in monasterium ad pœnitentiam agendam detrudi jubet. Sexto canone eadem castitatis lex ad Subdiaconos extenditur; quos uxorem, ducere sub eadem pœna, prohibet. Septimus canon eorum excusationem reiicit, qui dicebant, invitos se ordines suscepisse, ob eamque causam, & seculariter vivebant, aut etiam uxores ducebant, quod ideo his verbis castigant. *Recedant ergo talium desideriorum impudorati fautores, & licet inviti perceperint, quod non merebantur habere, libenter tamen ob cœleste retineant præmium, quod nolendo per terrenæ consecuti sunt necessitatis eventum &c.*; qui contra hæc fecerit, *mox omni ecclesiastici ordinis dignitate privatus, vere ut apostata a sanctæ ecclesiæ liminibus, & societate fidelium habeatur prorsus exclusus, monasterii claustris, donec advixerit sub pœnitentia retrudendus*. Canon octavus jubet, ut omnes ecclesiæ ministri cujuscumque gradus sint, totum psalterium, vel canticorum usualium, & hymnorum, ac baptizandi ritum discant: Canone nono Quadragesimalis jejunii, & abstinentiæ a carnibus disciplina commendatur, ita ut *Quisquis absque inevitabili necessitate, atque fragilitatis evidenti languore, seu etiam ætatis impossibilitate, diebus quadragesimæ esum carnium præsumpserit attentare, non solum reus erit Resurrectionis Dominicæ, verum etiam alienus ab ejusdem diei sancta communione, & hoc illi cumuletur ad pœnam, ut ipsius anni tempore ab omni esu carnium abstineat gulam, quia sacris diebus abstinentiæ oblitus est disciplinam. Hi vero quos aut ætas incurvat, aut necessitas arctat, non ante violare præsument, quam a Sacerdote permissum accipiant.* Decimus de Regis electione, & qualitatibus agit, uti supra adnotavimus: Undecimus canonum ac synodalium horum decretorum observantiam præcipit. Duodecimus Judæorum causam pertractat, atque post plurima statuit. *Nihil aliud pro his ex nostra sententia definitur, quam ut decreta concilii Toletani, quæ divæ memoriæ Sisenandi Regis aggregatum est tempore, a nobis, ac poste-*

posteris omnimoda suppleantur intentione. Quisquis autem ab hujusmodi synodi voluerit sententia dissentire, ut vere sacrilegum se noverit condemnari. JESU CHR. AN. 653.

11. Sciendum quippe est, quod cum Sixenandi Regis tempore Judæorum plurimi, pœnarum magis metu, quam divino afflante spiritu christianam fidem suscepissent, paulo post ad Iudæorum ritus, & ceremonias redierant, quos ideo ad saniora consilia, & ad christianam fidem revocare Rex ipse Recesvindus, & Toletani Patres curarunt, ii vero ut Apostatarum pœnam vitarent, dato libello Regi promiserunt, se imposterum in retinenda christiana fide tenaciores futuros, cujus hæc est formula. *Bene quidem & juste nos meminimus compulsos fuisse, ut placitum in nomine divæ memoriæ Cinthilani Regis pro conservanda fide Catholica conscribere deberemus, sicut & fecimus. Sed quia perfidia nostræ obstinationis, & vetustas parentalis erroris nos ita detinuit, ut nec veraciter in Iesum Christum Dominum crederemus, nec Catholicæ fidei sinceriter hæreremus: idcirco nunc libenter ac placide spopondimus gloriæ vestræ, tam pro nobis, quam pro uxoribus, & filiis nostris per hoc placitum nostrum, ut deinceps in nullis observationibus, in nullis incestivis usibus misceamur, Judæis autem non baptizatis nullo penitus execrando consortio sociemur, Non more nostro, propinquitatem sanguinis usque ad sextum gradum incestiva commixtione, vel fornicatione jungamus. Non conjugia ex genere nostro, aut nos, aut filii nostri, vel nostra posteritas ullatenus sortiamur, sed in utroque sexu deinceps Christianis jugali copulatione nectamur. Non circumcisionem carnis operemur, non Pascha, & sabbata, ceterosque dies festos juxta ritum Judaicæ observantiæ celebremus. Non escarum discretionem, vel consuetudinem teneamus. Non ex omnibus, quæ Judæorum usus, & abominanda consuetudo vel conversatio agit, aliquatenus faciamus: sed sincera fide, grato animo, plena devotione in Christum Filium Dei vivi, secundum quod Evangelica & Apostolica traditio habet, credamus, atque hunc confiteamur ac veneremur. Omnes etiam usus sanctæ Christianæ religionis, tam in festis diebus, vel in conjugiis, & escis, quam in observationibus universis veraciter teneamus, & sinceriter amplectamur, nullo reservato apud nos, aut oppositionis objectu, aut fallaciæ argumento; per quod aut illa, quæ facere denegamus*

Judæi Apostatæ quibus pacti recepti sint.

Jesu Chr. an. 653. *mus, iterum faciamus; aut hæc, quæ facere promittimus, minime vel non sinceriter compleamus. De suillis vero carnibus id observare promittimus, ut si eas pro consuetudine minime percipere poterimus, ea tamen, quæ cum ipsis decocta sint, absque fastidio & horrore sumamus. Quod si in his omnibus, quæ supra taxata sunt, in quocumque vel minimo trangressores inventi fuerimus, aut contra Christianam fidem agere præsumpserimus, aut quæ congrua Catholicæ religionis promisimus, verbis aut factis implere distulerimus: juramus per eumdem Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, qui est unus in Trinitate & verus Deus: quia si ex nobis omnibus vel unus transgressor inventus fuerit, aut a nobis ignibus aut lapidibus perimatur: aut si hunc ad vitam gloriæ vestræ servaverit pietas, mox amissa libertate, tam eum, quam omnem ipsius facultatem, cui elegeritis perenniter serviendum, donetis; vel quicquid ex eo, vel ex rebus ejus facere jusseritis, non solum ex regni vestri potentia, sed etiam ex hujus placiti nostri sponsione potestatem liberam habeatis. Factum placitum sub die 12. Kalendas Martias, anno feliciter sexto gloriæ vestræ. In Dei nomine, Toleto*: Hucusque ibi. Verum semper Hispaniarum Episcopis ob Judæorum in suscepta fide inconstantiam invigilandum fuit, utpote qui mille artibus fallere, promissis non stare, tegereque impietatem velamento religionis consueverunt; ut vix sit reperire celebratum post hæc ibi Concilium, in quo non fuerit aliquid de his statuendum:

Aribertus Rodoaldo in Regno Longobardorum succedit, *Murat. script. rerum Ital. tom. 1. par. 1. pag. 473.*

12. Rodoaldo Rotharis filio, & in Regno Longobardorum successore, intra semestri spatium a Longobardo quodam, cujus uxorem constupraverat, interempto, Aribertus, *Filius Gundebaldi, qui fuerat germanus Theodolindæ Reginæ*, ait Paulus Diaconus, quem catholicum fuisse, hæc alia ejusdem Pauli verba indicant. *Hic condidit apud Ticinum Oraculum*, (sive Templum) *Domini Salvatoris, quod extra portam occidentalem, quæ dicitur Marenca situm est, quod ornamentis variis decoravit, & substantiis sufficienter ditavit.* Quare non semel, nec immerito ad hæc tempora adnotat Muratorius, Longobardorum Regibus, aut moribus, falso a Baronio adscribi, quod in Italia ecclesiæ disciplina prostrata jaceret, ac in clero, & populo cujuscumque generis corruptelæ vigerent, Græcorum potius perfidia, religionis contemptus, hæresum patrocinium, & avaritia fovebant, atque

ex

ex his, quæ tum Olympins Exarcha, cum Theodorus Calliopa adversus Romanam ecclesiam, Romanosque Pontifices, & præcipue adversus Martinum Papam pertentarunt, longe Longobardis, nequiores Græcos Imperatores, eorumque administros fuisse, patet. JESU CHR. AN. 653.

13. Ex quo hujus seculi initio christiana religio in Anglia per Augustinum, & socios a Sancto Gregorio missos, delata est, novos semper progressus ibidem fecisse constat. Hoc anno, ut auctor est Beda in epitome, & in historia Anglorum, inter Anglos Mediterraneos, seu inter eos, qui Britanniæ meditullia incolebant, Rege eorum Penda adjuvante, mirifice propagata est. *His temporibus*, ait Beda, *Middelengli, idest, Mediterranei Angli, sub Principe Penda filio Pendæ Regis, fidem & sacramenta veritatis perceperunt. Qui cum esset juvenis optimus, ac Regis nomine ac persona dignissimus, prælatus est a patre regno gentis illius: venitque ad Regem Nordhumbrorum Osvvi, postulans filiam ejus Alchstedam sibi conjugem dari: nec aliter quod petebat impetrare potuit, nisi fidem Christi ac baptisma, cum gente cui præerat, acciperet. At ille audita prædicatione veritatis, & promissione regni cælestis, speque resurrectionis ac futuræ immortalitatis, libenter se Christianum fieri velle confessus est, etiam si virginem non acciperet: persuasus maxime ad percipiendam fidem a filio Regis Osvvi, nomine Alchfrido, qui erat cognatus & amicus ejus, habens sororem ipsius conjugem, vocabulo Cymburgam, filiam Pendæ Regis. Baptizatus est ergo a Finano Episcopo, cum omnibus, qui secum venerant comitibus ac militibus, earumque famulis universis, in vico Regis illustri, qui vocatur ad murum: Et acceptis quatuor Presbyteris, qui ad docendum baptizandamque gentem illius & eruditione & vita videbantur idonei, multo cum gaudio reversus est. Erant autem presbyteri Cedda, & Adda, & Betti, & Diuma: quorum ultimus natione Scotus, ceteri fuere Angli: Adda autem erat frater Uddæ presbyteri illustris, & Abbatis monasterii, quod vocatur ad Capreæ caput, cujus supra meminimus. Venientes igitur in provinciam memorati sacerdotes cum Principe, prædicabant verbum, & libenter auditi sunt: multique quotidie, & nobilium, & infimorum, abrenunciata sorde idololatriæ, fidei sunt fonte abluti. Nec prohibuit Penda Rex, quin etiam in sua, hoc est, Merciorum natio-*

Mediterraneorum Anglorum conversio. *Beda hist. Angl. lib. 3. cap. 21.*

JESU CHR. AN. 653. *tione, verbum (si qui vellent audire) prædicaretur permisit. Quin potius odio habebat & despiciebat eos, quos fide Christi imbutos, opera fidei non habere deprehendit, dicens, contemnendos & miseros esse eos, qui Deo suo, in quem crederent, obedire contemnerent: Cœpta sunt hæc biennio ante mortem Pendæ Regis: ipso autem occiso, cum Oswvi Rex Christianissimus regnum ejus acciperet (ut insequentibus dicemus) factus est Diuma, unus ex præfatis quatuor sacerdotibus, Episcopus Mediterraneorum Anglorum simul & Merciorum, ordinatus a Finano Episcopo. Paucitas enim sacerdotum cogebat, unum Antistitem duobus populis præfici. Qui cum pauco suo tempore non paucam Domino plebem acquisivisset, defunctus est apud Mediterraneos Anglos &c.*, hæc enim præsenti anno cœpta, usque ad biennium esse producta, idem Beda in epitome docet. Quæ autem post secuta sunt de conversione Orientalium Saxonum, suo loco dicemus. Contigit hoc pariter anno ex hac vita migrare Honorium Archiepiscopum Dorovernensem, quintum ab Augustino ejus sedis Antistitem, cui post annum, & sex menses subrogatus est Deusdedit. Porro hi omnes præ virtutum meritis videbantur esse columnæ; ipse vero Honorius inter Sanctos relatus, anniversaria commemmoratione in Ecclesia celebratur pridie Kalend. Octobris.

Rhodium colossum Seraceni frangunt.

14. Cum vero novis semper Seracenorum excursionibus Orientale Imperium vexaretur; *Anno duodecimo Imperii Constantis*, ait Theophanes, *Mabuvias Seracenorum dux Rhodum rediens*, quod alias frustra tentaverat, *destruxit colossum ejus, post mille tercentos sexaginta stabilitatis ipsius annos: quem cum Judæus quidam Emesenus emisset, nongentos camelos ex ejus ære oneravit*. Hæc de colosso in portu Rhodio tanta magnitudine collocato, ut divaricatis cruribus spatium præberet navibus ingredientibus portum ipsum; altitudinis centum viginti sex pedum, qui antea terræmotu disiectum, demum Sarracenorum manu confractum est, ac Judæo homini venumdatum. Hic finis rerum mirabilium orbis terrarum, cum nihil temporis edacitati resistat: ut plane imprudens admodum arguatur, qui hic ex casuris aliquando ædificiis gloriam quærit, & non potius in cælo in æternum permansuram habitationem ædificat, ait Baronius ad hunc annum.

Manichæorum pestis in Armenia grassatur.

10. Inter ceteras autem Orientalis Imperii clades a Se-

Seracenis illatas, ea etiam numeratur, cum hoc tempore Armeniam longe lateque vexarunt, quo etiam tempore, idest Constantis Imp. Heraclii nepotis, cum inter armorum strepitus, vineæ Domini custodes, idest ecclesiæ ministri dormitarent, in agro Dominico inimicus homo Zizaniam seminavit, quæ eousque excrevit, ut frumentum ipsum pene suffocavarit, nec nisi longo post tempore extirpari, ac ignibus tradi potuerit, Manichæorum hæresim scilicet, quæ mentito nomine primum delitescens, Paulicianorum dicta est, a Constantino quodam, qui Silvanus etiam dicebatur e cineribus Manetis, seu potius ab Inferis revocata, de quibus Cedrenus ad annum 13. Constantis Imp. refert, eo circiter tempore extitisse Constantinum quemdam, qui & *Silvani* nomen usurpabat, Paulicianorum sectæ Principem, qui hæresim Manichæorum renovavit, Manichæos tamen Paulicianorum nomen sibi sumsisse a Paulo quodam Samosateno, qui diu ante Constantinum hæresim illam in Armenia promulgaverat: Hi vero, ut prosequitur Cedrenus. *Servant primam Manichæorum hæresim, duo principia cum ipsis affirmantes. Unum tantum esse ajunt, quod ipsos a Romana ecclesia disjungat, enim sentire alium esse Deum Patrem cælestem, qui in hoc Mundo nihil habeat potestatis, habeat autem in futuro: Alium Deum Mundi conditorem, cui in præsentem Mundum jus sit. Romanos autem profiteri esse unum Deum eumdemque Patrem cælestem, & universi factorem, se Christianos, nos Romanos appellant*; ac hunc, aliosque Manichæorum errores fuse ibidem Cedrenus persequitur, quos etiam Euthymius in Panoplia confutat. Manichæorum autem, seu Paulicianorum ortum, & progressum per hæc tempora, ex Petro siculo, qui sub Basilio, & filiis ejus Imperatoribus nono seculo floruit, Baronius exponit, is autem Petrus siculus adversus Manichæos, Paulicianos dictos egregium edidit commentarium, quod Archiepiscopo Bulgariæ incripsit, pauca tamen ex multis adnotamus, Constantinus itaque, qui & Silvanus dicebatur impuræ sectæ fundator, non procul a Samosata Armeniæ in vico Manalim degens, cum a Diacono quodam, quem hospitio excoperat, Evangelii Codicem, & Pauli Apostoli epistolas accepisset, *Cum ex Manichæorum libris omnes jam cujusque impietatis artes percepisset, tantum mox Satanæ ope assecutus est, ut Evangelii, Apostolique sen-*

JESU CHR. AN. 653.

JESU CHR. AN. 653. *sensus perperam interpretando, facile omnes in rem suam quo vellet, & pro libidine detorqueret*: Et ne tamquam Manichæus haberetur, pœnamque Manichæis, ab christianis Imperatoribus inflictam, incurreret, qua jubebatur, ut igni traderentur, Manichæorum libros, quotquot habebat, abjecit; At cum ibidem *annos septem & viginti versatus esset, multosque ex incolis in errorem impulisset, dignum magisterio & doctrina vitæ suæ finem sortitus est. Nam Imperator postquam de hominis insolentia, nescio qua ratione certior factus est, Palatinum quemdam Simeonem protinus ablegavit, cum mandatis, quibus ipsum, ut improbitatis artificem, lapidare jubebatur, ejus vero discipulos, quos nempe induxerat ignorantia, per Dei ecclesias erudiendos convertendosque dispergere, quamquam illi prorsus corrigi noluerunt*. Simeon autem illuc profectus, ac Imperatoris jussa executus, Constantinum seu Silvanum lapidibus quidem obrui jussit, ejusqne discipnlos ecclesiis commendavit, quos etiam ut convertentur admonuit.

Simeon Manichæorum sectæ post Constantinum propagator efficitur.

15. At dum Simeon impuram sectam destruere molitur, eamdem paulo post restaurare conatus est. Nam *dum Manichæos temere nimis excutit, & auscultat Simeon, ut qui divinæ institutionis expers erat, ac plane rudis, atque ut verius dicam levis ac præceps animo, pestiferam hæresim hausit, & cum ea rediit CPolim ad Imperatorem, Triennio deinde domi suæ privatim acto, cum plene jam irretitus possideretur a Diabolo, relictis omnibus, clam excessit Cibassam petens, ubi convocatis collectisque Constantini discipulis, ejusdem impietatis successor effectus est*: Et ut Constantinum imitaretur, qui se Silvanum, ex Silvano Pauli discipulo vocari voluit, ita quoque hic impostor loco Simeonis, Titi nomen assumsit, exorta tamen post triennium contentione inter Simeonem seu Titum, & Justum quemdam. *Justus ad Episcopum Coloniæ profectus, atque ut de Apostoli sensu quod cupiebat, audiret, mox de se, sociisque, & quam inter se disciplinam tenerent, liquido exposuit. Re comperta Episcopus, nihil in his sibi cunctandum ratus, de singulis e vestigio refert ad Justinianum Augustum, qui post Heraclium Imperii sceptra gubernavit*: Quæ autem tunc gesta sint, opportuniori loco dicenda reservamus. Hic autem plurimorum annorum historiam contraximus, quæ nullam per annos singulos discretionem patiuntur. 6. Cly-

16. Clypiacensem synodum, ad quam Episcopi fere omnes Galliarum convenerunt, quam anno 662. Baronius refert, ad labentem 653., Clodovei Regis 16. pertinere scribit Pagius not. 2. ad annum 662. In ea coram congregatis Episcopis dignam Christianissimo Regi orationem habuit Clodoveus, qua se omnimodam libertatem, & immunitatem monasterio S. Dionysii tribuit, atque ut eam Episcopi ratam haberent, expostulavit: Immunitatis privilegium historici Galli passim referunt, at correctius ex ipsa autographi forma illud exhibet Mabillonius libro quinto de re diplomatica tabula 17., & libro sexto pag. 466. ac datum dicitur *sub die decima Kal. Julias Clipiaco*, eique Episcoporum plurimi, cum Regni proceribus subscripti sunt, uti apud Labbeum videre est.

Jesu Chr. an. 653. De Clypiacensi synodo & immunitate monasterii S. Dionisi.

17. Ad hæc quoque tempora revocanda est Cabillonensis synodus, quam ad annum 662. distulit Baronius, cum jam Clodoveus, sub quo se convenisse patres testantur, ante annos aliquot vivere desiisset: Hinc circa annum 650. hujus synodi epocham figendam esse censent eruditi viri, synodo subscripserunt Episcopi quadragintaquatuor, ex his nonnulli absentes per legatos suos, ac octavo Kal. Novemb. in Basilica Sancti Vincentii convenisse scimus, canones vero viginti in ea editi sunt, quorum primo Nicæna, & Calchedonensis fides commendatur, 2. canonum observantiam jubet. 3. Mulieres extraneas ab Episcopis, Presbyteris, & Diaconibus e domibus suis ejiciendas esse præcipit. 4. Ne duo Episcopi in una civitate ordinentur. 5. 6. 7. Ne res ecclesiæ facile distraherentur, cavetur. 8. Pœnitentiam & peccatorum confessionem utilem declarat. 9. Christianis mancipia retinere, aut vendere illicitum esse adnotat. 10. Jubet ut Episcopus a clero & populo loci eligatur. 11. Judices publici per parochias, & monasteria non discurrant, nec nisi invitati ibidem morentur. 12. Duo abbates in uno monasterio non ordinentur. 13. Nemo clericum alienum apud se retineat. 14. Clerici, vel Presbyteri, qui in oratoriis magnatorum per villas inserviunt, propriis Episcopis subditi sint. 15. Abbates & monachi seculari potestate non abutantur, nec sine licentia Episcopi ad Principis præsentiam ambulare audeant. 16. Nemo per præmium ad sacros promoveatur ordines. 17. Nullus intra ecclesiæ ambitum scandalum, aut simul-

De Cabillonensi synodo *Bar. an. 662. n. 3. pag. ib. Labb. concil. tom. 6. pag. 387.*

Jesu Chr. an. 653. ſimultates exerceat, aut arma deferre audeat. 18. Dominica die ab omni opere etiam rurali fideles abſtineant. 19. feminas in eccleſia canere prohibet. Canone tandem. 20. Agapium, & Bobonem Dinienſis urbis Epiſcopos, qui contra ſtatuta canonum deliquerant, *Ipſos juxta tenorem canonum ab omni Epiſcopatuum ordine decrevimus degradare*, ajunt citati Patres. In eamque rem ſynodalis quoque extat epiſtola ad Theodoſium Arelatenſem Epiſcopum inſcripta, qua eum uſque ad proximam ſynodum, ab omni eccleſiæ administratione, & fructuum perceptione ſuſpendunt, cum etenim is ob gravia peccata publicam egiſſet pœnitentiam, ac multa adverſus eum in ſynodo Cabillonenſi objecta fuiſſent, ac ſynodo præſentiam ſuam negaſſet, *donec in audientia ante fratres conveniatis*, eum ab Epiſcopali officio & dignitate ſuſpendunt, uſquedum in proxima ſynodo, cauſa ejuſdem cognoſceretur, ut ibidem videre eſt.

JESU CHRISTI an. 654. Martini Papæ 6.
Constantis Imp. 14. Ariberti Italiæ Regis 2.

Quæ & quanta Martinus Papa CPolim pergens pertulerit.

1. In Inſulam Naxum in hoſpitio, ſeu potius carcere detentum Martinum Pontificem, anno proximo reliquimus, nunc CPolim proficiſcentem comitemur, ejuſque in urbem Regiam ingreſſum, pro fide quidem catholica triumphantem, etſi inauditis contumeliis, & injuriis exceptum, videamus: Geſtorum ſeriem catholicus quidam, cujus nomen ignoratur, qui hæc oculis ſuis viderat, auribuſque perceperat, cunctis catholicis, iis præcipue, qui Romæ, & in Africa erant, litteris ſuis deſcripſit. Luctuoſæ hiſtoriæ, ſeu potius tragœdiæ ſeriem deſcripturus, luctuoſam oppoſuit præfationem, ſic exorſus. *Afflictionum mœrores, & lacrymas &c.*, iiſque breviter expoſitis, quæ Romæ adverſus Pontificem geſta fuerant, Quanta cum crudelitate cum eo actum fuerit, tum in itinere, cum CPoli, in teterrimo carcere detentus, *Clauſus, & ſine partecipatione penitus ſermonis alicujus nonagintatres dies*. qua die in judicium adductus eſt, ut mox dicturi ſumus, Interea de his, quæ in itinere, aut CPolim adveniens ſanctus vir pertulit, hæc adnotat: *Navigantibus ſicut ſcitis, euntibuſque juxta Amidum, in inſulam, quæ vocatur Naxos, non conceſſerunt beato illo Apo-*

Concil. Labb. tom. 6. pag. 66. seqq.

Apostolico viro custodes penitus contingere terram, dolentibus prorsus pedibus ejus. (Podagræ quippe doloribus tenebatur) *cum ipsi per loca conferrent, & ibi quiescerent. Hi autem qui per loca erant sacerdotes, & ceteri fideles regionis ipsius, dirigebant munera beato illi causa utilitatis ejus, non parvæ multoties quantitatis: quas quidem directas species & quantitates custodes bestiales continuo coram eo diripiebant, improperiosa & amara plurima congerentes in eum. Eos autem, qui munuscula detulissent, injuriis & verberibus afficientes dimittebant, dicentes ad eos: Quoniam quicumque diligitis istum, inimici estis Reipublicæ, numquid non ei hoc solum valebat inferre dolorem incomparabilem super infirmitate, quæ eum valde deprimebat: Exinde igitur præmittentes ab Amido quemdam, custodes, qui retinebant eum, nunciaverunt in Bizantio adventum & captionem ejus, proferentes adversus eum plurima mala, hæreticum, & rebellem, Deique adversarium proclamantes, & subvertentem universam terram Romanorum. Cumque tandem pervenisset Bizantium beatus ille* 17. *die Septemb. mensis in portu &c. juxta Euphemiam, Arcadium prope relinquerunt eum a mane ministri usque ad horam* 10 *recumbantem in grabato navis. Eratque (sicut dictum est) spectaculum omnibus Angelis, & hominibus. Accedebant enim varii homines, quos propter ferales mores lupaces dixerim: & subrogati (ut conjicio) talia contra S. Papam agebant, qualia Christianis dici non oportet. Morantibus nobis in littore, eram incedens dolore plenus & amaritudine, eo quod viderem talem sanctum virum ita dejectum, non solum autem, sed & talia eloquia a quibusdam Ethnicis prolata contra eum: nihil aliud quærebant, nisi ut auferetur anima ejus. Dehinc circa Solis occasum venit quidam scriba, nomine Sagoleva, cum multis excubitoribus, auferentes de lembo, posuerunt in gestatorio, duxeruntque in custodiam Excubitorii, quæ cognominatur Prandearia, & fecit eum includi sub multa custodia, præcipiens Excubiti custodibus, ut nullus penitus sciret civitatis, quia est in eodem excubitu.*

Jesu Chr. an. 654.

2. Die tandem nonagesima tertia, ex qua carceri inclusus fuerat: *Quæ est Parasceve*, die scilicet decimanona Decembris hujus anni, *mane tulerunt eum de custodia constituendum in cella Sacellarii*, seu Procuratoris fisci, ut demonstrat Ducangius in glossario mediæ & infimæ latinitatis

S. Martinus Papa CPoli coram Senatu judicio sistitur.

JESU CHR. AN. 654. in verbo Sacellarii: *jubentes pridie convenire omnem Senatum, quod & factum est. Jusserunt autem eum introducendum, & introduxerunt in portatoria sella. Erat enim penitus æger, præcipue autem in illis diebus præ navigatione & afflictione custodiæ per tot dies effectæ. Intendens autem in eum primus qui præsidebat Sacellarius cum reliquis principibus a longe, jussit eum surgere a ferculo, & adstare. Dicentibus quibusdam ministrorum, non valere eum stare: turbatus præ ira Sacellarius, exclamavit. Tunc autem & quidam de custodia surgere eum, & adstare censuræ subnixum hinc inde jusserunt, quod & factum est.*

Testes contra S. Martinum producti.

3. *Sacellarius inquit ad eum: Dic miser, quid tibi mali intulit Imperator? tulit tibi aliquid? oppressit te vi? Ille autem tacebat, tunc ait ad eum Sacellarius imperativa voce: Ecce nunc ingredientur accusatores tui. Et continuo cum sermone introducti multi accusatores contra eum: omnes autem erant mendaciifilii & discipuli eorum, qui D. N. Jesum Christum negaverunt. Contradicebant vero sancto viro, quemadmodum præmoniti fuerant: erant enim voces eorum præmeditatæ. In quibus quidam eorum paulo ante interrogati, ut testimonium perhiberent, tentabant dicere veritatem, sicut mos est: & continuo turbati qui prætendebant certamen, incipiebant validis minis increpare eos, donec suaderent eos proferre quæ erant convenientia in mortem beati & justi viri. Contemplatus ergo S. Papa Martinus introeuntes testificari, subridens dixit: Isti sunt testes, sicut habet ordo? Erant enim primi ingredientes nomine quidem milites, lupaces autem & bestiales sententia, & quidam eorum qui erant Olympii, cum quibus & Andreas, qui fuerat Notarius; erant enim intra accusatores infelices Imerites & Erinus, & reliqui numero quasi viginti priores, milites, & reliqui accusatores. Jurabant autem ad Sancta Evangelia & testificabantur. Primicerius sane omnium accusantium erat Dorotheus Patricius Siciliæ, qui adjurans dixit: Quoniam 50. capita si haberet* Martinus, *non oportet eum vivere, eo quod solus subvertit & perdidit universum Occidentem & delevit, & re vera unius consilii fuit cum Olympio, & inimicus, homicida Imperatoris, & Romanæ urbanitatis.*

Martinus pejerare prohibet.

4. *Videns ergo justus vir introeuntes eos & jurantes sine parcitate testificatores, compassus perditioni animarum eorum,*

rum, *ait ad eos qui præsidebant principes*: *Obsecro vos per Dominum*, *nolite præparare illos jurare*, *sed absque juramento dicant quæcumque volunt*, *vosque facite quæcumque vultis*. *Et quid opus est etiam jurando perdere illorum animas*? *Ingresso equidem uno*, *& testimonium dicente*, *quoniam conjurationes fecit cum Olympio*, *& milites præparavit ut jurarent*: *Interrogatus Deo pretiosus vir*, *si hæc ita se haberent*, *ille*: *Si vultis audire veritatem*, *dico vobis sequentia*. *Et cœpit dicere*: *Quando factus est Typus*, *& directus Romam ab Imperatore*. *Et hoc tantum dicente beato illo*, *aliud non concessum est loqui*: *sed continuo ante omnes incipiens cum clamore Troilus*, *inquit*: *Non inferas nobis hic de fide*: *de duello nunc scrutaris*, *quoniam & Romani*, *& nos Christiani sumus & orthodoxi*. *Et respondit iisdem vir justus*: *Utinam*! *verumtamen invenietis me in illa die tremendi judicii examinis testem etiam in hoc*.

Martinus crimina objecta diluit.

5. *Deinde inter accusantes testes ait ad eum Troilus Præfectus*: *Qualis es tu homo*, *quoniam cernens & audiens talia contra Imperatorem*, *nitentem effodiendum Olympium*, indignum videlicet sepultura, *non prohibuisti eum*, *sed contra consensisti ei*? *Ad quem dixit ipse Apostolicus Papa*: *Dic domine Troile*: *Quando* (*sicut scitis etiam vos*, *& nos audivimus*) *Georgius a magistratibus*, *qui erant ex monachis*, *ingressus est tunc in Urbem a castris*, *& talia verba locutus est*, *fecitque res tales*: *ubi eras*, *aut qui erant tecum*, *quod non restitistis*, *sed contra concionatus est vobis*, *& quos voluit palatio exulavit & prohibuit*? *Iterumque cum Valentinus cum præcepto Imperatoris indutus est purpura & consedit ei*: *quo jeratis vos*? *non eratis illic*? *Cum ergo non prohibuistis eum*: *dicentes*: *Ne attingas res non opportunas tibi*? *Nonne omnes contra convenistis ei*? *Quomodo habebam ego tali viro adversus stare*, *habenti præcipue brachium universæ militiæ Italiæ*? *An potius ego illum feci Exarchum*? *Verumtamen denuo obsecro vos per Dominum*: *quodcumque vultis & definitis fieri in me*, *citius explete*. *Novit enim Dominus*: *Maxima mihi dona tribuitis*, *quacumque me clade jugulaveritis*.

Martini responsa referri Sacellarius prohibet.

6. Et sane ut ad rem adnotat Muratorius, si rebelles adversus Imperatorem spiritus habuisset S. Martinus, Saracenorum armis, qui tunc in Siciliam excursionem fecerant, opus

JESU CHR. AN. 654. opus non habebat, cum Longobardos viciniores haberet, in Tuſcia, ſcilicet, in Spoletano, & Beneventano Ducatû, qui Romanæ urbi quotidie infeſti, ea numquam potiti ſunt. Quare vix inveroſimilior calumnia adverſus ſanctum Pontificem excogitari potuit. Sed tragœdiæ ſeriem proſequimur. *Percunctatus autem quidam de miniſtrantibus Sagoleva videlicet Sacellarius: Sunt foris etiam aliqui, qui debeant teſtificari? Reſpondit ſcriba: Sunt, domine, plurimi alii. Deficientes autem hi qui præſidebunt, ſancto & venerabili aſtante viro conſpectu eorum, & potiſſimum cum Spiritu ſancto eum confirmante, dixerunt ſufficere teſtes. Erat quippe interpres eorum, quæ a ſancto dicebantur verborum Innocentius Conſul filius Thomæ, qui erat ab Africa, & cum interpretaretur ea, quæ a beato viro dicebantur, non ferebant. Videns Judex ignita jacula ſancti Spiritus a Deo honorabili viro contra eos prolata, ait ad Innocentium cum furore: Cur nobis interpretaris quæ dicit? Noli dicere quæ dicit. Surgens ergo continuo Sacellarius cum plurimis qui conſiderant ei, ingreſſus eſt nunciare Imperatori quæque ipſe voluit. Eduxerunt autem S. Apoſtolicum virum de loco judicii, magis autem ex aula Caiphæ, in geſtatorio ſedili ſedentem, & ſtatuerunt eum in medio atrii, quod erat ante cellam Sacellarii, & Imperialis ſtabulj, quo conſueverat omnis populus convenire, & exſpectare Sacellarii ingreſſum. Circumdederunt eum excubitores, atque ſit omnibus ſpectaculum formidabile turbis. Poſt paululum ergo juſſerunt eum inferri in Solarium diſpoſitionis, ut eſſent ibi hactenus, quouſque proſpiceret Imperator per cancellos triclinii ſui, juſſurus fieri, quæ erant facturi. Erat itaque multitudo populorum, uſque ad Hipodromum convenientium illic. Statuerunt ergo reverendiſſimum virum in medio Solarii diſpoſitionis in præſentia totius Senatus, ſubnixum hinc & inde.*

Martino publico judicio ſiſtitur.

7. *Facta eſt ergo conſtipatio ſubito non minima, & exiens ab Imperatore Sacellarius, apertis januis triclinii, ut videret univerſum populum, veniensque ad ſanctiſſimum venerabilem virum Martinum Apoſtolicum, dixit ad eum: Vide quomodo Dominus te adduxit & tradidit in manus noſtras. Tu nitebaris contra Imperatorem? Quid tibi ſpei erat? Ecce dereliquiſti Dominum, dereliquit te Dominus, & continuo exclamans Sacellarius, quemdam aſtantium excubitorum tonſorem præcepit ſine mora auferre paſchnion ſummi & Apoſtolici atque*

que præcipui pastoris omnium Christianorum, qui Orthodoxam sanctorum Patrum, & Synodorum confessionem, hoc est, fidem confirmavit, & novi erroris exortos auctores, novos videlicet hæreticos cum impiis dogmatibus eorum canonice & Synodice anathematizavit. Cum ergo incidisset paschnion beati viri, excubitor & corrigiam compagiorum ejus, statim tradidit eum Sacellarius præfecto urbis, dicens: Tolle eum, domine præfecte, & continuo membratim incide illum. Erat Campagus, ut variis exemplis demonstrat Ducangius calceamenti genus, quod Regum primo, & Principum proprium erat, deinde Prætoribus, & Palatinis proprium fuit, quo etiam Summi Pontifices postea usi sunt, eorumque exemplo deinde Episcopi, & Abbates dum Pontificalia exercent, nunc vero Sandalia dicuntur: Pschion vero vestis erat, qua Summi utebantur Pontifices, quare cum reus mortis judicatus esset S. Martinus, insignibus & vestibus Pontificalibus exutus fuit. Quanta autem cum sævitia a carnificibus exceptus fuerit; aut quanto cum ludibrio habitus, his verbis idem auctor narrat. JESU CHR. AN. 654.

8. *Cum his autem omnibus jussit astantibus, anathematizare eum: quod & fecerunt. Non responderunt autem hujusmodi voci viginti virorum animæ: sed omnes qui eum videbant, & sciebant quia est Dominus in cœlo inspector eorum quæ fiebant, demisso vultu cum multa mæstitudine recedebant turbati. Suscipientes ergo eum carnifices, exuerunt eum pallio sacerdotalis stolæ, & scindentes alas tunicæ, quæ erat interius a summo usque deorsum, circumposuerunt ferrea vincula in sanctam ejus cervicem & per omne corpus, trahentes eum vi: non concesserunt ei alicubi residere & animum refocillare, sed a palatio duxerunt eum, publicantes & dehonestantes per medium civitatis ad prætorium, & gladius coram eo,* ferebatur scilicet. *Erat autem ei dolor magnus: oppido enim fessus erat & infirmus præ tantis incommodis, futurus relinquere animam a pressura passionum, & tenuitate corporis. Attamen gaudens spe confortabatur in Domino, & quo magis afflictione & vi trahebatur, eo sereno obtutu, ductus cum multa constantia animæ justus, cum uno solummodo indumento a summo discisso in duas partes & sine cinctorio sequebatur vir tantus, fide & gratia Domini cinctus. Heu proh dolor! cerneres virum Deo plenum, tantum opprobrio subjectum, ut in-*

S. Martinus vestibus exutus plebis ludibrio exponitur.

Concil. tom. 6. pag. 74.

Jesu Chr. an. 654.

interiora ejus quodammodo nuda panderentur. Multifarie quidem continuo populorum conspectus, videntes quæ fiebant, gemebant (ut veritatem dicam) & lachrymabantur: pauci autem ministrorum Satanæ gaudebant & subsannabant, & capita transeuntes (sicut scriptum est) movebant, dicentes: Ubi est Dominus ejus, ubi fides ejus, & ubi doctrina ipsius?

Martinus iterum in carcerem truditur.

9. *Qui cum venisset in prætorium dehonestatus, & a carnificibus inculcatus, conjecerunt eum in ima carcerum cum homicidis. Et quasi post unam horam tulerunt eum inde, & transposuerunt in ea quæ dicitur, Diomedis custodia, in prætorio Præfecti. Tanta autem instantia & vi trahebant eum vinculis nexum, ut dilaniarentur crura, & poplites ejus, & sanguis efflueret per ascensum scalæ ejusdem custodiæ: sunt enim scopulosi & asperi valde ac penitus in altum porrecti gradus. Erat autem ipse beatus præsentis vitæ fini proximus, jam in carcere suppliciis anima deficiente ante gladium, cum non valeret conscendere cum se trahentibus. Introducentes ergo eum quomodocumque in custodiam, decidentem sæpius ac surgentem, posuerunt eum in scamno indutum ferro & catenis. Tunc enim quando traditus est a Caipha Pilato ut crucifigeretur, hoc est, Præfecto: continuo exuerunt eum carnifices, graviter enim algoribus vexabatur, erat enim intolerabilis hyems: imposueruntque ei gravissima ferri pondera, & nullus aderat ei hominum ejus proprius, excepto uno solummodo clerico adolescente, qui cum mansisset in custodia, & superstans lamentabatur magistrum, sicuti Petrus Dominum: Erat autem conjunctus magister custodiæ eidem beato: quoniam sic erat mos, ut futurus pati per gladium, conjungeretur magistro custodiæ illa nocte. Erant ergo duæ mulieres, genitrix & nata, prænominatæ custodiæ claves tenentes, quæque aspicientes importabilem dolorem sancti illius, qui inter tot pœnarum genera algore quatiebatur dirissimo, motæ compassionibus, quærebant aliquam exhibere misericordiam ei, & contegere eum, sed non audebant propter conjunctum & custodientem carnificem. Putabant enim, actutum venturam censuram, ut trucidaretur. Post quasdam vero horas, quidam ex ordine militari vocabant ab imo magistrum vigiliæ carceralis. Descendente eo, una mulierum ergastulorum illorum pietatis viscere ducta accedens, amplectensque bellatorem Christi & Apostolicum Papam, portansque reclinavit eum in proprio thoro suo, contegens uti-*

utiliter & involvens: mansit autem usque ad vesperam sine voce. Vespere autem facto, misit ad eum Gregorius Praefectus eunuchus ex cubiculariis Majorem domus suae cum paucis cibariis, qui refecit eum, dicens: In tribulationibus confidimus in Dominum, non morieris. In quo magis aggravatus ille beatus ingemuit. Abstulerunt autem ferrea vincula continuo ab eo.

JESU CHR. AN. 654.

10. *Sequenti autem die adiens Imperator in Patriarchium visendi gratia Paulum Patriarcham (proximus enim erat morti) narravit ei, quae consummata erant in sanctissimum virum, Ingemiscens vero Paulus, conversus ad parietem dixit: Heu mihi, & hoc ad abundantiam judiciorum meorum actum est. Percontatus ergo ab Imperatore quid hoc esset, respondit: Nam quidnam domine, non est miserabile, talia pati Pontificem? Tunc attentius adjuravit Imperatorem, sufficere ei in his quae passus est, nihilque amplius sustinere. Unde audiens beatus ille Apostolicus vir, quod non suscepit quod expectabat* (nempe per gladium consummare martyrium) *non gratum habuit tale promissum, sed penitus moestus effectus est, festinabat enim explere bonum certamen, & abire ad Deum, quem desiderabat.*

Paulus CP Episcopus aegrotat.

11. *Interea defuncto Paulo, Pyrrho residere nitente, atque quibusdam Ecclesiae contradicentibus, & prohibentibus, libellumque ejus publicantibus in palatio, ajentibusque quoniam a beatissimo Paulo anathematizatus est: Pyrrhus reprobatus est sacerdotio propter libellum quem fecerat Romae. Et multa commotione facta, post dies octo, defuncto Paulo, dirigitur ab Imperatore ad Diomedis custodiam ad magnanimum Papam Demosthenes rescriptor & collaborator Sacellarii noster & Libeltitius cum eo. Intrantes vero dixerunt ad eum: Dominator & eximius Imperator misit nos ad te, dicens: Ecce in quanta gloria primus consistens, in qualem ordinem te ipsum duxisti. Nemo tibi fecit hoc, sed tu ipse tibimetipsi. Ipse autem nihil respondit, nisi solum hoc: Gloria & gratiarum actio per omnia soli immortali Regi. Dicit ad eum Demosthenes rescriptor: Dic nobis ea, quae de Pyrrho hic, & Romae subsequenter gesta sunt: pro qua caussa abiit Romam, jussus, an proprio proposito? Respondens sanctus Papa dixit: Proprio proposito. Ait Demosthenes: libellum illum quomodo fecit compel-*

Paulo defuncto Pyrrhus restitui curat.

JESU CHR. AN. 654. *pellente aliquo? Respondet sanctus vir: Nemine, sed propria propositione. Demosthenes inquit: Veniente Pyrrho Romam, quomodo eum suscepit sanctus vir Theodorus prædecessor tuus Papa? uti Episcopum respondit æquanimis Papa: Uti Episcopum: & quomodo non, si priusquam veniret Pyrrhus Romam, manifeste scripsit B. Theodorus ad Paulum, utpote ad eum, supplantationem fecit, & alterius thronum invasit? Deinde eodem Pyrro veniente Romam sponte sua ad vestigia B. Petri, quomodo non haberet eum suscipere & honorare utpote Episcopum? Respondens Demonsthenes, dixit: Vere veritas sic habet. Unde autem sumebat ea, quæ usum sui corporis erant necessaria. Dicit beatus manifeste. De Patriarchio Romano. Ait concertator: Qualis panis dabatur ei? Respondit honorabilis vir: Vos domini mei nescitis Ecclesiam Romanam. Dico enim vobis, quia quisvis venit illuc miserabilis homo hospitari, omnia ad usum præbentur ei, & nullum immunem suis donis S. Petrus repellit venientium illuc, sed panis mundissimus, & vina diversa dantur non solum ei, sed omnibus ei pertinentibus. Si ergo in miserabilibus hominibus hæc fiunt: qui venit honorabilis sicut Episcopus, quales sumptus habet suscipere?*

Rom. ecclesiæ liberalitas.

Martini constantia in innocentia sua tuenda.

2. *Dicit ad eum Demosthenes: Nos didicimus quia Pyrrus fecit libellum Romæ, & quia vincula lignea sustinuit, & multa dolenda passus est. Respondit ille beatus, & dixit Nihil tale factum est. Nam nisi quia formitudine aliqui tenentur, non possunt forte loqui veritatem: hic sunt Constantinopoli plurimi, qui tunc erant Romæ, & sciunt quæ ibi gesta sunt: ex quibus interim superest Plato Patricius, qui tunc Exarchus erat, quique direxit homines suos tunc ad Pyrrum Romam. Percontamini eum de his, si mentior: Verumtamen quid volumus plura quærere? Ecce in manibus vestris retinetis me; & quodcumque consumare, Domino indulgente, in vestra est potestate. Utique si membratim incidatis carnem meam, sicuti Præfecto jussistis cum me traderetis non communico Ecclesiæ Constantinopolitanæ, Ecce hic sum: examinate me & tentate, & invenietis experimentum gratiæ Dei fidelium servorum ejus: Interim Pyrrus in medio veniat, qui toties anathematizatus est & nudatus honore divino. Stupefactus Demosthenes rescriptor, & admirans super hanc vocem, æquanimis Papæ audaciam atque constantiam pro Christo*

*sto velle voluntarie mori, quia ad hoc positus erat calix passionis, similiter & ii qui consequenter erant cum eis stupentes, accepto libellario, seriatim cuncta, quæ dicta erant a sancto viro conscribentes, recesserunt. Fecit ergo reverendissimus Papa in eodem Diomedis ergastulo octoginta quinque dies post primos nonaginta tres, hoc est, omnes centum septuaginta octo. Venit igitur Sagolena scriba, dicens: Quia jussus sum auferre te hinc, & transferre in domum meam, & post duos dies dirigere te, quo jusserit mihi *Sacellarius. Interrogante eum Papa, quo ducendus esset, vel in quem locum: noluit ei dicere. Rogabat ergo sanctus ille, ut laxaretur in eodem custodia, quousque exularet, & ad eam horam auferretur de custodia, & nec hoc concessum est ei*: Quare veniens Sagoleva scriba in domum suam transtulit, unde post biduum Chersonam in exilium ductus est Sanctus Vir, die 15. Mensis Martii anni sequentis 655. ubi cum pervenisset litteras ad *quemdam sibi carissimum de exilii sui calamitate litteras dedit*, quibus hæc habet. *Navigantes sancta quinta feria cœna Domini*, quæ anno proximo in diem 26. Martii incidit, *pertransivimus Pharum, per diversa loca* transmeantes idibus Maiis, & *Chersonam pervenimus*, quo in loco, eodemque anno 655. ad cœlestem patriam transiit, ut ibidem dicturi sumus.

Martinus papa in passionibus gloria fulget.

8. His autem de iniquo judicio, iniquioreque sententia in Sanctum Pontificem lata, expositis ex fidelissimi testis relatione, cum Baronio adnotare juvabit. Numquam a pluribus ante sæculis apparuisse Rom. Pontificem tanto fulgore coruscum, vel ita ex insignibus Pontificiis decoratum, numquam aliquando ita circumspecte vestitum, quam cum exutus pallio, expoliatus stola, interiori disrupta tunica, nudus ex parte visus est omnibus: numquam majori pompa processisse, quam cum ferreis undique catenis vinctus, per Constantinopolitanam tractus est urbem: nullaque unquam tam insigni purpura effulsisse Pontificem Max. cum illa, non murice tincta, sed suo ipsius cruentata sanguine tunica, a summo usque deorsum conscissa, seminudus idem sanctus incessit: etenim illo nobilitatus est indumento, quod deprecatus a Deo est sacerdotibus David, dicens: *Sacerdotes tui induantur justitiam*. Et auctus illo, quod etiam Paulus fi-

Jesu Chr. an. 654.

delibus suggessit, ubi ait: *Indiumini Dominum nostrum Jesum Christum*. Quo enim magis ab impiis sacer dehonestatur Antistes, eo præclarius exornatur a Deo. Quod ostensum est divinitus Zachariæ de Jesu Sacerdote magno, cui cum adversaretur Satan, assisteret tamen minister Angelus, ac juberetur exui vestibus sordidis, & superindui candidis, atque exornari capite cidari munda. An non effulgebant omnia tunc ornamenta in tanto Pontifice, cum inter tot tantasque ignominias & ærumnas eluceret ipsius adeo mirifice patientia, niteret modestia, ac splendesceret mirum in modum fortitudo cum animi invicta constantia, dum etiam gaudio exultaret consummans morte martyrium, illo ebrius potu, quem propinavit credentibus Jacobus Apostolus ubi ait: *Omne gaudium existimate, fratres mei, cum in tentationes varias incideritis*? qui etiam a prædecessore suo Petro didicerat. *Si quid patimini propter justitiam Beati*. At de his hactenus.

Paulo CP. Episcop. Pyrrhus succedit deinde Petrus.

9. Interea cum post Pauli CP Episcopi obitum, Pyrrhus eam sedem iterum invasisset, diu tamen ea frui non potuit, nam ut auctor est Nicephorus in chronico, post menses quatuor, & dies viginti tres e vivis ereptus est, ejusque loco ordinatus est Petrus, qui in eadem CP ecclesia hospitum curam gerebat, quem anno sequenti ad Eugenium in Martini locum Romæ ordinatum litteras dedit, ut ibidem dicturi sumus. Pyrrhus autem qui recuperandæ sedis cupiditate flagrans a catholica ecclesia, ad quam oblata Romæ exomologesi, desciverat, eam dignitatem vix consecutus, ex ipsa miser ad tribunal severissimi judicis repente abreptus fuit, ut de eo vere dici possit. *Dejecisti eos, dum allevarentur*. Petrus autem Pyrrhi successor ejusdem hæresis sectator fuit, ut anno sequenti videbimus.

Theodorus ut Romæ Pontifex eligatur sollicitus.

10. Interea vix Theodorus Calliopa, & satellites ejus Martinum Papam sua sede abreptum, CPolim ire coegerat ut alter in Martini locum Pontifex eligeretur, sicuti a Constante Imp. in mandatis acceperat, Romanum clerum urgere cœpit, id tamen tam cito obtinere non potuit, quin diu multumque restitisse Clerum Romanum, ne contra ecclesiæ disciplinam, & canonum auctoritatem, vivente Pontifice, alius in ejus locum substitueretur, quod vix alias sub Constantio Imperatore Ariano factum fuerat, cum Felix in locum Li-

Liberii, qui pro catholica fide exul erat, ordinatus fuerat, itaque ne funestum adeo exemplum imitare cogeretur, usque ad labentem annum Romanus clerus restitit, & sane cum jam labenti anno CPolim pervenisset Martinus Papa, nemo adhuc in ejus locum ordinatus fuerat, nec quemquam se superstite ordinandum fuisse sperabat, ut in sua epistola ad Theodorum scripta, his verbis declarat sanctus fidei confessor Martinus. *Quibus confestim introeuntibus*, (in ecclesiam scilicet Constantinianam) *Jussio a Calliopa porrecta est Presbyteris, & Diaconibus, in qua humilitatis meæ abjectio continebatur, quod irregulariter & sine lege Episcopatum subripuissem, & non essem in Apostolica sede dignus institui, sed omnimodis in hanc regiam urbem transmitti, subrogato in loco meo Episcopo, quod necdum aliquando factum est, & spero quod nec aliquando fieri habet, quia in absentia Pontificis, Archidiaconus, & Archipresbyter, & Primicerius locum præsentant Pontificis*: Hæc Martinus CPoli scribebat hoc anno mense Septembri. Ex mense itaque Majo anni proximi cum Martinus detentus fuerat, ad mensem septembrem labentis anni nullus adhuc ordinatus fuerat, aut saltem nundum de Pontifice Eugenio in Martini locum ordinato, nuncius CPolim allatus fuerat, ac Romanam Ecclesiam Archidiaconus, Archipresbyter, ac Primicerius Notariorum administraverant, qui dum sedes vacaret, aut absens esset Pontifex locum Pontificis, & vices gerebant, ut loco supracitato adnotat idem Martinus Papa, & multis exemplis constat, uti jam in Gregorii M. ordinatione supra adnotavimus,

JESU CHR. AN. 654.

11. At tandem hoc anno die octava Septembris, ut adnotat Pagius, Calliopæ vi, aut minis Romanus clerus cessit, & ne extremum periculum, aut Schisma quod imminebat, subire cogeretur, aut ne invitis ab Imperatore Romanus Episcopus eligeretur, qui ejusdem cum ipso hæresis esset propagator, Eugenium tandem, virum & catholica fide, & omni virtutum genere ornatissimum elegerunt, quem Romanum fuisse e regione prima Aventina ex patre Ruffiniano, atque ab incunabilis clero Romano adscriptus, *benignus*, *mitis*, *mansuetus*, *omnibus affabilis*, *et sanctitate præclarior* adnotat Anastasius, ac annos duos, menses octo, dies vigintiquatuor sedit, ejusque electionem, & ordinationem, quæ

Eugenius Rom. Pontifex in Martini locum ordinatur.

Jesu Chr. an. 654.

alioquin illicita fuerat, consensu suo confirmasse Martinum Pontificem, suoque consensu dignitati suæ renunciasse, ut Eugenius in ejus locum ordinatus, pro legitimo Pontifice haberi posset, non obscure idem Martinus in epistola ex Chersona ubi exulabat scripta, indicat, qua dum vota ad Deum pro Romana ecclesia offert, novum in ea electum pastorem, idest Eugenium, his verbis Dei gratiæ commendat. *Verumtamen Deus, qui omnes vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, per intercessiones S. Petri stabiliat corda eorum in orthodoxa fide, & confirmet contra omnem hæreticum, & adversariam ecclesiæ nostræ personam, & inmobiles custodiat, præcipue pastorem, qui eis nunc præesse monstratur.* Quare alterum eo tempore Romanæ ecclesiæ pastorem fuisse fatetur, quod aliter fieri non potuisset, nisi ipse prius dignitati suæ, & officio renunciasset, & alia epistola de calamitatibus exilii sui, se alias Romanæ ecclesiæ administrum fuisse narrat, si porro Pontificatui non renunciasset, se Pontificem, aut Episcopum, vel saltem Rom. ecclesiæ administrum fuisse dixisset. *Si enim*, inquit, *peregrinos illic, idest Romæ, ita reficit S. Petrus, quid dicemus de nobis, qui proprii servi ejus sumus, & saltem ad momentum ministravimus ei, & in tali exilio, & afflictione consistimus.* Hinc opus non est, ut vivente Martino Pontifice, vicariam tantum potestatem exercuisse Eugenium, dicamus, uti pluribus placet, aut post Martini obitum, novo accedente Romani cleri consensu, in adepta jam dignitate confirmatum fuisse, de quo Baronius hæc adnotat. *Ubi de S. Martini Pontificis obitu certum nuncium Romam delatum est, nullus alius quæsitus fuit, qui ipsi succederet, sed qui tunc sedere per imaginem Eugenius, ut diximus, inventus est, accedente rursus semel antea lato consensu, legitime sedere cœpit, ut nonnisi ab hoc tempore Eugenii Pontificatus tempus sit numerandum.* Quanto autem zelo catholicam fidem Eugenius Papa tueri conatus sit, ex dicendis anno proximo constabit, cum Petri CP. Episcopi litteras, recipere recusavit.

Constantinus Pogonatus a patre Augustus dicitur.

12. Hoc quoque anno Constans Augustus Constantinum Pagonatum, sive barbatum filium suum in consortium Imperii adscivit, & Augustum renunciavit, & quidem ante diem vigesimam sextam mensis Aprilis. Nam in Sexta Syno-

nodo generali legitur, Actionem XV. habitam fuisse eo die anno vigesimo octavo ejusdem Constantini. Ea autem Actio celebrata est anno Christi sexcentesimo octogesimo primo. Quare *Constantinus* hoc anno Augustus nuncupatus fuerat, &, ut coniicere licet, die decima tertia mensis Aprilis, in quem Pascha incidit, cum Actio XIV. notetur anno Regni ejus XXVII. & die V. mensis Aprilis; ideoque ea nuncupatio facta fuit post diem V. Aprilis, & ante diem XXVI. ejusdem mensis. *Constantinus* mortuo Constante patre Catholicam fidem, proscripta *Monothelitarum* hæresi, rursus invexit, ut suo loco videbimus. JESU CHR. AN. 654.

13. Ad hunc annum 654. scribit Vestmonstariensis. *Penda Rex Merciorum, qui totus in arma furens, nullas nisi sanguine fuso gaudet vias, Annam Regem Orientalium Anglorum, virum bene religiosum bello invasit, & in momento contrivit, & ejus exercitum totum; Cui Ethelerus frater ejus in Regnum successit. Fuit Anna vir bene religiosus, ac per omnia mente & opere egregius*, inquit Beda, cui ex Heresuvia uxore piissima femina nati sunt, *filii duo, Adulphus, & sanctus Jurminus*, ac filiæ quatuor, *primogenita videlicet Sexburga femina incomparabilis, Edelberga, Ethelreda, atque Vitburga*; ait Thomas monachus in vita Sanctæ Ethildritæ Abbatissæ Eliensis capite septimo, qui addit Adulphum post aliquot annos Anglorum Orientalium Regem fuisse. Ceteros vero Annæ Regis liberos, vitam eousque laudabiliter duxisse addit, ut omnes in tabulis ecclesiasticis inscribi meruerint.

Anna Orientalium Anglorum Rex a Penda occiditur.

Beda hist. Angl. lib. 4. cap. 19.

JESU CHRISTI AN. 655. EUGENII PAPÆ 2.
CONSTANTIS IMP. 15. ARIBERTI ITALIÆ REGIS 3.

1. Anno proximo Martinum Pontificem Chersonam usque stilo nostro deduximus; nunc quæ, quantaque ibidem passus fuerit, videamus, quæ sane vix credibilia essent, nisi idem ipse duabus epistolis, angustias, pressurasque, quas patiebatur, exposuisset; eas vero ad amicum suum inscripsit, quarum prima se idibus Maii Chersonam perveuisse ait; ac post dies 30. illuc latorem epistolæ CPoli ad se missæ advenisse: *Et gavisi sumus super adventu ipsius, æstimantes, quod ex-*

Quæ & quanta S. Martinus Papa in exilio passus fuerit.

JESU CHR. AN. 655. *expensæ ab Italia essent nobis missæ in terram hanc, quæ deberent nos eo veniente consolari. Et cum interrogassemus, cognovimus ab eo, quod nihil huc detulerit de Italia: & miratus sum, & glorificavi Dominum etiam in hoc, quoniam sicut scit, tribulationes nostras dispensat, maxime cum fames in hac terra & necessitas talis esset, ut panis in ea tantum nominetur, non tamen videatur, quoniam nisi mittuntur nobis ex partibus illis sumptus, vel a Partibus Ponti, hic vivere omnino nequimus*: quare post pauca. *Si transmissum fuerit illinc* (idest CPolim ex Italia) *frumentum, & vinum, & oleum, & alia quædam quomodo tu poteris, festina mittere nobis*, quod tanto promptius, se accepturum sperabat, quod Romana ecclesia in quoslibet peregrinos, & pauperes liberalis esset: *Si enim peregrinos illic*, adnotat S. Martinus, idest Romæ, *ita reficit S.Petrus, quid dicemus de nobis, qui proprii ejus servi sumus, & saltem ad momentum ministravimus ei, & in tali exilio & afflictione consistimus*. Epistola autem altera, quam ex eodem Chersonensi exilio scripsit mense septembri, cum eadem, & graviori adhuc alimoniæ penuria afflictaretur, de Romana ecclesia, quæ ejusdem oblita fuerat, dum nihil hactenus ad sustentandam in exilio vitam miserat, conqueritur: Inter cetera: *Miratus sum autem, & adhuc miror indiscretionem & incompassionem omnium, qui quondam mihi pertinebant, & amicorum ac propinquorum: quia sic funditus infelicitatis meæ obliti sunt, & nescire volunt (ut invenio) sive sim super terram, sive non sim. Miratus sum quoque multo magis eos, qui sunt sanctissimæ Apostoli Petri Ecclesiæ: quoniam tanta deberent operari de corpore, ut membro suo, id est, super dilectionem nostram ad reddendos nos sine sollicitudine, saltem super corporalis usus quotidiano sumptu. Nam etsi aurum Ecclesiæ S. Petri non habent, frumento & vino & aliis necessariis expensæ non carent per gratiam Dei, ut modicæ saltem exhibitionis curam gessissent. Qualem putas conscientiam habemus exhibendi ante tribunal Christi, accusantibus omnibus & rationem petentibus reddentibus hominibus, qui ex eodem luto & massa consistunt? Quæ formido est, quæ cecidit super homines ad mandata Dei minime facienda, aut timor, ubi non est timor? An subtractione usque nostri spiritus? Num ita inimi-*

micus omni plenitudini Ecclesiæ apparui, & adversarius illis &c. preces nihilominus eodem loco, pro Romana ecclesia, & pro pastore in sui locum ordinato, idest pro Eugenio ad Deum offert; uti jam supra adnotavimus, ac se brevi ex hac vita excessurum prædixit. *Spero*, inquit, *in miserationes ejus, quod me tradet in eum, quem jusserit cursum, ac tandem omnes propter dominum salutate, & omnes, qui propter amorem ejus meis compassi sunt vinculis, dominus excelsus potenti manu sua protegat vos ab omni tentatione, & salvet in Regnum suum*,

Jesu Chr. an. 655. S. Martini querelæ adversus amicos, & Rom. Ecclesiam.

2. Sicuti prædixerat, ita paulo post S. Martinus ærumnis confectus, ac fame consumptus, die sextadecima mensis septembris Chersonæ in Ponto exul, martyrio coronatus, vitam finivit, ut in collectaneis Anastasii a Sirmondo editis legitur: *Obiit autem idem sanctissimus, ter beatus Apostolicus Martinus Papa. recens revera confessor & martyr Dei nostri in eadem exultatione Chersone juxta ejusdem ad Dominum Deum petitionem, quam obtulit ei cum lacbrymis, exiens de navi, & calcans terram illam, idest, ut in ea finiret vitam, bonum certamen certans, cursum Martyrii consumans, & bonam fidem servans mense Septembrio, die sextadecima, in qua felicissime Martyris, & fidem custodientis orthodoxam Euphemiæ, pretiosissima & beatissima secundum anni circulum celebratur memoria, Indictione quartadecima. Positus est autem in tumulis Sanctorum extra muros Chersonitarum Civitatis quasi stadio uno, in pretiosissimo & reverendissimo Templo Sanctissimæ, & præ omnibus Sanctis colendæ, castissimæ, & immaculatæ, ter benedictæque gloriosissimæ, & excellentissimæ omnium creaturarum, gratia plenissimæ, gaudium facientis & tribuentis Dominæ nostræ, proprie natura & veritate solius Dei Genitricis, semper Virginis Mariæ, quæ cognominatur Blachernes*. In hypomnestico autem de Anastasio apocrisario pag. 262. de anno, mense, & die obitus S. Martini martyris hæc leguntur: *Defunctus mense septembrio, die sextadecima, indictione quartadecima, qua martyris Euphemiæ memoria celebratur, reconditus inter tumulos sanctorum, in domo gloriosæ Dominæ nostræ, quæ appellatur Blanchernes, extra muros a stadio uno ipsius de cetero benedictæ urbis Chersonie*. Martini autem memoria die 12. Novembris martyrologio Rom. recolitur, qua eum obiisse scribit Baronius, qua die,

Martini Papæ & martyris obitus.

Jesu Chr. an. 655.

die fortasse ejusdem reliquiæ Romam translatæ sunt; unde contigit ea die ejusdem festum Rom. martyrologio inscribi.

S. Martinus miraculis illustratur.

3. Cum porro pro fide catholica exul, ob angustias pressurasque Chersone toleratas vitam reliquerit S. Martinus, inter ecclesiæ martyres ab ecclesia merito cooptatus est; quem etiam, dum viveret, miraculis claruisse, ac cœco lumen in Oriente reddidisse narrat S. Audoenus Rothomagensis episcopus in vita S. Eligii Novionensis episcopi, his verbis: *CPolim perductus sanctus Martinus, atque ibi in exilium relegatus, sola oratione meruit cœco lumina reddere. Porro exulans & delitescens, post multa tormenta, claram valde & nobilem vitam optimo & venerabili fine conclusit &c.* Hæc & alia in Martini laudem ibi addit Audoenus, Sanctus etiam Gregorius hujus nominis secundus in epistola ad Leonem Isauricum Imp. hæreticum Iconolastam, cum suis scriptis minatus esset ipsi Gregorio, facturum se in eum, quod in S. Martinum perpetraverat Constantius, nimirum, ut ab Urbe vinctum Constantinopolim perduci mandaret, eademque inferret ipsi supplicia, quæ fuerat Martinus passus. Ad hæc, post alia, quæ ab eodem impio tyranno S. Martinus est passus, enarrata, subiicit ista ipse Gregorius: *At beatum Martinum esse & sanctum, testatur civitas Chersonensis & Bosphori, in quam relegatus est, & totus Septemtrio atque incolæ Septemtrionis, qui ad sepulchrum ejus confluunt, & morborum curationes experiuntur. Atque utinam faxit Deus, ut nos Martini viam ingrediamur, eamdemque sortem subeamus.* Hæc Gregorius in dicta epistola ad Leonem Isauricum, de qua suo loco fusius acturi sumus: Cujus reliquiæ Romam postea translatæ in titulo Equitii locatæ sunt, at quo tempore id acciderit, in obscuro est, unde plura non addimus.

Eugenius Papa Apocrysarios CP cum synodicis litteris ad Constantem mittit.

4. Eugenius interea in Martini locum, eo superstite mense septembri anni elapsi Romæ Pontifex ordinatus, Apocrysarios suos cum synodica epistola ad Constantem Imp. misit, qua eum de ordinatione sua certiorem reddidit; ad Petrum vero CPolitanum Episcopum in Pyrrhi defuncti locum ordinatum nullas dedisse, cujus nec recipere voluit, verosimile est. Anastasius quidem de Eugenii legatione nil adnotat, etsi id in Vitaliano Eugenii successore narret. At de Eugenii legatione CPolim missa, id constat ex relatione Sancti Maximi Abbatis in collectaneis Anastasii inserta, ex

qua

qua etiam intelligimus, quod Petrus CP. Episcopus catholicis, & hæreticis gratificari volens, triplicem in Christo voluntatem prædicavit, unam scilicet substantialem cum Monothelitis, & duas naturales cum orthodoxis, & Romani Pontificis apocrysarios a Petro CP. Episcopo hæretico illectos in novum erroris portentum consensisse; Relationis autem ejus hæc est inscriptio. *Motionis factæ inter Dominum Abatem Maximum, & socium ejus* (Anastasium) *atque Principes in secretario*. In ea autem post plurima de Eugenii Papæ apocrysariis hæc sunt, *dicunt ei*, idest Maximo, *& quid facies cum Romani uniendi Bizantiis sint? Ecce enim heri venerunt Apocrisarii Romani, & cras Dominico die communicabunt Patriarchæ: & per hoc cunctis manifestum fit, quod tu subverteris Romanos. Denique te illinc amoto, mox consenserunt his, qui sunt hic. Et dixit ad eos: Hi, qui venerunt præjudicium quoquo modo Romanæ Sedi, quamvis communicent, eo quod Epistolam non detulerunt ad Patriarcham, facturi non sunt. Nec prorsus adduci possum ut credam, fore ut Romani istis uniantur, nisi confessi fuerint Dominum nostrum ac Deum, secundum utrumque eorum ex quibus est, & in quibus est, & quæ est esse naturæ tum voluntate, tum operatione in rem nostræ salutis præditum. Et dicunt, quod si Romani cum istis convenerint, quid facturus es? Et dixit Spiritus Sanctus Apostoli ore etiam Angelos anathematizat, qui aliquid sanciant præter quod est prædicatum*. Hæc quidem christiana libertate S. Maximus in secretario ad judices seipsum insultantes. Eugenii autem Papæ apocrysarios, simulationi Petri CP. Episcopi hæretici consensisse, ac tres in Christo voluntates admisisse narrat Anastasius monachus discipulus S. Maximi in Epistola *ad commune monachorum apud Calarim* (in Sardinia) *constitutorum* collegium, qua narrat. *Quibus, ut dictum est, suum corrigere nolentes sermonem, adhuc & Senioris Romæ propriæ consentire sectæ coegerunt Apocrisarios. Unam super duas, idest, tres secum prædicandi in eodem Domino Nostro Jesu Christo Voluntates & operationes: similem scientiæ ligno gustum comminiscentes, quemadmodum & isti fidem ex bono & malo proferunt, affectantibus. Unde & talibus circumvenientes litteris, ei qui miserat, mittunt. Quia ergo in magno propter hæc periculo sunt res pene totius Catholicæ & Apostolicæ Dei Ecclesiæ constitutæ, pro*

JESU CHR. AN. 655.

JESU CHR. AN. 655. *ea deprecamur & obsecramus Sanctissimos Viros, ne hanc despiciatis periclitantem, sed adjuvetis tempestatibus laborantem, scientes in tempore tribulationis dilectionem, quæ in Spiritu Sancto est, nasci: & si possibile est, vos transire citius, quasi alia pro causa ad Senioris Romæ pios & firmos, ut petram, Viros. Qui videlicet nobiscum tutores nostri sunt semper & propugnatores ferventissimi veritatis, obsecrantes hos supplicatoriis vocibus, & lacrymis pro omnibus Christianis, quatenus mercedem a Domino sortiantur* ait Anastasius. Hanc autem legatorum suorum prævaricationem, rejecisse & condemnasse Eugenium Papam non est dubitandum, qui etiam Petri CP. Episcopi litteras ad se scriptas recipere recusavit, ut mox dicturi sumus.

Eugenius Papa, & Rom. clerus Petri CP. Episc. litteras rejicit.

4. Cum ab antiquis temporibus ea vigeret consuetudo, ut præcipuarum ecclesiarum Episcopi, post ordinationem suam, synodicas ad Rom. Pontificem litteras darent; iisque fidei confessione oblata Rom. Ecclesiæ communionem peterent, Petrus etiam CP. episcopns ordinatus, litteras suas ad Eugenium in Martini locum ordinatum direxit, qui etsi hæreticus Monothelita esset, litteras tamen suas ita ambagibus involvit, ac perplexitatibus texit, ut minus cautis catholicus videri posset; Romæ tamen nequaquam admissæ sunt, ut his verbis narrat Anastasius: *Hujus Eugenii temporibus Petrus Patriarcha CP. direxit synodicam epistolam ad sedem Apostolicam juxta consuetudinem priorem omnino obscurissimam, & ultra regulam, non autem declarans operationes aut voluntates in Domino Nostro Jesu Christo, & accensus est populus eo quod talem synodicam direxisset, quæ minime est suscepta, sed cum majore strepitu est a sancta Dei ecclesia projecta, ut etiam nec eumdem Papam dimitteret populus, vel clerus Missas celebrare in Basilica sanctæ Dei genitricis, semperque Virginis Mariæ, quæ appellatur ad Præsepe, nisi promisisset iis ipse Pontifex minime eam aliquando suscipere*: Unde sua spe frustratus Petrus, Romanæ ecclesiæ communionem obtinere nequaquam potuit.

Constans Imp. navali prælio a Seracenis victus.

5. Hoc interea anno Constans Imp: a Seracenis navali prælio superatus est, vixque mutata veste, ac in aliam translatus navim interitum, aut captivitatem declinavit, cum Regia navis, multorum clade in Seracenorum potestatem transierit, ut rem pluribus narrat Theophanes. Vox equidem sanguinis justi Abel, seu Martini Pontificis, e Cœlo potius, quam e terra clamabat in ipsum Imperatorem, qui instar Cain fuga tantum novit sperare salutem. 6. Cum

6. Cum frequentes in concilis celebrandis hac ætate essent Hispaniarum Episcopi, hoc anno Toletanum concilium nonum celebrarunt, quo Episcopi sexdecim adfuerunt, quorum primus, & synodi Præses Eugenius Metropolitanus, seu Toletanus Episcopus, in eoque capitula septemdecim ad ecclesiæ disciplinam restaurandam apta vulgata sunt, ut in præfatione legitur: *Post diem Kalend. Novemb.* Congregati sunt, *anno septimo Recesvinthi Principis gloriosi*, in fine vero: *Consummatum est hoc sanctum concilium die quarta Kal. Decemb. anno feliciter septimo Regni serenissimi atque gloriosissimi Domini nostri Recessvinthi Regis Æra* 693. idest hoc anno 655. Canones autem in eo concilio editi, de ecclesiarum bonis servandis, ac custodiendis, & qua ratione inter Episcopum, & clerum distribuenda essent bona agit, eademque ratione de ecclesiæ libertis, & servis, ne facile aut distraherentur, aut ab ecclesiæ ministerio abstraherentur, cautum est; Canone autem decimo ad coercendam in clero libidinem statutum est a Patribus, ut si quis Episcopus, Presbyter, Diaconus, post susceptos ordines filios procreaverit, non solum is debita plecteretur censura, sed proles etiam ex illicita copula nata ab parentum capienda hæreditate excluderetur, & in ecclesiæ servitutem destinaretur, ac tandem canone ultimo cavetur, ut Judæi baptizati cum Episcopis suis christianorum festa celebrarent: *Ut eorum conversationem ac fidem Pontifex approbet, & veritas servet*; inquiunt Toletani Patres.

Jesu Chr. an. 655. Concilium Toletanum nonum. Conc. Labb. to. 6. p. 451.

7. Hoc etiam tempore christiana religio in Anglia multis in locis aut propagata, aut ubi exciderat, instaurata est, ac primum mortuo *Sigberto parvo* Siwaldi Regis filio, & Orientalium Saxonum Rege, Sigebertus cognomento bonus, defuncti nepos ante aliquot annos successerat: Is porro christianam fidem a Mellito Episcopo olim receptam, deinde relictam, in Regnum suum revocaverat, majoribusque incrementis auxerat Oswii præsertim Northumbrorum Regis industria, ut narrat Beda, qui postquam de Anglorum Mediterranorum conversione locutus est, subdit. *Eo tempora etiam Orientales Saxones fidem, quam olim expulso Mellito Antistite abjecerant, instantia Regis Oswii receperunt. Erat enim rex ejusdem gentis Sigeberti, qui post Sigebertum cognomine parvum regnavit amicus ejusdem Oswii Regis, qui*

Sigebertus Orientalium Saxonum in Anglia Aex Christianam fidem in Regnum suum restituit.

JESU CHR. AN. 655.

Apud Sirmondum in collectaneis Anastasii.

cum frequenter ad provinciam Northumbrorum veniret, solebat eum hortari, ad intelligendum Deos esse non posse, qui hominum manibus facti essent. Osvius enim Rex conscientia occisi nuper Oswini fratris tactus, ut supra diximus, illustribus argumentis, sinceraque pœnitentia crimen diluere satagebat, ita ut inter Principes sui temporis, optimus numerari possit.

Cede Apostolus, & Episcopus Orientalium Saxonum.

8. Cum itaque Osvvio hortante Sigebertus Christianam fidem amplexus esset, ac a Finano Episcopo, dum apud Osvvium esset, baptismum suscepisset; in suum Regnum rediens ab Osvvio petiit, ait Beda, *Ut aliquos sibi doctores daret, qui gentem suam ad Christi fidem converterent, ac fonte salutari abluerent. At ille mittens ad provinciam Mediterraneorum Anglorum, mandavit ad servum Dei Cedd, & dato illi socio altero quodam Presbytero, misit prædicare Verbum genti Orientalium Saxonum. Ubi cum omnia perambulantes, multam Domino Ecclesiam congregassent, contigit quodam tempore eumdem Cedd. redire domum, ac pervenire ad Ecclesiam Lindisfarnensem propter colloquium Finani Episcopi, qui, ubi prosperatum ei opus Evangelii comperit, fecit eum Episcopum in gente Orientalium Saxonum, vocatis ad se in ministerium ordinationis aliis duobus Episcopis; Qui, accepto gradu Episcopatus, rediit ad provinciam, & majori auctoritate cœptum opus explens, fecit per loca Ecclesias, Presbyteros & Diaconos ordinavit, qui se in verbo fidei & ministerio baptizandi adjuvarent.* Et paulo post de ejusdem Regis nece hæc subdit.

Sigebertus Rex occiditur.

9. *Cumque tempore non pauco in præfata provincia, gaudente Rege, congaudente universo populo, vitæ cœlestis institutio quotidianum sumeret augmentum, contigit, ipsum Regem, instigante omnium bonorum inimico, propinquorum suorum manu interfici. Erant autem duo germani fratres, qui hoc facinus patrarunt. Qui cum interrogarentur, cur hoc facerent, nihil aliud respondere potuerunt, nisi ob hoc se iratos fuisse & inimicos Regi, quod ille nimium suis parcere soleret inimicis, & factas ab eis injurias mox obsecrantibus placida mente dimitteret. Talis erat culpa Regis, pro qua occideretur, quod Evangelica præcepta devoto corde servaret, in qua tamen morte ejus innoxia, juxta prædictum viri Dei, vera est ejus culpa punita.* At quænam ista culpa fue-

fuerit, idem Beda mox subdens, enarrat, cum ait: *Habuerat enim unum ex his, qui eum occiderant Comitibus illicitum conjugium: quod cum Episcopus prohibere & corrigere non posset, excommunicavit eum, atque omnibus, qui se audire vellent, præcepit, ne domum ejus intrarent, neque de cibis illius acciperent. Contempsit hoc Rex præceptum: & rogatus a Comite intravit epulaturus domum ejus. Qui cum abiisset, obviavit ei Antistes. At Rex intuens eum, mox tremefactus desilivit de equo, ceciditque ante pedes ejus, veniam reatus sui postulans. Nam & Episcopus pariter desilivit; sederat enim & ipse in equo. Iratus autem tetigit Regem jacentem virga, quam tenebat manu; & Pontificali auctoritate protestans: Dico tibi, inquit, quia noluisti te continere a domo perditi & damnati illius, tu in ipsa domo mori habes. Sed credendum est, quia talis mors viri religiosi non solum talem culpam diluerit, sed etiam meritum ejus auxerit: quia nimirum ob causam pietatis propter observantiam mandatorum Christi contigit.* Hæc Beda: quibus intelligas, quanto suo damno non pareant Principes sacerdotibus, quantaque jactura quis excommunicato communicet, & quomodo insuper Præsules juste censuram Ecclesiasticam exercentes exaudiat Deus, contumaces adversarios puniens. Prosequitur Beda res præclare gestas ab eodem Episcopo Cedd Apostolico plane viro narrare, quem consulere lector potest. Sigeberti autem Regis interitus, anno 660. contigit, cui successit Svidelmus frater, ait Beda.

Penda Merciorum Rex ab Osvio occiditur. *Beda lib. 3. 24.*

10. Inter cetera Osvvii præclare gesta, Pendæ Merciorum Regis occisio recensetur; *Quia fratrem, & avunculum nobiliter ultus* (Osvvaldum scilicet, & Edvvinum a Penda occisos) *Pendam Regem Merciorum; illud vicinorum excidium, illud perduellionum seminarium exitio dedit*; ait Malesburiensis libro de Regibus cap. 3. Unde etiam Penda occiso, christiana fides in ejus Regno mirifice propagata est, uti fusiori stilo narrat Beda, & ex eo summatim Thomas Eliensis monachus in vita sanctæ Ethildritæ Abbatissæ. *Post hæc anno sequenti*, ex quo Penda Annam Regem occiderat uti anno proximo adnotavimus, idest hoc anno 755., *Perfidus Rex Merciorum Penda, Sigeberti, Egerici, Annæ Regum Estanglorum* (idest Orientalium Anglorum) *nec non Edvvini atque Osvvaldi Regum Nor-*

JESU CHR. AN. 655. *Northanumbrorum occisor, triginta legionibus totidemque nobilissimis Ducibus instructus, in Berniciam ad debellandum Regem Osvvium ascendit. Cui ille cum Elfrido*, (seu, ut eum Beda vocat, Alchfrido) *filio unam tantum legionem habens, sed Christo Duce confisus occurrit. Nam filius alius ejus Ægrifidus* (vocatus a Beda Ecgfrigd) *tempore illo in Provincia Merciorum apud Reginam ejusdem Regis Kynesvvidam obses tenebatur, qui accepturus erat in conjugem Sanctam Virginem Etheldredam, de cujus vita & virtutibus convenienter hic texitur liber. Sed & filius Osvvaldi Regis Odivvaldus, qui eis auxilio tunc esse debuerat, in parte erat adversariorum ejusdem contra patriam, & patruum suum pugnaturus ductor extiterat, quamvis ipso tempore se se subtraxerat, eventum discriminis tuto in loco expectabat. Initoque certamine fugati sunt, & cæsi Pagani, Duces Regis triginta, & qui ad auxilium ejus venerant, pene omnes interfecti, in quibus Edelrerius frater Annæ Regis Estanglorum, qui post eum regnavit, auctor ipse belli, interemptus est. Tunc Rex Osvvius pro collata sibi victoria duodecim possessiones ad Monasteria construenda, & filiam suam Edelfledam Deo obtulit perpetua virginitate consecrandam. Hoc bellum Rex Osvvius tertio decimo Regni sui anno cum magna utriusque populi utilitate confecit. Nam suam gentem ab hostili Paganorum depopulatione liberavit, & ipsam gentem Merciorum finitimarumque Provinciarum defecto capite perfido, ad fidei Christianæ gratiam convertit*. Ita Thomas Eliensis ex Beda, qui ait pugnatum esse XVII. Kal Decemb., die scilicet decimaquinta Novemb. hujus anni, hisque narratis subdit Beda Osvvium vota sua de extruendis, ditandisque monasteriis obtulisse. Ceterum etsi Fenda Merciorum Rex non solum Ethnicus esset, sed etiam hominum sceleſtiſſimus; sanctam nihilominus prolem habuit; ex Regina Kynesvitha, filios scilicet *Vvedam*, (seu Pedam,) *Vulferum, Ethelredum, Merrevvaldum, Marcellinum; filias duas Kyneburgam, & Kynnesvvitham, ambas sancta continentia præcellentes. Ita parens perpetuo in Deum rebellis, sanctissimos cælo fructus effudit*, inquit Villelmus Malmesburiensis lib. I. de gestis Regum Angl. De Kinneburga, & Kinnesvintha plura non addimus, etsi nonnulla ad hunc Baronii annum suppeditet Pagius; quin lectores nostros admonitos volumus, nos quamplu-

plurima,de monasteriorum fundationibus, & institutione,de Monachis, sanctisque viris, ac mulieribus hujus, vel sequentis ævi consulto præterire, quæ habentur tum ex Baronii annalibus, cum esse Pagii notis, ut multa prætercam, quæ ex actis, & Annalibus Ordinis Sancti Benedicti a Mabillonio vulgatis, aut ex immensa Bollandiani operis farragine, hæc autem ideo adnotavimus, ne oblivioni fortasse, aut oscitantiæ, quod brevitatis studio tribuendum est, adscribatur.

JESU CHR. AN. 656.

JESU CHRISTI AN. 656. EUGENII PAPÆ 3.
CONSTANTIS IMP. 16. ARIBERTI ITALIÆ REGIS 4.

Uthmani Seracenorum Caliphæ obitus, cui succedit Hali, deinde Moavias.

1. In christianæ religionis, & Reipublicæ perniciem hactenus Seraceni arma converterant, hoc tempore in se ipsos converterunt, & nisi inscrutabili Dei judicio, qui iis tamquam flagello uti voluit, ad ecclesiæ Orientalis correptionem, & ad retundendam Græcorum superbiam, perfida & execrabilis Arabum, & Seracenorum natio penitus excidisset; nam cum discordiæ incendium jamdiu inter eos exortum esset, in ipsum Othmanum ipsorum Regem, seu Calipham dissidentium furor primum irruit, eumque e vivis crudeliter abstulit, ac crescente deinde dissentionis incendio, dum de eligendo successore actum est, eousque inter eos furor exarsit, ut per plures annos, inter Hali, ejusque filium Hassanum, qui patri, per insidias interempto, successerat, & Moaviam, atrox inter eos bellum gereretur, & nisi Hassanus diuturno bello fatigatus, throno & Califatui cessisset, tota Seracenorum gens peritura videretur.

S. Maximi Abbatis disputatio cum Theodosio Cæsareæ Episc. habita Biziæ in exilio.

1. Anno 653. S. Maximum Abbatem Monothelitarum acerrimum propugnatorem, Roma eductum, & CPolim perductum vidimus, ubi cum pro catholica fide in secretario coram Episcopis & aulæ Proceribus adversus Monothelitas fortiter certasset, in exilium inde anno sequenti ejectus est, quo cum esset, (Biziæ scilicet in Thracia) honorificam ad eum hoc anno Imperator Constans legationem misit, ut eum, ut forte sperabat, exilio jam fatigatum, ad Monothelitarum hæresim perduceret, legationem obiere Theodosius Cæsareæ in Bytinia Episcopus, inter Monothelitas doctissimus, eique socii dati sunt, Theodosius, & Paulus patricii, & Proconsulari dignitate illustres, qui cum ad Maximum pervenissent,

JESU CHR. AN. 656. sent, eique ut ad communionem ecclesiæ CPolitanæ rediret suasissent, tantum abfuit, ut id consequerentur, quin potius disputatione cum eo habita, se in errore esse pene convicti, ac confessi sunt, & nisi eos Mundi gloria vinctos tenuisset, aut Imperatoris ira terruisset, victas omnimodo dedissent manus; Hæc omnia fideliter scripta narrat Anastasius Maximi in exilio, & passione socius, aut certe alius auctor non solum coevus, sed etiam ocularis testis; Collationis autem hujus hæc est inscriptio, *Tomus continens relationem de Dogmatibus quæ mota sunt inter sanctum Maximum, & Theodosium Episcopos Cesareæ Bithiniæ, seu consules, qui cum eo erant*: Hoc autem anno eam habitam fuisse, hæc alia verba indicant, quæ disputationis initio leguntur *Igitur nono Kal. Septemb., quæ nunc transacta est quartædecimæ indictionis*; quæ hoc anno in cursu fuit; *exivit ad eum in exilium, in quo positus servabatur, idest ad castrum Biziæ prædictus Episcopus Theodosius, ex persona, ut dixit, Petri CP. præsulis missus, nec non & Paulus, ac Theodosius consules, ut fassi sunt, & ipsi ex persona Imperatoris directi*; Cumque ad Maximum ingressi essent, cum Episcopo Biziæ, ac sedissent, & Maximum etiam sedere fecissent: cum Maximus se, suaque eo loco esse, dixisset, sicuti Deus prædestinaverat, de Dei præscientia, & prædestinatione nonnulla inter eos sunt dicta, ac tandem causam ob quam venerant, cum exposuissent; & cur cum ecclesia CP. non communicaret, interrogassent; Maximus addidit, *Scitis novitates, quæ factæ sunt a sexta indictione transacti circui inceptas ab Alexandria per novem capitula a Cyro, qui nescio quo pacto illic factus est præsul, quæ videlicet firmata sunt a throno CP.*, idest ab Episcopis CP. Sergio, Pyrrho, & Paulo. Hinc in quæstionem de Monothelitarum hæresi ingressus, de duabus in Christo voluntatibus, & operationibus, tanta perspicuitate disputavit Maximus, ut Theodosius ejus dictis subscribere, se paratum esse pene confiteatur ac tandem Maximus.

Maximi op. pag. 45. to. I. *Quidquid jusseritis in servum vestrum facere, facite; Ego his, qui hæc recipiunt, numquam communicabo. Et Augelidi facti super his quæ dicta fuerant, deorsum capita summitentes, siluerunt per multam horam & annuens, atque Abbatem Maximum Theodosius intuitus dixit: Nos fide dicimus tibi dominum nostrum Imperatorem, quod te communicante tollat typum.*

MA-

MAXIMUS. Multum adhuc distamus abinvicem. Quid faciemus de confirmata synodice voce unius voluntatis in ejectionem omnis operationis a Sergio, Pyrrho, ac Paulo THEODOSIUS. Illa charta deposita est, & projecta. MAXIMUS. Deposita est ex lapideis parietibus, non tamen ex intellectualibus animabus. Suscipiant damnationem horum quæ Romæ synodice prolata est per pia dogmata, seu regulas, & solvitur medius paries, atque hortatione non indigebimus. Et ait Theodosius Episcopus: Non est firmata synodus, quæ Romæ celebrata est, quoniam sine jussione facta est Imperatoris. MAXIMUS. Si synodos quæ factæ sunt jussiones Imperatorum firmant, & non pia fides, recipe synodos, quæ contra homousion factæ sunt, nam jussione principum sunt patratæ. Primam videlicet in Tyro, secundam in Antiochia, tertiam in Seleucia, quartam in Constantinopoli sub Eudoxio Ariano, quintam in Nice, quæ est in Trace, sextam in Sirmio; & post hæc multo post septimam in Epheso secundam, cui Dioscorus præfuit. Omnes enim has Imperatorum jussio aggregavit: attamen omnes damnati sunt propter impietatem infidelium dogmatum ab eos confirmatorum. Quare autem non abjicitis eam quæ deposuit Paulum Samosatenum sub sanctis & beatis Dionysio Papa Romano, & Dionysio Alexandrino, atque Gregorio miraculorum patratore; qui eidem præfuit synodo, quoniam non est jussione facta Imperatoris? Qui præterea canon promulgat solas illas approbandas synodos, quæ Imperatoris jussione sunt congregatæ? Verum, etsi omnino jussione Imperatorum synodos pius ecclesiæ canon, quos rectitudo dogmatum approbavit. Sed & his, quemadmodum novit dominus meus, & alios docet, fieri synodos in omni provincia per singulos annos regula sancit, jussionis imperialis nullam memoriam faciens, ad tuitionem salutaris fidei nostræ, & correctionem omnium capitulorum, quæ divinæ non conveniunt ecclesiæ legi. Et dixit Theodosius Episcopus: Ita est, ut asseris: dogmatum quippe rectitudo synodos roborat: Hæc ibi, & quidem egregie de synodorum dignitate, & auctoritate. ex ecclesiæ judicio, numquam vero ex Imperatorum præcepto, vel approbatione.

Maximus imposturas hæreticorum detegit.

3. Cumque Theodosius Episcopus Mennæ CP. olim Episcopi, Cyrilli Alex. Grisosthomi, aliorumque Patrum auctoritates protulisset, quibus unam in Christo voluntatem adstrue-

JESU CHR. AN. 656.

adstruere conabatur, eas Maximus vel hæreticorum esse, vel falsatas fuisse demonstravit, ac *ex libro gestorum sanctæ & Apostolicæ synodi Romanæ demonstravit sanctos Patres duas voluntates & operationes Salvatoris nostri, & Dei Jesu Christi aperte dicentes*. Idque tanta evidentia probavit, ut Theodosius Episcopus, se duas operationes scripto confiteri paratum esse dixit, & ut secum communicaret, & ut unitas tandem fieret, Maximum rogavit; at Maximus, se eorum fidei confessionem, utpote purum monachum, nequaquam recipere posse adnotavit, ac dixit. *Sed postquam Deus ad compunctionem vos excitavit, in scriptis transmittite sive Imperator, & Patriarcha, synodusque ipsorum*, idest Romam transmittite, *Ego enim nec his peractis communico dum recitantur excommunicati inter sanctam oblationem, timeo enim condemnationem anathematis*.

Maximi consilium, ut ab Rom. Pontifice absolutionem petant. *Concil. to. 6. pag. 479.*

4. His auditis cum animo hæreret Teodosius, ab Maximo consilium petiit: Is vero ut ab Romano Pontifice Imperator, & Patriarcha, ceterique hæresis infecti absolutionem peterent, his verbis suggessit, *Consentiant Imperator, & Patriarcha imitari Dei condescensionem, faciatque Imperator quidem jussionem rogatoriam, Patriarcha vero synodicam deprecationem ad Papam Romanum, & profecto si repertus fuerit mox procul dubio ecclesiasticus hoc præcipiens, ob rectam confessionem conveniet vobiscum super hoc. THEODOSIUS. Hoc profecto fit. Sed da mihi verbum, quod si me miserint, venias mecum. MAXIMUS. Domine, expedit tibi conservum meum, qui est Mesembriæ, accipere locum magis quam me. Ipse enim & linguam novit, & verebuntur eum dignius, eo quod per tot annos cruciatus fuerit propter Deum & rectam fidem, quæ tenetur in sede ipsorum. THEODOSIUS. Jurgia diversa habuimus adinvicem modo, & ideo non gratanter accipio pergere cum illo. MAXIMUS. Domine, jam quia visum est hoc fieri, exitus fiat eorum quæ putata sunt, & sequor vos quocunque jusseritis. Et in his surrexerunt omnes cum gaudio & lacrymis, positisque in terra genibus oratio facta est &c.* ac seinvicem salutantes, qui ad Maximum missi fuerant CPolim redierunt.

Maximus iterum in judicio vocatus, iterumque vexatus.

5. Abeuntibus autem illis Theodosius consul dixerat. *En facta sunt omnia bene, putes ne consensurus est Imperator, rogatoriam facere jussionem*. Maximus vero se id sperare addidit, & Theodosius se curaturum, ut iis, quæ pro uni-

unitate & concordia ineunda, proposita fuerant, consentiret, promisit: *Spero* inquit, *quia Deo salvante mihi memoriam, hunc eumdem ei dicam sermonem, & acquiescet, etc.* At contra res accidit, nam ut Imperator, quæ hactenus cum Maximo a legatis transacta fuerant, iis reversis didicit, tantum absfuit ut unitatis faciendæ conditiones admitteret, ac Romam legationem mitteret, quin indignatione commotus, alterum Biziam misit, ut Maximum inde CPolim, seu in sancti Theodori monasterium prope urbis regiæ mœnia perduceret, quid autem adversus sanctum confessorem ibidem iterum tentata sint, his verbis idem auctor narrat. *Postquam vero abierunt prædicti viri sexto idus Septemb. præsentis quintædecimæ indictionis exivit, rursus Paulus Consul in Bizyen, ad Abbatem Maximum. In crastinum veniunt ad eum Epiphanius, & Troilus patricii, cum multo amictu & phanthasia: necnon & Theodosius episcopus: & ascendunt ad eum in cathecumenium ecclesiæ ipsius monasterii, factaque consueta salutatione sederunt, cogentes & ipsum sedere, & orsus habitum ad eum sermonem Troilus, dixit: Dominus orbis jussit nos venire ad te, & dicere vobis quæ visa sunt divinitus roborato imperio suo. Sed dic nobis primitus, si facias jussionem imperatoris, an non. Maximus dixit Domine, audiam quid jusserit pium ejus imperium, & necessario respondebo*, cumque instaret Zoilus, ut responderet, an Imperatoris jussa facturus esset, & Maximus, quænam hæc essent se ignorare diceret, Zoilus ira commotus, se abire velle dixit, at eum Theodosius Episcopus retinuit, dicens: *Dicite illi responsa, & cognoscite, quid fateatur, nam sic regredi, nihilque dicere, & nihil audire rationabile non est*. Quare Epiphanius patricius multo cum fastu & arrogantia Maximo persuadere conatus est, ut cum ecclesia CP. communionem iniret, quod cum facere recusaret Maximus, iterum in Maximum exasperatus Epiphanius, ceterique aulici contumeliis, injuriisque sanctum virum exceperunt: *In sermone isto surgentes omnes*, narrant acta, *furore instabiles redditi, evulsionibus & impulsionibus, atque direptionibus debilitaverunt eum a capite atque ad ungues sputis certatim madefacientes &c.*: quæ cum Theodosius Episcopus non probasset, & ut paulisper quiescerent, eos rogasset, iterum de una in Christo voluntate quæstio agitata est; quibus cum Maximus non consentiret, nec

JESU CHR. AN. 656.

JESU CHR. AN. 656. de ea qnæstione silentium probaret, iterum contumelias minasque Epiphanius Patricius adhibuit, inter cetera, quod in foro expositum: *Et mimos ac mimos & prostitutas meretrices, & omnem plebem adducemus, ut unusquisque, ac unaquæque & alaphis cedat, & conspuat in faciem tuam*, ac Maximus cum hæc etiam spernere, & pro Christo pati se paratum esse dixisset, eum reliquerunt, ut ad prandium irent, nam subdit auctor eos dixisse.

Maximus ex Salambria Perberim ducitur.

6. *Si cum hoc conferimus neque manducabimus, neque bibemus, sed surgamus, & prandeamus, & ingrediamur, atque dicamus quæ audivimus. Iste quippe* (Idest Maximus) *venundavit se Satanæ, & cum surrexissent pranderunt, & ingressi sunt eum ira vigilia exaltationis prætiosæ ac vivificæ Crucis, & in crastinum diluculo exivit Theodosius consul ad Maximum Abbatem, & abstulit ab eo quidquid habebat, dicens ei ex persona Imperatoris, quia noluisti honorem, prolongatus est a te, & vade ubi dignum temetipsum fore judicasti*. Quare ut rem paucis complectamur traditus est militibus, qui eum Salambriam duxerunt, *& manserunt ibidem per duos dies*; inde vero exercitus stationem habebat, ut a militibus tamquam blasphemus vexaretur; At sanctus vir cum calumniam adversum se vulgatam, quasi beatam Virginem Mariam injuria affecisset, dicto anathemate in eos, qui eam sprevissent, diluisset: *ad eum congregati sunt multi milites auscultaturi bona verba quæ movebantur*. Quare sanctus vir inde amotus, ductus est *Perberim in custodiam., qua continuis vexationibus tenebatur*. Quæ post annos aliquos sancto viro acerbiora contigerint, cum iterum CPolim revocatus, iterumqne in judicium perductus, graviora latronum passus fuerit, suo loco dicturi sumus.

Concilium Toletanum octavum, ejusque canones.

7. Hoc anno *die Kal. Decemb.*, ut in præfatione legitur: *anno octavo gloriosissimi Recesvinthi Principis, æra* 694 Toletanum concilium ordine decimum celebratum est, cui interfuerunt Episcopi viginti, Vicarii vero ab absentibus Episcopis missi quinque, iisque præfuit Eugenius Toletanus Episcopus, & canones septem in ea sunt editi, Quorum primo cautum est, ut cum diversis diebus festum Annunciationis B. Virginis Mariæ in Hispaniæ ecclesiis celebraretur, nec digne interdum, ea die, qua Angelus Virgini conceptionem Verbi Dei nunciavit, celebrari posset, ob dies quadra-

dragesimæ, interdum vero ob Paschalem solemnitatem, hinc statutum est: *Ut solemnitas Dominicæ matris, die decimoquinto Kal. Januarium omnino celebretur, & nativitas filii ejus Salvatoris nostri, die octavo Kal. earumdem sicut mos est solemnis ab omnibus habeatur*. In ceteris vero ecclesiis antiquus mos retentus est, ut ea die, qua divinum mysterium incidit, celebretur, at in Hispania, solemnior adhuc, & festivus dies Annunciationis, quam nunc Expectationis partus dicimus, die 18. Decembris, perseverat. Canone 2. Episcopos, vel cujuscumque ordinis Clericum, vel monachum dignitate & officio privat, qui juramentum Regi datum, quocumque modo violaverit. Tertius Episcopos admonet, ne monasteria, aut parochias propinquis, aut personis sibi conjunctis tradant. Quartus jubet, ut viduæ, quæ castitatem professæ sunt, vel profiteri cupiunt, Sacerdoti, vel Diacono per scripturam id testatum faciant, & convenienti habitu, ac velatæ incederent. Quæ vero castitatem professæ fuerant, aut sanctimoniæ habitum sumpserant, postmodum vero ad secularem vitam transierant, ut ad propria vota, sub anathematis pœna, revocarentur, quinto canone cautum est. Sextus vero, parentibus prohibet ante annum decimum (alii legunt duodecimum) filios, aut filias ecclesiæ offerre. Septimus tandem Episcopos, ceterosque ecclesiæ ministros admonet, ne mancipia, cum fidei præsertim christianæ periculo vendant.

Potamius Episcop: Bracarensis crimen confessus episcopatu se abdicat.

8. His autem rite dispositis cognita est causa Potamii Episcopi Bracarensis, qui crimen suum, nemine accusante, sed sponte confessus, Episcopatui renunciavit: dignum sane pœnitentiæ exemplum, dum jubens libensque se in pœnitentium numerum conjecerat, de quibus Toletani Patres adnotant, quod cum Episcoporum concordia lœtitiæ causam attulisset, Potamii tamen criminis confessio effecerat, ut in luctum lyra converteretur: *Ecce etenim*, inquiunt, *tractantibus nobis in pace Dei de ecclesiasticis regulis, delatum est conventui nostro epistolium confusæ confessionis, & abolendæ subscriptionis, quod Potamius Bracarensis Ecclesiæ Episcopus de factis propriis, suisque verbis annotarat & articulis. Quo reserato, quid obliteranda pagina & abolenda litterarum panderent elementa, fletibus potius quam sermonibus lachrymosa concio recensuit. Tunc solitarie tantum secretimque adunatis Pontificibus Dei, prædictum Episcopum adesse coram nobis fecimus*.

JESU CHR. AN. 656. *cimus. Quem singultis aggredientes amplius quam loquelis, reseratam illi suæ deformitatis & nostræ confusionis scripturam protulimus. Quam accipiens & recurrens, sciscitantibus nobis, utrum sui operis & suæ annotationis intimatio esset: ille suum actum, suique oris eloquium, suorum quoque digitorum esse robur asseruit, quod illic relegendo pervidit. Rursum divini nominis contestatione hunc adjurantes obtestati sumus, ut an de se sponte mendacium diceret, aut alicujus violentia premeretur, & perterritus talia enarraret, veraciter indicaret. Qui mox flebili voce, luminibusque ploratu madentibus, & fragore singultuum cum unius Dei nominis juramento clamavit, se & vere eadem mala de se confiteri, & ad hæc confitenda nulla se violentia prægravari. Unde etiam ferme per novem menses sponte deseruisse regimen Ecclesiæ suæ, & ergastulo quodam pro admisso flagitio acturus pœnitentiam se conclusisse, edixit. Tunc per fidelem confessionem ejus agnito, quod tactu fœmineo sorduisset, & declarato: licet hunc paterna antiquitas sacris regulis dejicere ab honore decernat, nos tamen miserationis jura servantes, non abstulimus nomen honoris, quod ipse sibi sui criminis confessione jam tulerat: sed valida auctoritate decrevimus, perpetuæ pœnitentiæ hunc inservire officiis & ærumnis: providentes, melius illum per asperam & dumosam ire pœnitentiæ solitudinem, ut quandoque perveniret ad refrigerii mansionem, quam relictum in voluntatis suæ latitudine, ad præcipitium dejici æterna damnatione. Tunc vero Fructuosum Ecclesiæ Dumiensis Episcopum communi omnium nostrum electione constituimus Ecclesiæ Bracarensis gubernacula continere: itaut omnem Metropolim provinciæ Gallaciæ, cunctosque Episcopos, populosque conventus ipsius, omniumque curam animarum Bracarensis ecclesiæ gubernandam suscipiens, ita componat atque conservet, ut, & Dominum nostrum de rectitudine operis sui glorificet, & nobis de incolumitate Ecclesiæ ejus gaudium præstet. Quia vero ad futura prospicere convenit, ne exoriri possit in statu pacis quædam commotio litis, Patrum sententiam, quæ jam dictum Potamium Episcopum rectitudine damnat, huic decreto connectere, nostra vigilantia procurat.* Quod ad eumdem Potamium spectat, interfuerat ipse octavo Concilio Toletano, sederatque quarto loco in consessu quinquaginta duorum Episcoporum, auctorque cum aliis fuerat, ut sanciretur canon adversus carnis inquinatione pollutos,

lutos, quos Episcopi deberent inquirere, eosdemque severe corrigere, ne quid hujusmodi admissum audiri posset: cujus memor tantus Episcopus, in se ipsum statutam in eos pœnam sponte convertit, dignum vere pœnitentis edens exemplum. Jesu Chr. an. 656.

9. Fructuosus autem, qui in locum Potamii ob fornicationis crimen dejecti, ordinatus fuit, *ex regio Gothorum sanguine erat*, ait Garzias in notis ad Toletanum concilium decimum, Episcopi Palentini Tonantis discipulus, ex Complutensi Abbate Dumiensis Episcopus ordinatus, deinde in Bracharensem sedem a Toletano hoc concilio translatus, cui tamquam Bracarensis Episcopus subscripsit, qui etiam in Hispania decem monasteria construxerat, quibus regulam quæ adhuc extat, conscripserat, ejusque vita a Sancto Valerio, ut dicitur, Monasterii Sancti Petri de montibus Abbate conscripta, apud Mabillonium, & Bollandum die decimasexta Aprilis quo colitur, extat.

De Fructuoso Bracarensi Episcopo. *Holstenius collectio t. 1. pag. 198. Mabill. acta Ord. S. Benedict. seculo 2. Bolland. 16. Aprilis.*

10. Ab hoc etiam Toletano concilio cautum est, ut Recimirl olim Bracarensis ecclesiæ Episcopi testamentum, & legata tunc tantum exequerentur, cum damna ejusdem ecclesiæ resarcita fuerint: *Ducti sumus tam rationis intuitu, quam paternarum sanctionum edicto ipsius testamenti seriem etsi non usquequaque in irritum revocare, in quoddam tamen rationabili auctoritate temperamentum deducere, scilicet, quia tantorum dispendiorum damnis a memorato Recimiro Episcopo factis, res ecclesiastica dignoscitur subjacere, omnis res ejus, quam inde legatam reliquit pauperum nomini, tamdiu Dumiensi ecclesiæ plena deserviat facultate, donec omne hoc damnum, quod in utensilibus domus sustinuit, valeat evidentius reparari, ac tunc completa restitutione damni, observetur, sicut decreta est series testamenti. Liberti vero, qui ex familiis ecclesiæ facti sunt, & seu res universa, quæ in mancipiis, aliisque corporibus, vel illis suis hominibus collata esse dignoscitur, cuncta in discretione venerabilis fratris nostri Fructuosi Episcopi disponenda relinquimus, ut quia hæc evidens ordo patrum in irritum revocat, illius temperamentum, hæc ad miserationem adducat, qualiter nec regulam paternam modus excedat, & ad miserationem severitas non extinguat, ut secundum merita servientium, & libertatis præmia, & rerum donaria vel subtrahat, vel concedat.*

Toletani concilii decretum de reficiendis ecclesiæ damnis. *Concil. to. 6. pag. 469.*

11, Hæ

JESU CHR. AN. 656. Sigeberti Austrasiæ Regis obitus.

11. Hactenus Toletani Patres, ecclesiarum indemnitati consulentes. Ex Hispaniis ad Gallias oratio delabitur, atque hoc anno Sigebertum Austrasiæ Regem obiisse adnotamus. Is morti proximus Grimoaldo Pippini Landensis filio, & Præfecto palatii, filium suum parvulum Dagobertum commendavit, ut Austrasiæ Regem constitueret, essetque ei tutoris & parentis loco, ac Kalendis Februarii labentis anni mortuus est, anno ætatis 26., Regni vero 23. ut in breviori chronico narrat Sigebertus Cemblacensis monachus; cujus duo extant de vita Sigeberti Regis libri, longior scilicet, & brevior ab eodem fortasse auctore contractus. Sigeberti autem Regis pietas, & munificentia, in extruendis præcipue ecclesiis, & monasteriis, iisque ditandis quammaxime commendatur. Hinc factum, ut ejus nomen in nonnullis martyrologiis ad diem primam Februarii inscriptum sit, quo Sigebertus in chronico eum abiisse testatur. Sepultusque est Mettis Austrasiæ Metropoli in basilica Sancti Martini, quam ipse extra muros extruxerat.

Grimoaldus Childebertum filium suum Austrasiæ Regem creat, deinde perfidiæ dat pœnas.

12. At Grimoaldus, cujus fidei filium suum Sigebertus moriens commendaverat, potestate, qua majores domus apud Gallos fruebantur, abutens, Dagobertum quidem Sigeberti filium parvulum, ut Regno excluderet, *totondit*, ut auctor gestorum francorum qui sub Carolo Præfecto palatii floruit narrat c.43.: *Didonemque Pictaviensis urbis Episcopum in Scotia ad peregrinandum eum dirigens*, ac filium suum Childebertum in Austrasiæ Regem renunciavit: *Franci itaque commoti atque vehementer indignati Grimoaldo insidias præparant, eumque eximentes ad condemnandum Regi Francorum Clodoveo defertur, & Parisiis civitate in carcere mancipatus, vinculorum cruciatu constrictus, ut erat dignus, propter scelus, quod in dominum exercuit, morte vitam finivit*, cui narrationi lucem affert auctor vitæ Sancti Remacli, qua hæc leguntur cap. 25. *Grimoaldus major domus sub prætextu munerum accipiendorum a Clodoveo fratre Sigeberti, Parisiis evocatus illic retentus est*, idest in carcerem conjectus, sicque una cum filio suo Childeberto, quem in Austrasiæ Regnum evexerat, perfidiæ suæ pœnas dedit, cum menses aliquot, idest septem, Austrasiæ Regnum, cum filio administrasset. De quibus plura apud Pagium, Cointium, aliosque videri possunt.

13. In-

13. Interea Clodoveus secundus Sigeberti frater, cum Austrasiæ Regnum suo conjunxisset, ac Galliæ monarchiam adeptus esset, paulo post, hoc eodem anno vivere desiit, ut cum Mabillonio probat Pagius, multisque argumentis confirmat, eoque defuncto, etsi tres superstites filios reliquisset ex Batilde Regina susceptos, Clotarium scilicet, Childericum, & Theodoricum, qui tunc Regno impares erant, utpote omnium maior vix quinquennis. At tractu temporis, & majores facti paterno regno potiti sunt. Interea Clotarius paternum Regnum solus adeptus est, ut narrat auctor vitæ Sancti Vandregisilii Abbatis, his verbis: *Postquam vitam decessit Clodoveus Rex, remansit Bathildis Regina cum tribus filiis Clothario videlicet, Hilderico, ac Theodorico, ex quibus Clotarius, qui major natu erat, fastigium adeptus est Regni*, idest Galliæ Monarchiam, quam post aliquot annos circa annum 660., cum fratre Chilperico divisit, cui Aquitaniam, & Austrasiam cessit, Theodoricus etiam fratrum minimus, post varias fortunæ vices, Regnum & ipse, post Clotarii tertii fratris sui obitum, obtinuit, de quibus plura non addimus, ne in historia Francorum, diu immoremur, quam hoc tempore obscuram, intricatamque esse, vel ipsi Gallici historici Daniel, Pagius, fatentur.

Jesu Chr. an. 656. Clodovei Francorum Regis obitus.

14. Regnante in Galliis Clodoveo secundo, quem hoc anno obiisse diximus, corpus seu reliquias Sancti Benedicti ex Cassinensi monasterio in Gallias, una cum reliquiis Sanctæ sororis Scholasticæ translatas fuisse plerique subscribunt, ac Benedicti quidem corpus in Floriacensi monasterio ab Aigulpho monacho, qui hortante Nummolo ejusdem monasterii Abbate, Cassinum perrexerat, ac reliquias S. Abbatis, & sororis ejus Scholasticæ inter rudera deserti & diruti a Longobardis monasterii inde transtulerat, locatum fuisse scribunt, Scholasticæ vero apud Cenomanos, vel Aurelianos repositas, fuisse addunt. Inter figmenta tamen hanc reliquiarum translationem in Gallias, recensendam esse alii contendunt, & præcipue Cassinenses monachi, eisque in Congregatione socii Itali fere omnes. In tanta eruditorum virorum corona, pro utraque parte certantium, judicium de obscura quæstione ferre, nec animus, aut vires suppetunt quin potius, tam densum controversiæ hujus spinetum adire refugit animus, ut ait Baronius, cum præcipue Paulus Diaconus

De translatione in Galliis corporis, seu reliquiarum S. Benedicti.

JESU CHR. AN. 656. conus Caſſinenſis & ipſe monachus, ſcriprorum omnium, qui hujuſce translationis meminerunt, antiquior, dum de eadem translatione verba facit, inextricabile de ea nodum texuiſſe videatur, quem utriuſque partis ſcriptores, in ſuam opinionem trahunt. Ait enim; *Circa hæc tempora cum in caſtro Caſſini, ubi Benedicti ſacrum corpus requieſcebat, aliquantis jam elapſis annis, vaſta ſolitudo exiſteret, venientes de Cennomannicorum, vel Aurelianenſium regione Franci, dum apud Venerabile corpus ſe pernoctare ſimulaſſent, ejuſdem venerabilis patris, pariterque ejus germanæ venerabilis Scolaſticæ oſſa auferentes in ſuam patriam aſportaverunt, ubi ſingillatim duo monaſteria in utriuſque honorem S. Benedicti, & Sanctæ Scholaſticæ conſtructa ſunt.* Quæ ſane ſi vera ſunt, cauſa omnino Italicæ Congregationis Benedictinæ alumni excidunt, cum Paulus Diaconus, & ipſe Caſſinenſis monachus, ſeculo vix elapſo, translata in Gallias ac in duobus monaſteriis ibidem recondita fuiſſe oſſa Benedicti, & ſororis ejus Scholaſticæ diſerte tradat, cui auctoritatem conciliant tum auctor translationis, ſeu Adrevaldus monachus Benedictinus, qni ſeculo nono hiſtoriam ſcripſit, cum auctor anonymus, qui breviorem, ſimplicioremque hujus translationis texuit hiſtoriam. Sed ne cauſa omnino cadant Itali Benedictini, tantoque theſauro expolientur, Paulum Diaconum ipſi quoque interpellant, qui cum ea, quæ de translatione reliquiarum S. Benedicti, ac S. Scholaſticæ exſcripſimus narraſſet, ſtatim hæc quaſi retractans addit: *Sed certum eſt nobis os illud venerabile, & omni ſuavius, & oculos ſemper cæleſtia contuentes, cetera quoque membra, quamvis in cinerem defluxa remanſiſſe.* Si itaque certum eſt, Paulo eodem Diacono teſte in monte Caſſino S. Benedicti os & oculos, & cetera membra remanſiſſe, ea ſane alio nequaquam translata fuere, quod etiam ex altero ejuſdem Pauli loco confirmant, dum ſcilicet narrat. Gregorio ſecundo Pontifice hortante, Petronacem Brixianum monachum Caſſinum caſtrum petiiſſe. *Atque ad ſacrum corpus Beati patris Benedicti perveniens, ubi cum aliquibus ſimplicibus viris jam ante reſidentibus habitare cæpit.* Nec multo poſt in ampliorem ſtatum ibidem monaſterium ædificavit. Quare Paulus Diaconus, qui non multo poſt monaſterii reſtaurationem a Petronace Abbate factam, Caſſinatis monaſterii incola fuit, illic corpus S. Benedicti credidit. Hinc quæ ſupra de

de translatione corporis S. Benedicti & Scholasticæ refert, ex aliorum magis opinione, aut vulgari fama, quam ex sua sententia retulisse dicendum est. His adde quod idem Paulus Diaconus in homilia de S. Benedicto, dum Cassini degeret scripta, apud Muratorium rerum Italicarum tom. 2. part. 1. pag. 348., narrat suis temporibus, hominem mutum & surdum valetudini restitutum fuisse *ad sacratissimum corpus S. Benedicti*, cujus rei testes vocat auditores suos, Cassinates nempe monachos. Cum multa de hac quæstione in utramque partem vulgata sint, plura addere jam piget, cum præsertim ut diximus judices in ea sedere nequaquam valeamus, quam in tanta argumentorum pro utraque parte perplexitate, vix Areopagitarum Senatus definiendam susciperet.

Jesu Chr. an. 656.

15. Interea Agilulphus Floriacensis monachus, quem Mummoli Abbatis jussu S. Benedicti, & Scholasticæ reliquias in Gallias esportasse ferunt; a Girinensians monachis rogatus, ut ejusdem monasterii præfecturam susciperet, in eoque collapsam jamdiu monasticam disciplinam instauraret, cum illuc transiisset, ac manum operi admovisset; suaque virtute & exemplo, Monachorum plurimos ad pristinam disciplinam revocasset, nonnullorum perversæ mentis pseudomonachorum invidiam incurrit, & præcipue Arcadii, & Columbi, qui rebellionem in sanctum Abbatem excitarunt, & advocato illuc spe ingentis predæ Mummolo Vicetiæ Principe; *Forte is est Mummolus Ozidinsis Antistes*, ait Mabillonius, *qui necem ob similem causam S. Amando intentavit*. Ejusque opera Aigulphum cum aliquot sociis e monasterio vi eductos comprehendi, vinciri, ac fustibus cædi jussit Arcadius, ac navi impositos ad ignotas regiones deportari, cumque Columbus non imparis sævitiæ minister linguam iis abscindi, ac oculos erui præcepisset, ne tyrannorum crudelitatem vulgare possent, tandem in Caprariam insulam transtulit, ac in ejusdem loci monasterio Agilulphum cum sociis dimisit, quos etiam postea capite truncatos fuisse acta testantur; quorum corpora in Gerinensem insulam translata, honorifice sepulta sunt, sceleštus vero Columbus tanti facinoris auctor, debitas paulo post pœnas dedit, ut eadem acta referunt, apud Surium, & Mabillonium; quorum memoria die tertia Septembris, Martyrologio Romano recolitur.

S. Agilulphus Abbas martyr occubuit.

Jesu Chr. An. 657.

JESU CHRISTI an. 657. Vitaliani Papæ 1. Constantis Imp. 17. Ariberti Italiæ Regis 5.

Eugenii Papæ obitus, cui Vitalianus succedit

1. De Eugenio Papa narrat Anaſtaſius, quod annos duos, menſes octo, vel novem, ut alii codices præferunt. dies vigintiquatuor Romanam eccleſiam adminiſtraverit, cumque menſe Septembri anni 654. ordinatus fuerit, hoc anno mortuus eſt. *Qui etiam ſepultus eſt ad Beatum Petrum Apoſtolum ſub die quarta nonas Iunii, & ceſſavit Epiſcopatus menſem unum, dies vigintinovem*, ait Anaſtaſius; Quare die 30. Julii, quæ cum Die Dominica concurrebat, ordinatus eſt *Vitalianus natione Signienſis provinciæ Campaniæ de patre Anaſtaſio, ſedit annos 13. menſes ſex*. De geſtis autem Vitaliani hæc addit ſæpe citatus auctor. *Hic direxit reſponſales ſuos ſecundum conſuetudinem cum ſynodica in Regiam urbem ad Piiſſimos Principes ſignificans de ordinatione ſua, & dum ſuſcepti eſſent, renovantes Eccleſiæ privilegia reverſi ſunt*: Hæc Anaſtaſius, qui addit: *Per eoſdem Miſſos*, Reſponſales ſcilicet, *direxit Conſtans Imper. B. Petro & Evangelia aurea cum gemmis albis miræ magnitudinis ornata in circuitu*. Ex his intelligas, callidum Imperatorem, quo rebus Occidentalis Imperii bene conſultum eſſet, conatum fuiſſe muneribus ſaltem, & aliis officiis demereri Romanum populum, quem ſciret tunc ſibi conjunctum atque benevolum fore, ſi ſe Catholicum forinſecus præſeferret, ſtudioſumque erga Romanum Pontificem. Probe enim noverat, in ſe Romanum populum ſimulque clerum, & (ut uno verbo dicam), omnes occidentales Catholicæ fidei integros profeſſores magnopere concitaſſe ob ejectionem ex Urbe ſanctiſſimi Papæ Martini, ejuſque tyrannicam depoſitionem, & in exilium ejectionem, ubi tandem martyr occubuit ut ſuo loco adnotavimus.

Vitalianus Papa catholicæ fidei defenſor.

2. Vitalianum porro in catholica tuenda fide adverſus Monothelitas dignum tum Martini, cum Eugenii ſucceſſorem fuiſſe, hæc altera Anaſtaſii verba indicant; *Hic regulam eccleſiaſticam, atque vigorem, ut mos erat omnimodo conſervavit*: Quare cum ſynodicam ſuam CPolim per reſponſales ſuos miſiſſet, quæ fidei ſuæ confeſſionem continebat, Petrum quoque CP. Epiſcopum, ea occaſione, ut eidem ſub-

subscriberet, admonuisse, dubitari non potest; at is Constantis Imp. simulationem æmulans, se Sanctorum Patrum fidem sequi testatus est, eorumque testimoniis, multis in locis aut falsatis, aut mutilis additis probare conatus est, fraus tamen non solum a Vitaliano Papa, ut verosimile est, detecta fuit, sed etiam toto orbe vulgata, dum in synodo sexta, ut legeretur, oblata fuit, ubi hæc occurrunt, *Item relicta est ex altero registro epistola Petri, & ipsius quondam præsulis regiæ civitatis ad Vitalianum sanctæ memoriæ, qui fuit Papa Romanus, cujus est initium: Spiritalem nobis lætitiam peperit littera vestræ unanimis, & sanctæ fraternitatis. Dumque relegeretur eadem epistola, habens diversa patrum testimonia, hi qui locum gerebant Agathonis sanctissimi Papæ Romani, dixerunt: Innotescimus vestræ gloriæ, quod paterna testimonia quæ continentur in præsenti, quæ nunc relegitur Petri epistola, circumcise desflorata sunt ab eodem Petro ex hoc, quod ostendere voluisset suam super una voluntate & una operatione, intentionem. Gloriosissimi judices dixerunt. Comperimus diligenter, juxta quæ a vestra reverentia dicta sunt, quod talia testimonia, quæ continentur in præsenti epistola, detruncate posita sunt. Etsi placet vestro sancto, ac universali concilio, inamplius hujusmodi epistolæ lectio non procedat*, quod & concilium probavit.

JESU CHR. AN. 657.

3. Hoc anno Eugenius Toletanus Episcopus, quem Toletanis conciliis præesse sæpe vidimus, vivere desiit, cum annos duodecim eam ecclesiam sanctissime administrasset, vir sane pietate, & doctrina celeberrimus, cujus memoria inter sanctos, die, qua obiit, idibus Novembris, recolitur. De gestis vero, & scriptis, hæc S. Idelphonsus in Toletana Sede successor narrat. *Eugenius alter post priorem Eugenium Pontifex subrogatur. Hic cum Ecclesiæ clericus esset egregius, vita monachali delectatus est. Qui sagaci fuga, urbem Cæsaraugustanam petens, illic martyrum sepulchris inhæsit, ibique studia sapientiæ & propositum monachi decenter excoluit. Unde principali violentia reductus, & in Pontificatum adscitus, vitam plus virtutum meritis, quam viribus egit. Fuit namque corpore tenuis, parvus robore, sed valde fervescens spiritus virtute, studiorum bonorum viam prosequens. Cantus pessimis usibus vitiatos, melodiæ cognitione correxit: Officiorum remissos ordines, curamque discrevit. Scripsit de Trinitate libellum*

Eugenii Toletani Episc. obitus, ejusque gesta, & scripta.

Jesu. Chr. an. 657. *bellum & eloquio nitidum, & rei veritate perspicuum: qui Lybiæ Orientisque partibus mitti quantocyus poterat, nisi procellis resultantia freta incertum pavidis iter viatoribus distulissent. Scripsit & duos libellos, unum de diversi operis prosa concretos, qui ad multorum industriam ejus ex hoc tenaciter sanctam voluerunt commendare memoriam. Libellos quoque Dracontii de creatione mundi conscriptos, quos antiquitas protulerat vitiatos, ea, quæ inconvenientia reperit, subtrahendo, immutando, vel meliorando, ita in pulchritudinis formam redegit, ut pulchriores de artificio corrigentis, quam de manu processisse videantur auctoris. Et quia de die septimo idem Dracontius reticendo, semiplenum opus visus est reliquisse; iste & sex dierum recapitulationem singulis versibus renovavit, & de die septimo, quæ illi visa sunt, eleganter dicta subjunxit. Clarus habitus fuit temporibus Chindasuindi, & Reccesuinthi Regum, fere duodecim annis tenens dignitatem simul & gloriam sacerdotis: sicque post lucis mundialis occasum in basilica S. Leucadiæ tenens habitationem sepulcbri.* Ejus epigrammata, aliaque opuscula Sirmondus publicavit, Eminentissimus vero Cardinalis de Aguirre in notitia conciliorum Hispaniæ pag. 131. alia editurum promiserat. Nunc vero inter Toletanas patres, quotquot Eugenii opere extant, Matriti nitidissimis typis cura & impensis Deforense Toletano Archiepiscopo anno 1782. edita sunt.

Idelphonsus Tolet. Episc. in locum Eugenii ordinatur.

4. Eugenio e vivis erepto successit Ildelphonsus, vir sane pietate & doctrina præclarus, qui cum a primæva ætatate se totum Deo dicasset, ab Isidoro Hispalensi in sacris litteris, piisque exercitationibns primum enutritus, monachus, & Abbas Monasterii prope Toletum sanctissime vixerat, ac Diaconus ab Helladio Toletano Episcopo ordinatu s, communibus cleri, populique votis postulatus, invitus fere Toletanus Episcopus ordinatus est, cum se tanto ferendo oneri imparem esse, præ humilitate, judicaret. Unde in libro de scriptoribus ecclesiasticis, post recensitos auctores, quos Isidori catalogo adjunxerat, de se ipso hæc addidit: *Ast ego procul valde impar, & iis quos adnotatio retinet, & iis quos adnotatio delectavit indignus satis, & absque substantia alicujus boni operis, successor sanctæ memoriæ alterius Eugenii factus in sede illa gloriosa Toletanæ urbis, quam non ex hominum immenso conventu gloriosam dico, cum hanc etiam glo-*

gloriosiorem illustret præsentia Principum, sed ex hoc, quod coram timentibus Dominum, iniquis ante injustis, habetur locus terribilis, omnique veneratione sublimis. Toletanam vero ecclesiam gloriosam merito vocavit Idelphonsus, quam hac ætate successio plurimorum sanctorum Episcoporum celebrem reddiderat, ut vel ipsa Toletana hujus sæculi concilia demonstrant, quorum numerum Idelphonsus etiam, & dignitatem auxit. At de Idelphonsi lucubrationibus, deque ejusdem in sanctam Dejparam virginem singulari veneratione, quam scriptis suis illustrare conatus est, dum præcipue ejusdem perpetuam virginitatem adversus Judæos, & hæreticos egregio Commentario vindicavit, inferius sermo fiet, cujus vitam a Juliano, & Zixilane Episcopis scriptam exhibent Mabillonius sæculo 2. Benedictino, & Bollandus die 23. Januarii, ut auctorem novæ editionis Patrum Toletanorum prætereamus.

JESU CHRISTI an. 658. Vitaliani Papæ 2.
Constantis Imp. 18. Ariberti Italiæ Regis 6.

Pax inter Romanos, & Seracenos sancita.

1. Cum atrox adhuc inter Haii, & Moaviam de Saracenorum Caliphatu, seu Principatu bellum vigeret, de quo anno 956. egimus, Moavias, qui Ægypti Siriæ, & Palestinæ provincias, a Romano Imperio ereptas, in suam retinebat potestatem, aliqualem cum Romanis pacem firmandam censuit, hoc anno: *& Legatione ad Imperatorem suscepta*, ait Teophanes, *Arabes seditionibus & tumultibus jactati, cum Romanis pacti sunt, ut nimirum per singulos dies nummos mille, equum, & servum Romanis penderent*, sicque effecit Moavias, ut securior arma adversus Caliphatus æmulum Haii converteret, in Romanos postea iterum illaturus, cum adversarium superasset, ut revera contigit, atque hæc de rebus Orientalibns ad hunc annum satis dicta sint.

Concilium Senonense celebratur.

2. Ad hunc annum 658. revocandum esse Senonense concilium Episcoporum triginta, tempore Clotharii tertii Regis Francorum celebratum, nos admonet Mansius, & Pagius, quod Labbeana editio conciliorum Parisiensis, & Veneta ad annum 670. alligavit, eoque concilio privilegium immunitatis ab Emmone Senonensi Episcopo, monasterio Sancti Petri vivi prope Senonas concessum, ab Episcopis plurimis firmatum fuit. Eligius autem Novionensis Episcopus

JESU CHR. AN. 658. pus concilio quidem adfuit, at privilegio non subscripsit, sed Momolenus ejus in sede successor. Unde eum concilii tempore e vivis abiisse constat, Clotarii Regis anno tertio, ut ibidem legitur. Privilegium porro immunitatis monasterio Senonensi concessum, Mabillonii diligentia in lucem prodiit.

S. Eligii Noviomensis Episc. obitus & sepultura.

3. Eligius itaque Noviomensis & Tornacensis Episcopus, de cujus gestis supra nonnulla adnotavimus, hoc anno vivere desiit, vir plane omni virtutum genere clarissimus, miraculorum gloria insignis, & Flandrorum Apostolus merito dictus, cujus res praeclare gestas S. Audoenus Rothomagensis Episcopus pietate & aetate Eligio suppar tribus libris conscripsit. Inter cetera narrat, quod ad curandum, & sepeliendum tanti viri corpus. *Ingens utriusque sexus multitudo ad oppidum convolavit; itemque Regina Bathildis cum filiis, & proceribus multoque exercitu. Et ipsa quidem Regina propere ad corpus beati viri accurrens, magnam illic fudit lacrymarum vim, valde dolens, quod eum viventem non reperisset.* Cumque corpus ad monasterium Coele transferri cuperet, id nequaquam obtinere potuit, quare post indictum triduale jejunium, post fusas lacrymas, nulla vi cadaver moveri potuit, cumque contentio inter adstantem populum exorta esset, cum alii Parisios transferri cuperent, Noviomenses vero apud se retinere cuperent, at Regina ad monasterium transferendum diceret, res tandem Dei judicio permissa est, itaut ad monasterium perduceretur, si se cadaver facile moveri permisisset, quod cum plurimi, ac ipsa etiam Regina iterum iterumque frustra tentasset, tandem: *Permittamus*, ait Bathildis, *huic populo vel inviti, quod hactenus sponte noluimus*: tunc vero *tanta facilitate motum est, ut commode jam a duobus portaretur, quod paulo ante plurimi nec movere leviter poterant. Ad extremum Regina venerabilis cum plebe valde fessa, postquam illud reverenter venerata est, jejuna recessit, luctuque eam non sinente cibum sumere, sic triduanum lacrymabunda jejunium explevit.*

Bathildis Reginae cura pro Eligii sepultura.

Bathildis Reginae pia officia in corpus S. Eligii.

4. Haec, & alia de piae reginae Bathildis ministerio in sepulturam S. Eligii, sanctus Audoenus, qui etiam narrat, quod cum regina ad cadaver devota accessisset: *Detecto ejus vultu, cum multis lacrymis osculata est eum, itemque pectus & manus. Ecce autem dum sic palpat sacrum corpus, tametsi erat*

erat hybernum tempus, & jamdiu illud fuisset exanime prorsusque frigidum, copiosus sanguis ex ejus naribus emanavit, Id ubi viderunt Episcopi, & Regina christianissima, confestim admoverunt lintea summo studio sanguinem colligentes, eum pro magno munere in reliquiis servandum seposituri &c. Eligii nomine homiliæ sexdecim Bibliothecæ PP. insertæ sunt, eas tamen adulterinas esse multis adnotat Pagius, etsi eum frequenter, & continuo populum suum ad pietatis officia sermonibus suis excitasse narret Audoemus in ejus vita. Interea Bathildis Regina cum filiorum impuberum nomine, Clodovei scilicet, & Childerici Francorum Regnum per annos aliquot administrasset, filiis tandem Regni administrationem relinquens, monasticam vitam professa est, duo quippe monasteria feminarum pia Regina construxerat, Corbejense scilicet in Episcopatu Parisiensi, ut auctor vitæ ejusdem narrat, qui de ejusdem obitu addit: *Ut vero monacha sub integra religione beatam vitam feliciter consummavit, atque tertio Kal: Februarias animam beatam benigno Jesu, qui eam dederat, reconsignavit, humataque in pace requiescit in Kala monasterio*, qua die in martyrologio Usuardi, & Kalendario Corbejensi ejusdem memoria recolitur. At in Romano martyrologio, aliisque, die septima Februarii, de cujus virtutibus & gestis, plura apud Bollandum, aut Mabillonium seculo secundo Benedictino videri possunt.

Bathildis Regina in monasterium secedit.

5. Hoc tempore dum Bathildis Francorum Regnum administraret, Annemundus, quem alii Delphinum dixerunt, Lugdunensis Episcopus martyrio vitam finivit, ab ejus quidem nece innoxiam fuisse piam reginam, tota ejusdem vitæ series demonstrat, qua sacerdotes summa in veneratione eam habuisse constat. Unde tanti sceleris auctorem Ebroinum majorem domus fuisse adnotant merito Pagius & Mabillonius. Is quippe cum Annemundi, seu Delphini potentiam sibi suspectam haberet, ac pro arbitrio licentius cuncta regni negotia moderaretur, quasi Annemundus Episcopus, ejusque frater Delphinus Regi rebelles essent, utrosque occidendos jussit; de Annemundi martyrio, quem Delphinum vocat hæc narrat Beda, dum de Wilfridi peregrinatione ad urbem agit, ac Brunichildi Reginæ scelus adscribit, quam Bathildem dicere debuisset, cum jamdiu Brunichildes e vivis excessisset: Hinc Baronius, ad annum 614. hæc narrat, at ad hæc tempora

Annemundi seu Delphini Lugdunensis Episcopi martyrium.

Jesu Chr. an. 658. ſancti viri martyrium accidiſſe, hoc vel proximo anno Pagius, & Mabillonius adnotant. Itaque Beda: *Cum menſes aliquot ibi* (ideſt Romæ Sanctus Wilfridus) *ſtudiis occupatus felicibus exegiſſet, rediit ad Delphinum in Galliam, & tres annos apud ipſum commoratus, attonſus eſt ab eo, & in tanto habitus amore, ut hæredem illum ſibi facere cogitaret. Sed ne hoc fieri poſſet, Antiſtes crudeli morte peremptus eſt, at Wilfridus ad ſua potius, hoc eſt Anglorum gentis Epiſcopatum reſervatus. Nam Brunichilda Regina miſſis militibus Epiſcopum juſſit interfici*, ita vulgatæ Bedæ editiones, quæ ex aliis Codicibus emendari debent, itaut loco Brunichildis, Bathildis legendum ſit, ut adnotat loco citato Pagius, ubi etiam de Wilfridi geſtis, ſtudiis, & Romana peregrinatione nonnulla ibidem videnda adnotat nota 8. 9. & 10. hujuſce anni.

JESU CHRISTI an. 659. Vitaliani Papæ 3.
Constantis Imp. 19. Ariberti Italiæ Regis 7.

Heraclius & Tiberius Conſtantis filii Cæsares declarantur.

1. Sexennio ante Conſtans Imperator, filium ſuum Conſtantinum natu Maximum Auguſtum dixerat, hoc autem anno, duos alios, Tiberium ſcilicet, & Heraclium Cæſares declaravit, ut ſextæ ſynodi acta teſtantur, ubi actione 15. hæc leguntur: *Imperantibus a Deo coronatis, ac sereniſſimis Dominis noſtris Flaviis, Conſtantino quidem piiſſimo, & a Deo decreto magno Principe, perpetuo Auguſto & Imperatore anno 28. & poſt conſulatum ejus a Deo inſtructæ manſuetudinis anno 13. Heraclio vero atque Tiberio a Deo conſervandis ejus fratribus anno 22. 26. menſis Aprilis, indictione nona.* Initio vero actionis 16. de Heraclio, & Tiberio iterum: *Heraclio vero, atque Tiberio a Deo conſervandis ejus fratribus anno 25., nona die menſis Auguſti indict. nona.* Quare cum utraque actio habita fuerit anno 681. Conſtantino Pogonato Imperante, Heraclius, atque Tiberius ejus fratres, hoc anno Cæſares dicti ſunt, poſt diem 26. Aprilis, & ante diem nonum Auguſti, ut cuilibet numeranti patere poteſt. Extant etiam numiſmata, quæ Conſtantem cum filiis ſuis Imperiali veſte ornatos exhibent. Unde eos Cæſarea ſaltem dignitate inſignitos fuiſſe probant.

Geltrudis Abbatiſſæ obitus.

2. Hoc anno ut contendit Pagius, vel præcedenti 658. ut

ut ſcribit Mabillonius, mors Sanctæ Geltrudis virginis & Abatiſſæ Nivialenſis, ſeu Nivellenſis, contigit. Hæc quidem filia Pippini Landenſis majoris domus fuit, ſanctiſſime a piiſſima matre Beata Itea, ſcu Iduberge educata, ab eaque velum monachale accepit, ac prima Abbatiſſa monaſterii Nivellenſis fuit. Cum ſe morti proximam eſſe intelligeret, *cum conſilio ſervorum Dei, & ancillarum*, ideſt Monachorum, & Sanctimonialium Nivellæ degentium, Abatiſſæ nomen & dignitatem in Vilfetrudem neptem ſuam tranſtulit, quæ ætatis annum tunc vigeſimum agebat, quam ipſa ab incunabulis fere pietati, & litteris enutriverat. Poſt hæc tota ſe Geltrudis orationi, ac rerum cœleſtium contemplationi dicavit, ac obitu inſtante prohibuit, ne veſtimento laneo vel lineo corpus ſuum involveretur, ſed tantum cilicio ac panno vetere tegeretur. Interea vaticinio accepto ab Ultanio Abbate, quod craſtino die de corpore migratura eſſet, totam noctem cum ſororibus in pſalmis & orationibus inſomnem duxit, die ſequenti Dominica ad horam ſextam, *Sacratiſſimum Chriſti Corporis & Sanguinis viaticum* percepit, atque ubi Sacerdos *Dominicam ſecretam ſententiam* abſolvit, actis Deo gratiis, quod ſe ab omni carnis labe immunem ſervaverat, puriſſimam creatori ſuo animam reddidit, decimoquinto Kal. Aprilis, trigeſimo tertio ætatis ſuæ anno. Funus ejus cum divinis laudibus curatum a Sacerdotibus, & ancillis Dei, corpuſque cum honore ſepultum eſt in ciſterna, quam olim ſibi ipſa præparaverat, ut ejuſdem vitæ auctor Anonymus & coevus narrat monachus Nivellenſis qui de Sanctæ Virginis geſtis & miraculis alia plurima, refert, quæ brevitatis ſtudio preterimus, ac ad annum proximum tranſimus.

Jesu Chr. an. 659.

IESU CHRISTI an. 660. Vitaliani Papæ 4. Constantis Imp. 20. Aribberti Italiæ Regis 8.

S. Maximus CPolim, iterum judicio ſiſtitur.

1. Non ſemel in judicium vocatum fuiſſe Maximum Abbatem, eumdemque repetitis fidei confeſſionibus inclaruiſſe, ac bis exilia ſuſtinuiſſe ſupra diximus, tot tamen vexationibus a Maximo, ac duobus ſociis, ſeu Anaſtaſiis fortiter toleratis, Monothelitarum rabies exatiari nequaquam potuit, quin hoc anno CPolim iterum tranſlati, atque hæreticorum ſynodo oblati, ab eaque iterum interrogati, cum in

 fidei

Jesu Chr. An. 660. fidei catholicæ confessione constantes perseverassent. Præfecto urbis traditi, dirissime verberibus primo cœsi sunt, deinde lingua, & manu dextera amputati, in teterrimum denuo exilium perducti, non multo post, idest, ut coniicit Pagius anno 662. Maximus, ejusque discipulus Anastasius martyrii coronam adepti sunt. Alter vero Anastasius, qui Romanæ ecclesiæ apocrisarius dictus est, anno 666., eamdem adeptus est gloriam, ut ex mox dicendis constabit.

S. Maximus, & duo Anastasii flagris coesi, linguæ & manus abscissione plectuntur.

2. Itaque ut referunt Maximi Aza. *Interjecta temporis mora aliqua*, ex quo Bisæ exulans cum Theodosio Cæsareæ Episcopo disputationem habuerat, de qua anno 656. egimus, *CPolim adducunt*, non vero Perberim, ut ubi eos auditos, vexatosque fuisse scribit Pagius: *unaque cum eo etiam Anastasium ejus discipulum inducunt*, (quem Perberim exulasse scimus) *ad hæc vero, & Anastasium alterum, quem & apocrisarium diximus, dirisque in illos usi infames homines atque devoti, ac eum anathemati subijcissent, neque hos modo, sed & cunctos orthodoxos, tum qui etiamnum vitæ superstites essent, tum qui vivere desiissent, iis qui tunc tormentis præfecti essent, illos tradunt, qui nimirum, quæ judicum in eum sententia decreta esset, exequerentur*, ac deinde quanta passi sint viri sancti prosequitur auctor gestorum S. Maximi. Acta vero omni fide dignissima totius tragœdiæ seriem, his verbis synodi sententiam referunt: *Sancimus, ut statim assumptis, qui nobis præsto est, Clarissimus Præfectus, in suum amplissimi dominatus Prætorium, Maximo, ac utroque Anastasio, eorum flagris dorsa cædat, vestraque Maximi amborumque Anastasiorum procacitatis organum (vestram scilicet blasphemam linguam) ab imo intus abscindat, tumque etiam, quæ blasphemæ vestræ rationi mentique ministravit, dexteram ferro auferat: ac ubi sic execrandis membris mutilos pariter circumducens, Urbis Augustæ regiones duodecim totas lustraverit, sempiterno exilio, jugique præterea custodiæ tradat: ut deinceps, ac quamdiu vita superstes erit, blasphemiæ plenos errores vestros lugeatis, versa scilicet in vestra capita, quam in nos maledictionem diraque excogitastis. Tulit itaque Præfectus, aliisque excruciatis tormentis, membra amputavit, totaque urbe propudiosa circumductione traducens, Lazicem relegavit*: Hæc ibidem, quæ sane Baronius non vidit, dum hæc adnotavit. *Pepercerunt autem inferre dicta qui etiam suppli-*

supplicia alteri Anastasio, muneris, quo functus erat Apocrisarii rationem habentes; nam eadem utrisque Anastasiis illata fuisse, diserte idem auctor tradit, eademque auctor gestorum S. Maximi, qui addit, S. Maximum a Præfecto sæva adeo immanitate verberatum fuisse, ut nec senectutis, aut longa abstinentia, & laboribus consumpti corpusculi, misertus: *Subjectum omne solum cruoribus copia defluentibus cruentaretur, omnisque caro consumeretur, nec ullum membrum sanum atque integrum relinqueretur*; iisque similia Anastasios, Maximo in passione socios, sustinuisse addit.

Quæ Maximus & socii in itinere & exilio passi sint.

3. Quanta autem in itinere, ac in exilio usque ad vitæ exitum, Maximus, & Anastasii passi sint, his verbis idem auctor narrat. *Maximum itaque, itaut relatum est, in exilium deportatum, contigit in via multa pati, multasque subire ærumnas, ac doloribus conflictari, cum nec jumento, nec sella aut lectica sedere posset, multis scilicet confectus laboribus, ac angoribus attritus. Quamobrem gestorio vimineo grabato imponunt, ac vix ægreque gestantes longo itinere abducunt, inque Alaniæ castro quodam, quod Schimaris vocant carcere inclusum, omni vitæ solatio destitutum relinquunt. Abductis pari itinere præclaris ejus discipulis, ac cui idem nomen est, ambo scilicet Anastasii, tumque a præceptore, idest Maximo, ipsique a se invicem divisi, alia subinde atque alia commutantes loca, ac procul ad Abasgarum regionem protracta. Quibus ærumnis ac fatigatione, alter spiritum, qui solus reliquus erat, emisit*, idest Anastasius Maximi discipulus, *nec ejus obitus satis nota dies, ut ejusdem ac ille nominis, Anastasius scilicet apocrysarius tradidit* in epistola ad Theodosium Gangrensem præsbyterum, quem tamen ex auctore hypomnostici 24. Julii anni 662. obiisse scimus, ut a Pagio aliisque adnotatum est, quo etiam anno S. Maximus vivere desiit, ut ibidem dicturi sumus.

Childericus Austrasiæ Rex dicitur.

4. Cum hactenus Childericus hujus nominis tertius universam Francorum Monarchiam quadriennio obtinuisset, Austrasiis tumultuantibus, ac Regem sibi petentibus, Bachildis matris consilio, Chilpericho fratri Austrasiæ Regnum concessit, ut in vita Bathildis Reginæ his verbis indicat, auctor coævus: *Nuper & Austrasii pacificato ordine, ordinante Domna Bathilda, per consilium quidem seniorum, receperunt filium ejus Childericum Regem Austri, Burgudiones vero, & Franci, quibus præerat*

JESU CHR. AN. 660. *præerat Clodoveus, facti sunt uniti*. Austrasiis, eo quod inter utrumque Regnum pax & concordia vigeret. Eamdemque Regni divisionem, ex privilegiis aliquot monasteriis suæ ditionis, ab Childerico concessis, confirmat Pagius notis 6. & 7. ad hunc annum, ut ibidem videre est.

S. Remaclus Episcopatui renunciat, eique Theodardus succedit.

5. Hoc etiam tempore, & anno Sanctus Remaclus Trajectensis Episcopus, ut liberius Deo, deserviret, Episcopatui renunciavit, atque in eremum secessit, ac monasteriis Malmundario, & Stabuleto tamquam Abbas, usque ad obitum præfuit, idest usque ad annum circiter 667. quo officio dum fungeretur, ab Chilperico Austrasiæ Rege obtinuit, ut quæ Sigebertus patruus ejus donaverat monasteriis Stabulensi, & Nalmundariensi, rata essent. Chilperici privilegium anno 667. Cointius refert, eoque Remaclus, etiam post abdicationem Episcopus, & Abbas dicitur: *Quapropter ipse Episcopus, Abbatorum, una cum monachis, nobis exinde confirmatione auctoritatis nostræ petierunt affirmari*, ac datum dicitur: *Die sexto Septemb. anno octavo Regis Chilperici*. In Trajectensi sede successorem, ut ipse rogaverat, Theodardum habuit, qui postquam eam ecclesiam per annos aliquot sanctissime administrasset, martyrio etiam illustravit, ut anno 667. dicturi sumus.

S. Etheldrita bis nupta, in virginitate perseverat.

6. Hoc anno Egfridus Oswi Regis Nortumbrorum filius, *Etheldritam Annæ Regis Orientalium filiam accepit in conjugem*, ait Wigorniensis ad hunc Christi annum, *anno post interitum patris sui sexto*, inquit Thomas Eliensis Monachus, qui sæculo XII. vixit in ejus vita a Mabillonio Sæculo II. Benedictino recitata. De hac Beda lib. 4. cap. 19. scribit: *Accepit Rex Egfridus conjugem, nomine Ediltrudam filiam Annæ Regis Orientalium Anglorum, Viri bene religiosi, ac per omnia mente, ac opere egregii, quam & alter ante illum Vir habuerat uxorem, Princeps videlicet Australium Girviorum vocabulo Ctombert. Sed illo post modicum temporis, ex quo eam accepit, defuncto, data est Regi præfato: cujus consortio cum duodecim annis uteretur, perpetua tamen mansit Virginitatis integritate gloriosa: sicut mihimet sciscitanti (cum an hoc ita esset, quibusdam venisset in dubium) beatæ memoriæ Vilfrid Episcopus referebat, dicens se integritatis ejus esse certissimum: adeo ut Egfridus promiserit se ei terras ac pecunias multas esse donaturum, si Reginæ posset persuadere ejus uti connubio, quia scilicet illam nullum virorum*

rum

rum plus illo diligere. Nullis tamen, aut promissis, aut precibus, ut maritalem cum viro consuetudinem haberet, cessit. Unde *Rex tandem victus ipsius importunis precibus, licet invitus tamen eam dimisit invincibilem*, ut monasterium, quod diu exoptaverat, ingrederetur, ubi post annum, inquit Beda, monasterii Eliensis a se constructi, facta est Abbatissa, fuitque *virginum Deo devotarum plurium mater virgo*. Deinde de ejusdem obitu. *Rapta est ad dominum virgo Etheldreda in medio suorum nono Kal. Junii post annos septem, ex quo Abbatissæ gradum susceperat, & æque ut ipsa jusserat, non alibi quam in medio suorum juxta ordinem, quo transierat, ligneo in locello est sepulta, transivit autem anno ab Incarnatione Domini* 679. *a cœnolenta voragine hujus Mundi ad cœlestis gaudia Regni, sub regibus Anglorum, fratre ejusdem videlicet Aldulpho Orientalium, & Lothero Sanctæ Sexburgæ filio Cantuariorum*, ait Thomas Eliensis Monachus, qui seculo 12. vixit, gravis & disertus auctor, inquit Mabillonius seculo 2. Bened., qui primus ex manuscriptis Codicibus vitam Ethildride in lucem edidit, cujus memoria nono calendas Julii martyrologio Romano, aliisque celebratur. Post annos sexdecim, ut idem Thomas Eliensis ex Beda narrat, cum Wistburga Ethelfridis soror, & Abbatissa ejusdem Monasterii, reliquias transferre vellet, virginis corpus, ita incorruptum reperit, ac si eadem die defuncta, & humi condita fuisset.

Jesu Chr. an. 660.

7. Hoc tempore in Galiis Nannetense Concilium Romani Pontificis jussu celebratum est, de quo Flodoardus lib. 2. cap. 7. de Nivardo Rhemensi Episcopo hæc adnotat. *Beatus Nivardus, dum ex communi consensu totius concilii Præsulum Galliæ Nannetis, Romani jussione Pontificis exhibiti Rege favente* (idest Clotario) *restruxisset ecclesiam monasterii super ripam Maternæ fluminis in loco nuncupato Villari dudum siti, sed a barbaris diruti, & ab eo constructa hæc funditus cecidisset ecclesia, in alio loco rursus ab ipso restructa, rursum traditur corruisse*: deinde post aliqua. *Mox idem Præsul succidi silvam jubens, in honore S. Petri, & omnium Apostolorum, ibi construxit ecclesiam, & ubi rejedisse columbam viderat, altare instituit, collectisque Servis Dei monasterium ordinavit*. Canones viginti Nannetensi concilio altero sub Formoso Papa, nono seculo celebrato inscri-

Concilium Nannetense Vitaliani Papæ jussu celebratum.

Jesu Chr. An. 661. scripti sunt, an huic potius adtribui debeant, quam alteri seculi noni, in obscuro est. Huic potius adscribendos esse ait Pagius, cum vix Nannete seculo nono concilium celebrari potuerit, eo quod urbs barbarorum frequentioribus incursionibus vexata, diruta pene fuerit. Cum hæc autem incerta & obscura sint, hæc adnotasse sufficiat, nam de altera Nannetensi synodo, ejusque canonibus suo loco infra sermo fiet.

JESU CHRISTI AN. 661. VITALIANI PAPÆ 5.
CONSTANTIS IMP. 21.
BERTHARIDI, ET GODIBERTI REGUM AN. 1.

Constans Imp. fratrem suum Theodosium occidit.

1. Hoc tempore Costans Imperator, qui hactenus adversus Martinum Pontificem, adversus Maximum Abbatem, ceterosque Monotheliarum oppugnatores crudeliter sævierat sceleribus scelera addens, fratrem suum Theodosium, Diaconum antea ordinatum, interfecit, fratricidium sacrilegio infamans, de quibus hæc Theophanes in cronicho: *Constans germanum suum fratrem Theodosium interfecit: quem quidem offensus ab eo antea, opera Pauli Patriarchæ attonsum, Diaconum consecrari voluisset, a quo ministrante idem Imperator sancto sanguinis poculo in sacrosanctis mysteriis impetitus fuisset*. Ista vero haud impune patravit; exegit enim fusus sanguis innocuus a Deo vindictam, ut omnibus vitæ suæ diebus instar Cain, conscientiæ stimulis agitatus, profugus & vagus viveret super terram, eo infelicior, quod non sicut ille signum accepit a Domino, ne ab aliquo interficeretur: etenim, insequente eum culpa, tremens ubique locorum fuit & pavens: Quidnam autem memoria dignum tunc acciderit audi, ac inchoatæ tragœdiæ dignum exitum. Ubi enim scelus, immo in uno plura scelera nefandissima perpetrasset, cum extinctum penitus fratrem & oblivione sepultum omnino putavit, didicit suo damno miser, superesse post cædem homini, quod vivat & clamet. Sed accipe, quæ in Græcorum leguntur Annalibus: *Is ergo Theodosius a morte sua ipsi Constantio crebro per quietem visus est habitu Diaconi poculum sanguine plenum porrigens, atque dicens: Bibe frater*; ac si diceret: Inebriare fraterno sanguine, quem fudisti: talem decet propinare poculum plenum sanguine avidæ crudelitati. Explere cruore germani porrigentis, non ut olim in Eccle-

sia

sia porrigebat in tuarum redemptionem culparum sanguinem Christi, sed in ultionem paratum. Sume de manu non sanguine agni refertum poculum, quo percussor Angelus abigatur, sed qui ultorem excitet in te Deum. Audiebat hæc & metuebat Imperator, ultrice accusante pariter conscientia, nam pergit auctor: *Ejus visionis acerbitate victus infelix Imperator, statuit in Siciliam abire. Itaque in urbe relinquens uxorem & tres filios, Celotem conscendit* (est navigii genus.) *Cumque solvisset, conversus retro urbem Imperii sedem conspuit. Sed ne in Sicilia quidem insomnium illud vexare Constantem desiit, Syracusas sibi delegit, ubi vitam ageret, ubi & statuit Imperium Romanum transferre, cum invisus esset ob Monothelitarum hæresim, aliasque pravas de religione sententias. Misit ergo qui uxorem, & liberos adducerent: sed hanc Byzantii cum liberis detinuerunt*. CPoli excedens Romam perrexit; exinde vero excedens Siracusas pertransiit; ibique usque ad obitum substitit; ab anno 663. ad annum, quo obiit de quibus infra redibit sermo.

Ariberti Regis obitus cui filii succedunt.

2. In Italia vero ob Ariberti Longobardorum Regis obitum, bellici tumultus excitati sunt. Nam Aribertus, hoc anno vivere desiit: *Postquam apud Ticinum per annos novem Longobardos rexerat*, ait Paulus Diaconus: *Is quidem obiens Regnum duobus filiis suis adhuc adolescentibus Berthando, & Godeberto regendum reliquit, & Godebertus quidem Ticini sedem Regni habuit, Berthandus vero in civitate Mediolanensi, inter quos fratres, facientibus malignis hominibus, discordiæ & odiorum fomes surrexit, in tantum ut alter alterius Regnum invadere conaretur*. In quam rem Sigebertus in chronico ad annum 660. narrat: *Ariperth Longobardorum Rege defuncto, Godebertus, & Bertharith filii ejus annum agunt, non tam in Regno componendo, quam de Regno contendendo*. Hinc dum inter se de Regno contenderent, atque alter alterum Regno deijcere niteretur, uterque anno sequenti Regnum ammisit, nam Grimoaldus altero interempto idest Godeberto, altero Bertharith in fugam verso, longobardorum Regnum obtinuit, ut ibidem dicturi sumus.

S. Finani Episcopi obitus.

3: Obiit hoc anno in Anglia S.Finanus Episcopus Lindisfarnensis postquam sedisset *annos decem*, inquit Beda lib 3. cap.26., qui diem & mensem ejus mortis silet. Colitur die XVIII. Februarii in Martyrologio Anglicano, & in aliquibus

JESU CHR. AN. 661. Breviariis citatis a Bollando ad dictam diem, quo de S. Finano differit. Hic primum Monachus fuerat Monasterii S. Columbæ in Insula *Hya* seu *Hy*, sive *Hu* apud hodiernos Scotos. Merciorum, seu Mediterranorum Anglorum Apostolus is dicitur, quia ejus industria magna pars illius Regni, in quo Episcopus fuit, ad Christianam fidem conversa est cum suo Principe *Penda*, Finano autem in sede Lindisfarnensi successit Sanctus Colmanus.

Angilbertus Episcopatui renunciat.

4. Cum Saxoniæ Occidentalis Diœcesis in Anglia longe lateque pateret, & Agilberti Episcopi industria, christiana fides inter eas gentes propagata esset, Episcopale onus, quod hactenus Agilbertus sustinuerat, in duas partes divisum est; Nam Kenevalchius Occidentalium Saxonum Rex Vinam natione Anglum Vintoniensi sedi præfecit, relicta Agilberto sede, quam hactenus tenuerat; *Tandem Rex*, inquit Beda, *qui Saxonum tantum linguam noverat, pertæsus barbaræ loquelæ, subintroduxit in Provinciam alium suæ linguæ Episcopum vocabulo Vini, & ipsum in Gallia ordinatum, dividensque in duas Parochias Provinciam, huic in Civitate Venta, quæ a gente Saxonum Vintacestir appellatur, Sedem Episcopalem tribuit: unde offensus graviter Agilbertus, quod hoc ipso inconsulto ageret Rex, rediit in Galliam* tertio abhinc anno, Nam anno hoc labente ad Northumbriæ Regnum perrexit, ac ad Alfridum Regem, inquit Guntidonius, quod confirmat Beda lib. 3. cap. 25. ubi loquens de quæstione mota de tempore Paschæ & de Conventu ea de re anno DCLXIV. habito, ait: *Venerat eo tempore Agilbertus, Occidentalium Saxonum Episcopus, amicus Alchfridi Regis* (Osvvii filii) *& Vulfridi Abbatis; ad Provinciam Nordanhymbrorum, & apud eos aliquandiu demorabatur*. Provincia seu Regnum Occidentalium Saxonum Regio erat amplissima, utpotequæ omnem fere Australem Insulæ Britanniæ oram complectebatur. Quæ hodie in octo Diœceses distributa est, ut inquit Godwinus lib. de Præsulibus Angliæ in Episcopis Vintoniensibus, quorum *Vvina* primus fuit. Verum *Agilbertus* jure merito ægre tulit primas Sedes in partes distrahi, quam divisionem hoc anno, vel saltem superiori factam, ostendit Alfordus in Annal. Eccles. Anglicanæ.

Mohavia Seracenorum Principatum obtinet.

5. Civile inter Hali, & Moaviam bellum ob Seracenorum Califatum seu Imperium exortum fuisse anno 656. ad-

adnotavimus, quod usque ad hunc annum vario marte gestum, hoc tandem anno extinctum est, cum Hassanus, qui Hali patri interempto successerat, post paucos menses, diuturno bello, quod in Seracenorum perniciem gerebatur, fatigatus, seu timore & ignavia ductus, Principatui sponte cessit; Quare Mohavias Seracenorum Monarchiam adeptus, brevi tempore res eorum, non solum restituit, sed etiam in christianæ Reipublicæ perniciem, eousque auxit, firmavitque ut cum hactenus electivum esset Imperium, hæreditarium fecerit. Plurium annorum inter Seracenos gesta, his verbis describit Theophanes. *Uthmanus Seracenorum Dux Amaræ Provinciæ decem annos functus, ab Ethribensibus dolo appetitus interiit. Dissidium autem inter Arabes exortum est, qui enim deserti loca tenuere, Halim alterius Halis nepotem & generum desiderabant Principem*, ac elegerunt; *Qui vero Syriam, & Ægyptum incolebant Moaviam desiderabant, cujus pars superior extitit*, & Imperium obtinuit annis 24.: extincto per fraudem Hali, cum patri successisset Hassanus, paulo post hic Moaviæ Principatum cessit; Unde iterum Theophanes. *Arabibus porro ad Sapphim confidentibus, Ali Persidis Princeps sublatus est, ex quo Moavias Imperium Arabum solus adipiscitur. Hic Damasci regiam firmat, & pecuniarum thesauros illic reponit*. Quia tamen ii, qui familiæ Hali favebant, vi tantum, & necessitate coacti, Moaviæ Imperio colla subdiderant; hinc inter eos schisma exortum est, quod ad hæc usque tempora perseverat, quod inter Haliades, idest sectatores Hali, & Omniades ex quibus Moavias prodjerat, dictum est. *Hoc anno Arabum hæresim*, ait Theophanes pag. 289. *cui Cathurgitarum nomen emersit. Quos cum Moavias edomasset iis, qui Persiam incolebant afflictis, alios in Siria positos opibus & honoribus evexit, & illos quidem Isamitas, istos vero Heracitas appellavit*. At de his plura apud Elmacinum, aliosque Arabum auctores videri possunt, plura etiam dabit Derbellot in bibliotheca Orientali, & in historia Arabica gallice scripta Dorygni, nos vero ecclesiasticam historiam scribentes, hæc adnotasse sufficiat.

JESU CHR. AN. 661.

Jesu Chr. an. 662.

JESU CHRISTI annus 662. Vitaliani Papæ 6. Constantis Imp. 22. Grimoaldi Italiæ Regis 1.

S. Maximi Abbatis & Martiris obitus.

1. In teterrimum exilium post plagas acceptas, cruentamque linguæ, & manus abscissionem Maximum, ejusque socios Anastasios ejectos fuisse aano 660. adnotavimus; Hoc tandem anno, multis auctus coronis, quot pro fide catholica sustinuerat passiones, martyrii palmam promeruit, cum triennium in Alaniæ castro inclusus fuisset, ait auctor panegyrici in ejus laudem vulgati. *Divinum quoddam visum a Cælo oblatum est*, quod mortis diem significaret. *Quo die adventante* 13. *scilicet mensis Augusti*, dimissis quæ terrena sunt, *ad Cælos excurrit, qui vere Cælis cælestique habitaculo dignus esset*. Hæc autem hoc anno contigisse indicat indictio quinta, qua S. Maximum obiisse narrat Anastasius Presbyter & Apocrisarius in epistola ad Theodorum Gangrensem presbyterum his verbis, *Porro Christi Dei martir, dominus videlicet Abba Maximus, cum esset custodiæ mancipatus in castro superius memorato, divina sibi facta visione, advocavit quosdam ex his, qui erant in castro, & dixit ad eos, tertiodecimo die Augusti mensis hujus instantis, quintæ dictæ indictionis, feria septima, assumet me Dominus, quod & factum est. Igitur* 13. *die prædicti Augusti mensis præteritæ quintæ indictionis, secundum ejus divinum vaticinium, feria septima, perrexit ad Dominum*. Eademque refert auctor Hypomnostici, qui certamina, & martyrium Maximi, duorumque Anastasiorum, & Martini Papæ celebrat; Maximi autem memoria in Oriente, & Occidente celebris perseverat, tum ob martyrii coronam pro catholica fide tuenda adeptam, cum ob præclara doctrinæ monumenta post se relicta, quibus Monothelitarum hæresim egregie confutavit, & variis lucubrationibus ecclesiæ doctrinam illustravit, Maximi epistolas, & tractatus quotquot supersunt, in unum collectos, tomis duobus in folio Græce & latine Combefisius vulgavit, cujus editio ceteris amplior, & præstantior est.

Anastasii obitus & martyrium.

2. A Maximo non est sejungendus Anastasius ejusdem discipulus, & in erumnis, tormentisque pro fide Catholica susceptis, & in martyrio socius, dies obitus se ignorasse fatetur, auctor vitæ & certaminum S. Maximi, ac sociorum: *Quibus erum-*

ærumnis ac fatigatione, *inquit*, *alter spiritum, qui solus reliquus erat*, *emisit*, *nec ejus obitus satis nota dies*, *ut ejusdem ac ille nominis* (*Anastasius Apocrisarius*) *tradidit*: paucis tamen ante Maximum diebus, hoc eodem anno coronatum fuisse indicat Anastasius Romanæ ecclesiæ apocrysarius in epistola ad Theodosium Gangrensem presbyterum, cujus hæc sunt verba. *Dominum vero Anastasium Abbatem*, *& me peccatorem super equos imponentes duxerunt*, *& incluserunt illum quidem in castro Scoloni dicto Apsiliæ*, *quæ est prope Abasgojam*, *me autem in altero castro*, *cujus nomen Buculus erat*, *regionis*, *quæ Mesimiama vocabatur*, *in jam dictorum confinibus Alanorum*: *quod videlicet castrum iidem Alani captum nunc retinere noscuntur*. *Dein post paucos dies*, *sumptis tam me*, *quam beato Anastasio*, *a prædictis castris*, *illum quidem miserunt ad castrum nuncupatum Sunias*, *cum jam semivivus esset*, *tam ex multitudine tormentorum ac verberum*, *quæ in Byzantio sustinuimus*, *quam ex necessitatibus*, *atque angustiis*, *quæ hic sunt nobis illatæ*. *Unde & in medio viæ*, *ut quidam ajunt*, *ut autem alii asserunt*, *mox ac retrusus est in castro Suaniæ*, *ad quod destinatus fuerat*, *obiit*. *Argumentor igitur*, *quod circa undecimo*, *vel nono Kalendas Augustas dormierit in Domino*: *quintodecimo namque Kalendarum Augustarum deducti sumus utrique per jussionem tunc Principis in id quod dicebatur Mucurisin*, *præsentandi in medio amici Christi exercitus*, *cum ille jam*, *ut prætulimus*, *semivivus existeret*: *& extunc eum ultra non vidi*. *Continuo quippe destinaverat ipsum quidem*, *ut dictum est*, *in castrum Suaniæ*, *me autem in castrum quod dicitur Thacyria juxta Hiberiam*. *Hinc igitur conjicio*, *quod circa undecimo Kalendas*, *vel nono Kalendas Augustas*, *V. Indict. in* Domino, *sicut dictum est*, *obdormierit*. Hæc de obitu S. Anastasii Abbatis, quem die 24. Julii, indictionis ejusdem quintæ, idest hujus anni, obiisse adnotat auctor hypomnostici pag. 83. Hic autem Anastasius Abbas, & Sancti Maximi discipulus, non solum inter fidei propugnatores recensetur, sed etiam inter ecclesiasticos scriptores, cujus extat epistola *Ad commune monachorum apud Calarim constitutorum collegium*.

JESU CHR. AN. 652.

3. Maximo, & Anastasio Abbati, alterum Anastasium Romanæ ecclesiæ Apocrysarium addimus, qui etsi, usque ad annum 666. in vita perseveraverit, cum tamen Maximi & Ana-

S. Anastasii Apocrysarii Rom. ecclesiæ certamina.

Jesu Chr. an. 662. & Anastasii alterius passionum socius fuerit, cum iisque pro eadem causa, adversus Monothelitas pro catholica fide certans, martyrium subjerit, ab iis non est sejungendus, ne iterum in idem argumentum redire cogamur; Hunc porro anno 666. obiisse scimus ex nota ad ejusdem epistolam addita, quam Theodosio Presbytero scripsit, qua hæc leguntur. *Obiit autem & ipse sanctus Pater noster, & martyr Anastasius, qui hanc scripsit epistolam die Dominico, hora tertia, quinto idus octobris, cum in sancta collecta diceret Sancta Sanctis, indictione decima*. Eademque de anno, die, & hora, qua sanctus vir in domino obdormivit, narrat auctor hypomnostici his verbis, pag. 81. *Cum & ipse certamine bono certasset, orthodoxam revera fidem servasset, & cursum martyrii consumasset, octobri die undecima, feria prima, hora tertia, cum diceretur inter sancta officia, Sancta Sanctis indictione decima, cum prædixisset & ipse diem sanctæ depositionis suæ quibusdam, qui sibi aderant ante menses tres*. Indictione decima, idest anno 666. eum martyrii palmam promeruisse, his verbis adnotat. *Qui cum conversati fuissent, & perdurassent in hoc sancto & beatissimo, & multarum sudorum certamine*, sæpius in locis asperrimis, cum tribulatione multa translatis confessoribus, subdit. *Alter vero, qui & prior frater, quique Dei donum merito a Domino est vocatus ab eadem sexta indictione, usque ad jam dictam decimam indictionem instantis cycli, idest usque ad sanctissimi Patris; & magistri eorum, ac nostri Anastasii presbyteri sanctam in domino requietionem*, quibus sane verbis indicat Sanctum Anastasium presbyterum, & Apocrisarium anno 666., quo indictio decima inchoata erat, ad Dominum transiisse. Quot quantave pro fide catholica sustinuerit certamina, passiones subjerit, ex dictis supra cum de Maximo, & altero Anastasio verba fecimus satis constat, atque idem ipse in epistola ad Theodosium Presbyterum Gangrensem pluribus persequitur; de rebus autem suis, hæc inter cetera narrat, *Notum igitur facio vobis, quod cum venissemus ad amicorum Christi regionem Gazorum sexto idus Junias quintæ indictionis, statim separaverunt nos ab invicem, præceptione illius, qui tunc præesse his, qui illic erant sorte meruerat, diripientes omnia, usque ad unam acum & filum, quæcumqae ad necessa-*

Anastasii Presbyteri martyrium.

cessarias utilitates. tam ex vobis, quam ex aliis Christi amicis adquisceramus: at quæ Maximo, alteroque Anastasio acciderant prænotatis subdit. *Me autem in altero castro cujus nomen Boculus erat dein post paucos dies sumptis tam me, quam B. Anastasio a prædictis castris, illum quidem miserunt ad castrum nuncupatum Junias*, quem in itinere paulo post obiisse adnotat: *Me autem in castrum quod dicitur Thacyria juxta Hiberiam*, Anastasii deinde monachi, & Maximi obitum subdit, ac ad ea quæ sibi contigerant revertens, addit. *Interea, & quæ mihi peccatori, & exiguo post hæc contigerunt, & in quibus sim, pari modo perpaucis manifestabo. Cum enim fecissem duos menses in castro prædicto Thaciriæ in infirmitate jacens, & pauxillum quid requiem fuissem adeptus, rursus misit me tunc Princeps ad partes Apsiliæ & Misimiamæ, custodiæ mancipandum in castro Phustas. Et ut absolute dicam, septem mensibus duxit, & circumduxit me per omnes prædictas regiones nudum & discalceatum & peditem, & frigore & fame & siti depressum, volens profecto & me quoque ab hac detergere vita. Sed nescio quid super me humili prævidens, qui omnia salubri providentia sua producit, usque nunc conservavit me in hac multarum tribulationum & miseriæ vita*. Deinde post aliqua. *At post annum ex Diabolica operatione motus* (Princeps scilicet loci) *destinat me ad prædictum castrum; sed Deus, qui remetitur his, qui aliis remetiuntur, eadem die qua me pepulit, pulsus est hinc, & efficitur profugus in Christi amatorum regione Abasgorum*, ac variam deinde se fortunam subiisse adnotat, prout mitiori, aut crudeliori mente ii erant, qui iis in locis erant.

Anastasius Codicem gestorum Romæ postulat.

4. Cur vero nemo hactenus ex Gangrensi ecclesia ad se venerit, ut ei consolationem aut levamen ferret, queritur, tandem rogat inter cetera, *ut si possibile fuerit transmitti mihi per quempiam fidelem virum ex his, qui ad Hiberiam veniunt Codicem eorum, quæ canonice gesta sunt a sancta & Apostolica synodo, quæ per sacram præceptionem Sancti martyris, & Apostolici, ac summi Papæ Martini in seniore Roma est celebrata, quatenus multo magis sacra sanctorum Patrum dogmata, & quæ olim, & quæ nunc exortæ sunt hæreticorum abominationes, evidentiores his positis efficiantur. Ergo si ut flagitavi a Deo compuncti sacrum Codicem miseritis. siquidem voluerint qui hunc portaturi sunt, huc venire,* ad

potestate relictis, quos Grimoaldus Beneventum misit, ut rem pluribus narrat Paulus Diaconus, qui addit. *Confirmato itaque Grimoaldus Regno, apud Ticinum, non multo post tempore jam dudum pactam sibi Ariberti Regis filiam, cujus germanum Gundebertum extinxerat, duxit uxorem. Beneventanum vero exercitum, cujus auxilio Regnum adeptus erat, multis ditatum muneribus remisit ad propria; aliquantos tamen habitatores retinuit, largissimas eis tribuens possessiones.*

Jesu Chr. an. 663.

JESU CHRISTI an. 663. Vitaliani Papæ 7. Constantis Imp. 23. Grimoaldi Italiæ Regis 2.

1. Constans interea Imp. cum omnibus, & ubique invisus esset, tum ob patratum fratricidium, cum ob hæresim Monotheliticam, cujus causa in Martinum Pontificem Romanum, in Maximum Abbatem, & socios adeo sœvierat, uti supra adnotavimus; cum inquam non solum ceteris, sed sibi ipsi invisus esset, cujus ob oculos fraternus, & martyrum sanguis ubique obversabatur, ut narrant Cedrenus, aliique historici, de transferenda in Italiam Imperii sede cogitavit. *Hoc anno*, ait Theophanes, *de transferenda Romam Imperii sede Imperator consiliatus, CP relicta Siracusas Siciliæ urbem migravit. Quamobrem misit, qui uxorem suam, tresque liberos Constantinum, Heraclium, atque Tiberium ad se adducerent, sed Bizantii cives eo abire minime passi sunt.* Ægre quippe alibi Imperii sedem transferri tulissent CP. cives, eorumque civitatem urbis regiæ dignitatem ammittere. Quamobrem etsi CPoli excessisset Constans Imp., filiis tamen ejus inde discedere non permiserunt CP. cives.

Constans Imp. in Italiam transit; Romam ingreditur.

2. Imperatoris iter, & adventum Romam, in Vitaliano Papa his verbis Anastasius bibliothecarius describit. *Hujus temporibus Constantinus Augustus*, (idest Constans) *de regia urbe per littoralia Athenas, exinde Tarantum, inde Beneventum, & Neapolim per indictionem sextam, postmodum venit Romam, idest quinta die mensis Julii, feria quarta, indictione supradicta, & occurrit ei obviam Apostolicus cum clero suo miliario sexto ab urbe Roma, & suscepit eum, & ipsa die ambulavit Imperator ad sanctum Petrum ad orationem, & donum ibi obtulit: die Sabbati ad S. Mariam venit, itemque donum obtulit. Dominico die processit ad S. Petrum cum exer-*

Quomodo Romæ a Vitaliano Papa exceptus sit Constans.

Jesu Chr. An. 663. *exercitu suo: omnes cum cereis exierunt obviam ei, & obtulit super altare illius pallium auro textum; & celebratæ sunt Missæ. Item Sabbati die venit Imperator ad Lateranas ædes & lavit se, & ibidem pransus est in basilica Julii. Item Dominico die fuit statio ad sanctum Petrum; & post Missas celebratas, vale fecerunt sibi invicem Imperator & Pontifex. Duodecim dies in civitate Romana perseverans, omnia, quæ erant in ære, ad ornatum civitatis deposuit. Sed & ecclesiam beatæ Mariæ ad Martyres, quæ tecta tegulis æreis erat, discooperuit, & in regiam urbem cum aliis diversis rebus, quas deposuerat, direxit. Et postmodum secunda feria egressus de civitate Romana, reversus Neapolim, inde terreno itinere pergens Rhegium, ingressus est Siciliam per indictionem septimam, & habitavit in civitate Syracusana, & talem afflictionem posuit in populo, seu habitatoribus, vel possessoribus provinciarum Calabriæ, Siciliæ, Africæ, Sardiniæ per diagrapha, seu capita, atque nauticationes per annos plurimos, quales a seculo numquam fuerant, sed & alia multa inaudita perpessi sunt, ut aliqua spes vitæ non remaneret: sed & sacra vasa, vel Cimilia,* sive utensilia, *sanctarum Dei Ecclesiarum Dei auferens, nihil dimisit.* Hucusque Anastasius, quæ autem prosequitur de ejus nece, suo loco dicemus:

Vitaliani Papæ & civium Rom. modestia commendatur.

3. Hic porro admirari lubet tum Vitaliani Papæ, cum Romanorum civium animi modestiam, dum Imperatorem Constantem, tot criminibus fœdatum omni officiorum genere prosequuti sunt, quem potius ecclesiæ ingressu indignum esse suadebant, tum sacrilega fratris Theodosii cœdes, ac persequutio in Martinum Pontificem excitata, quem CP: perductum, deinde Chersonam in exilium ejectum, fame ærumnisque mori coegerat, At cum prima charitatis lex sit, ecclesiæ utilitatem. & animarum salutem quærere; hinc factum, ut cum aliqualem catholici Imperatoris speciem præferret, larvamque pietatis Romæ subsistens retineret Constans ne penitus Orientalem inter, & Occidentalem ecclesiam communio scinderetur ecclesiastica, voluit Vitalianus Papa silere disciplinam, Apostoli Pauli monitum sequens, *Multa mihi licent, sed non omnia expediunt.* Nec ipsum Vitalianum sua spes fefellit, nam attributa Constanti Imp. communione, cum eo Orientalis quoque ecclesia cum Occidentali communio-

nionem inire visa est, hacque semel aperta via, Constantinus Pogonatus, Constantis filius & in Imperio successor, ad ipsam Monotheliticam hæresim extirpandam, Œcumenico concilio congregato, operam studiumque suum contulit, uti infra dicturi sumus.

Constans Imp. Beneventum invadere frustra tentat.

4. Hæc eadem in historia Longobardorum recensens Paulus diaconus, multa ab Anastasio prætermissa de Constantis Imp. gestis in Italia adnotat, ac in primis solitarium quemdam, qui profetiæ spiritum habere dicebatur interrogasse. *Utrum gentem Longobardorum, quæ in Italia habitabat superare & obtinere posset*. Is vero spatium unius noctis postulans, ut Deum consuleret, mane facto respondit. *Gens Longobardorum superari modo aliquo non potest, quia Regina quædam ex alia provincia veniens, basilicam beati Joannis Baptistæ in Longobardorum finibus construxit, & propter hoc ipse beatus Joannes pro Longobardorum gente continue intercedit. Veniet autem tempus, quando ipsum oraculum. habebitur despectui, & tunc gens ipsa peribit. Quod nos ita factum esse probavimus; quia ante Longobardorum perditionem, eamdem beati Joannis basilicam, quæ utique in loco, qui Modicia dicitur, est constituta, per viles personas ordinari conspeximus: ita ut indignis & adulteris, non pro vitæ merito, sed præmiorum datione iisdem locus venerabilis largiretur*. Hæc Paulus Diacouus, qui inanes Constantis conatus in Beneventana obsidione prosequenda addit, cum tamen Grimoaldus Longobardorum Rex, cum valido exercitu Beneventum properaret: Constans Imperator, accepta obside Romoaldi sorore Gisa, pacem cum eo fecit, & Neapolim profectus est, ubi non semel cum exercitu egressus, sæpe etiam a Longobardis victus est, ut capite nono, & decimo idem narrat Paulus diaconus, quem tamen in gratiam Longobardicæ gentis, cujus historiam texebat, victorias exagerasse suspicatur Muratorius; Hæc autem gesta fuisse antequam Constans Romam ingrederetur, adnotat Paulus Diaconus, etsi nonnulla cum ab ea discessit, accidisse sciamus, atque a septima indictione, idest ab anno 664. usque ad duodecimam, in Sicilia substitisse addit.

Jesu Chr. an. 664.

JESU CHRISTI an. 664. Vitaliani Papæ 8. Constantis Imp. 24. Grimoaldi Italiæ Regis 3.

De Paſchatis feſto quæſtio in Anglia agitur.

1. Cum in provinciis mediterraneorum Anglorum, Northumbrorum, & Merciorum antiquus Scotorum, & Britonum mos, ſive error circa Paſchatis celebrationem, plurimis in locis adhuc vigeret, ut aliquando cum Iudæis Paſcha celebrarent, quando ſcilicet cum Dominica die,luna decimaquarta concurrebat, alii vero Romanæ, ac Occidentalis eccleſiæ morem ſequerentur, eaque de cauſa, de Paſchalis feſto, de clericorum tonſura, aliiſque levioris momenti ritibus inter ſe diſſiderent, Epiſcopis æque ac Regi Oſvvio placuit, ut congregatis in unum, utriuſque partis Epiſcopis, collationem inter ſe haberent, ut ſi fieri poſſet, quorum una erat fides, una quoque omnibus eſſet eccleſiæ diſciplina. Diverſam a Romana eccleſia in Paſchatis celebratione apud antiquos Britones, & Scotos diſciplinam viguiſſe alias ſupra adnotavimus, quos quidem tum Auguſtinus Anglorum Apoſtolus, cum Laurentius ejus ſucceſſor, datis litteris, ut Romanum ritum ſequerentur, fruſtra hortati ſunt. Honorius quoque Papa, & poſt ejus obitum clerus Romanus in eamdem rem litteras dederunt. At eorum plurimi, ac præcipue Septemtrionales Scoti antiquum ritum & errorem non ſolum ad hanc uſque ætatem, ſed etiam uſque ad initium ſeculi octavi retinuerunt.

Scoti a Romano ritu in Paſchatis feſto diſſident.

2. Interea de geſtis hoc tempore, & hoc anno hæc narrat Beda. *His temporibus quæſtio facta eſt frequens & magna de obſervatione Paſchæ, confirmantibus eis, qui de Cantia, vel de Galliis advenerant, quod Scoti Dominicum Paſchæ diem contra univerſalis Eccleſiæ morem celebrarent. Erat in his acerrimus veri Paſchæ defenſor, nomine Ronam, natione quidem Scotus, ſed in Galliæ vel Italiæ partibus regulam Eccleſiaſticæ veritatis edoctus: qui cum Finano* Scoto Epiſcopo *confligens, multos quidem correxit, vel ad ſolertiorem veritatis inquiſitionem accendit, nequaquam tamen Finanum emendare potuit; quin potius, quod eſſet homo ferocis animi, acerbiorem caſtigando, & apertum veritatis adverſarium reddidit. Obſervabat autem Jacob Diaconus quondam (ut ſupra docuimus) venerabilis Archiepiſcopi Paulini, verum & Ca-*

& Catholicum Pascha cum omnibus, quos ad correctionis viam erudire poterat. Observabat & Regina Eanfeld cum suis juxta quod in Cantia presbyterum Catholicæ observationis, nomine Romanum. Unde nonnumquam contigisse fertur illis temporibus, ut bis in anno uno Pascha celebraretur; & cum Rex Pascha Dominicum solutis jejuniis faceret, tunc Regina cum suis persistens adhuc in jejunio, diem Palmarum celebraret. Collatio autem habita est in monasterio, *cui tunc Hilda Abbatissa præfuit* ait Beda, ac ex monasterii nomine Pharensis synodus dicta est, cui adfuerunt Osvvius Rex, & Alchifridus ejus filius, quorum primus, nempe Pater Scotos in celebrando Paschate sequebatur, Alchifridus vero Romanum ritum, utpote qui Vilfridum catechistam habuisset, qui Romæ primum, deinde in Galliis, ecclesiasticam didicerat disciplinam; collationem autem potius, quam synodum dicimus, cum in ea de propositis quæstionibus disputatum tantummodo sit.

JESU CHR. AN. 664.

3. Cum itaque in unum congregati essent. *Venerunt illo*, ait Beda, *Reges ambo pater scilicet & filius; Episcopi Colmam cum clericis suis de Scotia, Agilbertus cum Agathone, & Vvilfrido presbyteris, Jacobus & Romanus in horum parte erant: Hilda Abbatissa cum suis in parte Scotorum, in qua erat etiam venerabilis Episcopus Cedda, jamdudum ordinatus a Scotis, ut supra docuimus, qui & interpres in eo Concilio vigilantissimus utriusque partis extitit. Primusque Rex Osvvi præmissa præfatione, quod oporteret eos, qui uni Deo servirent, unam vivendi regulam tenere, nec discrepare in celebratione sacramentorum cœlestium, qui unum omnes in cœlis regnum expectarent, inquirendum potius, quæ esset verior traditio, & hanc ab omnibus communiter esse sequendam. Jussit primo dicere Episcopum suum Colmanum, qui esset ritus, & unde originem ducens ille, quem ipse sequeretur. Tunc Colmanus: Pascha, inquit, hoc quod agere soleo, a majoribus meis accepi, qui me huc Episcopum miserunt, quod omnes patres nostri viri Deo dilecti eodem modo celebrasse noscuntur, quod ne cui contemnendum & reprobandum esse videatur, ipsum est quod beatus Evangelista Joannes, discipulus specialiter Domino dilectus, cum omnibus, quibus præerat Ecclesiis, celebrasse legitur. Quo hæc, & his similia dicente, jussit Rex & Agilbertum proferre in medium* mo-

Collationis summa exponitur.

JESU CHR. AN. 664. *morem suæ observationis unde initium haberet, vel qua hunc auctoritate sequeretur. Respondit Agilbertus: Loquatur, obsecro, vice mea discipulus meus Vuilfrid presbyter: quia unum ambo sapimus cum ceteris, qui hic assident, Ecclesiasticæ traditionis cultoribus, & ille melius ac manifestius ipsa lingua Anglorum, quam ego per interpretem, potest explanare, quæ sentimus. Tunc Vuilfrid, jubente Rege, ut diceret, ita exorsus. Pascha quod facimus, inquit, vidimus Romæ, ubi beati Apostoli Petrus & Paulus vixere, docuere, passi sunt & sepulti, ab omnibus celebrari: hoc in Italia, hoc in Gallia, quas discendi vel orandi studio pertransivimus, ab omnibus agi conspeximus: hoc Africam, Asiam & Ægyptum, Græciam, & omnem orbem, quacumque Christi Ecclesia diffusa est, per diversas nationes ac linguas, uno ac non diverso temporis ordine geri comperimus: præter hos tantum & obstinationis eorum complices, Pictos dico, & Britones, cum quibus de duabus ultimis Oceani insulis, his non totis, contra totum orbem stulto labore pugnant.* His respondit Colmanus, se mirari, quod exemplum Joannis Apostoli sequentes, stulto labore pugnare dixisset Vualfridus; At is addidit Iudæis nonnulla tunc temporis Joannem concessisse, quæ temporis tractu illicita devenerunt, atque in Paschatis celebratione disciplinam a Petro Apostolo Romanis traditam, a veteribus per totum orbem servatam, & a Nicæno concilio confirmatam, præferendam esse adnotavit. His tamen Colmanus adhuc resistens Anatolium Alex. olim Episcopum sententiæ Scotorum, & suæ favere dixit, cui Valsridius se nequaquam Anatolii cyclos intellexisse reposuit. Ad Colombæ vero, seu Colombani auctoritatem, quæ apud Colmanum, & Scotos maximi ponderis erat, tanti eam non esse faciendam dixit Vualfridius, ut totius orbis disciplinæ comparari, aut præferri posset, orationemque suam his verbis clausit. *Tu autem, & socii tui, si audita decreta sedis Apostolicæ, immo universalis ecclesiæ, & hæc litteris sacris confirmata sequi contemnitis, absque ulla dubietate peccatis. Etsi enim patres tui sancti fuerunt, numquid universali, quæ per orbem est, Christi Ecclesiæ, horum est paucitas una de angulo extremæ insulæ præferenda; Et si sanctus erat ac potens virtutibus ille Columba vester, immo & noster, si Christi erat, num præferri potuit Beatissimo Apostolorum Principi, cui Dominus ait:*

ait: *Tu es Petrus*, & *super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*, & *portæ inferi non prævalebunt adversus eam*; & *tibi dabo claves regni cælorum*? hucusque disputatio de Paschatis quæstione.

Collationis exitus, quo Scoti veritati cedunt.

4. Quis autem collationis exitus fuerit, his verbis Beda refert. *Hæc perorante Vvilfrido, dixit Rex*: *Vere ne, Colmane, hæc illi Petro dicta sunt a Domino*? *Qui ait*: *Vere, Rex*. *At ille*: *Habetis*, *inquit*, *vos proferre aliquid tantæ potestatis vestro Columbæ datum*? *At ille ait*; *Nihil*. *Rursum autem Rex*: *Si utrique vestrum*, *inquit*, *in hoc sine ulla controversia consentiunt*, *quod hæc principaliter Petro dicta*, & *ei claves regni cælorum sint datæ a Domino*? *Responderunt etiam utrique*. *At ille ita conclusit*: *Et ego vobis dico*: *Quia hic est ostiarius ille*, *cui ego contradicere nolo*: *sed in quantum novi*, *valeo*, *hujus cupio in omnibus obedire statutis*: *ne forte*, *me adveniente ad fores regni cælorum*, *non sit*, *qui reserat*, *averso illo*, *qui claves tenere probatur* &c.

Colmanus Episcopatum abdicat, & in Scotiam redit.

5. Collatione soluta *Agilbertus domum rediit*, subdit Beda, idest in Gallias, *Colman videns spretam suam doctrinam*, *sectamque esse despectam*, *assumptis his*, *qui se sequi voluerunt*, *idest*, *qui Pascha Catholicum* & *tonsuram coronæ* (*nam* & *de hoc quæstio non minima erat*) *recipere nolebant*, *in Scotiam regressus est tractaturus cum suis*; *quid de his facere deberet*. *Ceda*, *relictis Scotorum vestigiis*, *ad suam sedem rediit*, *utpote agnita observatione Catholica Paschæ*. *Facta est autem hæc quæstio anno Dominicæ Incarnationis sexcentesimo sexagesimo quarto*, *qui fuit annus Osvvi Regis vigesimus secundus*; *Episcopatus autem Scotorum*, *quem gesserunt in provincia Anglorum*, *annus trigesimus*: *siquidem Aidam decem* & *septem annis*, *Finam decem*, *Colmam tribus Episcopatus tenuere*; *Reverso autem in patriam Colmano*, *suscepit pro illo Episcopatum Nordthumbrorum famulus Christi Tuda*, *qui erat apud Scotos Austrinos eruditus atque ordinatus Episcopus*, *habens juxta morem provinciæ illius coronam tonsuræ Ecclesiasticæ*, & *catholicam temporis Paschalis regulam observans*. *vir quidem bonus ac religiosus*, *sed permodico tempore Ecclesiam regens*. Quomodo autem iterum de eadem quæstione disputatum sit, suo loco dicturi sumus.

Pestis in Anglia grassatur, Egbertus divinitus a peste liberatur.

6. *Eodem anno Dominicæ Incarnationis* 664. *facta est Eclypsis solis die tertio mensis Maii*, *hora circiter decima diei*.

JESU CHR. AN. 664.

diei, ait Beda, *quo etiam anno subita pestilentia luet, depopulatis prius Australibus Britaniæ plagis, Nordhumbrorum quoque provinciam corripiens, atque acerba clade diutius longe lateque desæviens, magnam hominum multitudinem stravit, qua plaga præfatus Domini Sacerdos Tuda raptus est de Mundo*. Cum eo quamplurimi sanctitate insignes viri abrepti sunt, atque ex his Sanctus Ceddus, seu Cedda Londinensis Episcopus, dum Northumbriam de more visitaret, & monasterium, quod ibi nuper fundaverat, ut narrat Beda lib. 3. capite 23:, cujus memoria die septima Januarii recolitur; de quo ibidem apud Bollandum plura videri possunt: Dei tamen benignitate factum est, ut Ecbertus quidam nobilis Anglus, & monachus illœsus abiret, iis ecclesiis multum profuturus, de quo hæc adnotat Beda. *Ecbertus, sicut mihi referebat quidam veracissimus, & venerandæ canitiei Presbyter, qui hæc se ab ipso audisse perhibebat, cum se existimaret esse moriturum*. Deum precatus est, ut ab imminenti periculo eriperetur, cumque paulum se somno dedisset, excitavit eum frater ejus Edilhunus, eique dixit. *Frater Ecgberte, quid fecisti? Sperabam quia pariter ad vitam æternam intraremus: Verumtamen scito quia quæ postulasti accipies. Didicerat enim per visionem, & quid ille petiisset, & quia petita impetrasset. Quid multa? ipse Edilhunus proxima nocte defunctus est. At vero Ecgbertus decussa molestia ægritudinis convaluit, ac multo post tempore vivens, acceptumque sacerdotii gradum condignis ornans actibus, post multa virtutum bona, ut ipse desiderabat, nuper idest, anno Dominicæ Incarnationis septingentesimo vigesimonono, cum esset ipse annorum nonaginta, migravit ad regna cœlestia. Duxit autem vitam in magna humilitatis, mansuetudinis, continentiæ, simplicitatis, & justitiæ perfectione. Unde genti suæ & illis, in quibus exulabat, nationibus Scotorum sive Pictonum, & exemplo vivendi, & instantia docendi, & auctoritate corripiendi, & pietate largiendi de his, quæ a divitibus acceperat, multum profuit &c.*, profuit quidem multum, ut monachos ab errore Paschatis emendatos, ad Catholicam restitueret observantiam.

Ercombertis Regis Cantiorum obitus.

7. Hoc quoque anno Ercombertus Cantiorum Rex mortuus est, *pridie iduum Juliarium*, ait Beda; ac Ecgbertum filium Regni successorem reliquit, qui una cum Osvvio Orien-

Orientalium Saxonum Rege, conjunctus legationem anno sequenti ad Vitalianum Romanum Pontificem misit, cujus quisnam scopus, aut exitus fuerit, suo loco dicturi sumus. Jesu Chr. An. 664.

8. Hoc etiam tempore & anno Vidhelmus Orientalium Saxonum in Anglia Rex vivere desiit, cujus Regni partem cum Sigberus obtinuisset, alteram vero frater ejus Vultherus; cum ea provincia dira lue premeretur, Sigberus ad Idola confugit, ab iis se a mortalitate eripiendum esse sperans, quem paulo post ad christianam fidem, cum populo suo rediisse, his verbis narrat Beda. *Eodem tempore provinciæ Orientalium Saxonum post Guidelmum præfuere Reges Sighere, & Sebbi, quamvis ipsi Regi Merciorum Vulfhere subjecti. Quæ videlicet provincia cum præfatæ mortalitatis clade premeretur, Sighere cum sua parte populi, relictis Christianæ fidei sacramentis, ad apostasiam conversus est. Nam & ipse Rex, & plurimi de plebe, sive optimatibus, diligentes hanc vitam, & futuram non quærentes, sive etiam non esse credentes, cœperant Fana, quæ derelicta erant, restaurare, & adorare simulacra, quasi per hæc possent a mortalitate defendi. Porro socius ejus & cohæres regni ejusdem Sebbi magna, fidem perceptam cum suis omnibus, devotione servavit, & magna (ut in sequentibus dicemus) vitam fidelem felicitate complevit. Quod ubi Rex Wulfere comperit, fidem videlicet provinciæ ex parte profanatam: misit ad corrigendum errorem, revocandamque ad fidem veritatis provinciam Jarumanum Episcopum, qui successor erat Tsumbere: qui multa agens solertia (juxta quod mihi presbyter, qui comes itineris illi & cooperator verbi extiterat, referebat: erat enim religiosus & bonus vir) longe lateque omnia pervagatus, & populum, & Regem præfatum ad viam justitiæ reduxit: adeo ut, relictis sive destructis Fanis, arisque quas fecerant, aperirent Ecclesias; ac nomen Christi, cui contradixerant, confiteri gauderent, magis cum fide resurrectionis in illo mori, quam in perfidiæ sordibus inter idola vivere cupientes, Quibus ita gestis, & ipsi sacerdotes, doctoresque eorum domum rediere lætantes.* At de rebus Anglicanæ Ecclesiæ hactenus. Vilhelmi Regis obitus.

9. Bertharidum Ariberti Italiæ, Longobardorum Regis filium, post fratris Godeberti necem a Grimoaldo illatam, ad Caghanum Avarum ducem in Pannonia aufugisse anno 662. diximus, quem Grimoaldus compositis Italiæ rebus Bertharid Grimoaldum convenit, in Gallias aufugit.

Jesu Chr. an. 664. bus inde etiam expulit, ad Chaganum quippe *per legatos mandavit, si Berthariдum in suo regno detineret, pacem, quam Longobardis, & secum hactenus habuerat, deinceps habere non posset*. Quare Avarum Rex Berthariдo dixit, ut inde abiret, ne cum Longobardis inimicitias contraheret, Berthariд vero incertus quo abiret, Grimoaldum ipsum adiit, ejusque se fidei commisit, ad eumque ingressus, *cum ejus se vestigiis advolvere conatus esset, Rex eum clementer retinuit, atque ad os suum ad osculumque erexit*, eique jurejurando promisit, ut cum in sua se fide commisisset, nihil mali timeret, quin in spatiosa domo habitare, & ut largius cuncta ad victum necessaria præberentur, jussit; at hospitio receptus, inde vix salvus fuga Berthariд in Gallias excessit; cum etenim Ticinenses turmatim ad eum salutaturi convenissent, tanta in eum invidia, quasi Regnum Grimoaldo jamjam erepturus esset, conflata est, ut eum eadem nocte interficiendum Grimoaldus jusserit, quare de insidiis sibi paratis Berthariд edoctus, Hanulphi, & vestiarii servorum opera, e fune per muros Ticinenses eductus cum sociis aliquot: *Arreptis, quos in pastu invenerat equis, eadem nocte ad Astensem properant civitatem, in qua Berthariдi amici manebant, deinde Berthariдus quantocius Taurinensem urbem petens, ac post claustra Italiæ transgressus, Francorum ad Patriam pervenit*. Post annos aliquot, cum firmissima pax inter Dagobertum, & Longobardos constituta esset, *Berthariдus etiam apud Francorum patriam constitutus metuens, egressus e Gallia ad Britanniam insulam, Saxonumque Regem properare disponit*, ait Paulus diaconus, qui capite sequenti subdit, quod cum iter in Britanniam ageret, repente revocatus est, ut paternum Longobardorum Regnum obtineret, ut suo loco dicturi sumus; Miro autem & inusitato modo, eum e Grimoaldi insidiis, ereptum fuisse loco supracitato capite 2. narrat idem Paulus.

JESU CHRISTI ANNUS 665. VITALIANI PAPÆ 9.
COMSTANTIS IMP. 25. GRIMOALDI ITALIÆ REGIS 4.

Pestis in Italia grassatur.

1. Pestiferam luem Angliam vastasse anno proximo diximus, eamdemque pestilentiam hoc anno in Italiam transiisse, indicat Beda, de legatione quippe ab Osvvio Nordhumbro-

brorum Rege, & Ecberto Cantuariorum ad Vitalianum Papam hoc anno missa, agens, qua Vighardum Presbyterum, miserant cum sociis, ut eum Archiepiscopum Dorovernensem sive Cantuariensem in locum Deusdedit, anno proximo ab ingruente peste e vivis erepti, ordinaret, statim hæc subdit. *Qui ubi Romam pervenit, cui sedi Apostolicæ tempore illo Vitalianus præerat, postquam itineris sui causam præfato Papæ Apostolico patefecit, non multo post & ipse, & omnes pene, qui cum eo advenerant socii, pestilentia supervenientе deleti sunt.* Jesu Chr. an. 665.

2. Litteræ quidem ab Anglorum Regibus ad Vitalianum Papam datæ, ac a Vighardo delatæ desiderantur, at ex Vitaliani Papæ epistola ad Osvvium Regem scripta, quid ea continerent, satis apparet, eos scilicet non solum Episcopum ab Romano Pontifice ordinatum postulasse; sed etiam ac in Paschatis celebratione, de qua anno proximo in Anglia disputatum fuerat, in ceteris ecclesiæ ritibus, se Romanam ecclesiam sequi velle testati sunt, Unde exultans Vitalianus Papa hæc præfatur. *Desiderabiles litteras excellentiæ vestræ suscepimus, quas relegentes cognovimus ejus piissimam devotionem, ferventissimumque amorem, quem habet propter beatam vitam: & quia dextera Domini protegente, ad veram & Apostolicam fidem sit conversus, sperans, sicut in sua gente regnat, ita & cum Christo in futuro conregnare. Benedicta igitur gens, quæ talem sapientissimum & Dei cultorem promeruit habere Regem: quia non solum ipse Dei cultor existit, sed etiam omnes subjectos suos meditatur die ac nocte ad fidem Catholicam atque Apostolicam pro suæ animæ redemptione converti. Quis enim audiens hæc suavia, non lætetur? Quis non exultet & gaudeat in his piis operibus? quia & gens vestra Christo omnipotenti Deo credit? secundum divinorum prophetarum voces, sicut scriptum est in Esaia: In die illa radix Jesse, qui stat in signum populorum ipsum Gentes deprecabuntur.* Post aliqua. *Quamobrem*, inquit, *oportet vestram celsitudinem utpote membrum existens Christi in omnibus piam regulam sequi perenniter Principis Apostolorum, sive in Pascha celebrando, sive in omnibus quæ tradiderunt SS. Apostoli Petrus & Paulus: quia ut duo luminaria cœli illuminant mundum, sic doctrina eorum corda hominum quotidie illustrat credentium.* Et post nonnulla, quibus de celebrando

Legatio ex Anglia ad Vitalianum Papam missa, & epist. Vitaliani ad Osvium Regem.

Jesu Chr. an. 665. do per orbem universum Paschate loquitur : *Hominem denique*, inquit, *docibilem, & in omnibus ornatum Antistitem secundum vestrorum scriptorum tenorem minime valuimus nunc reperire pro longinquitate itineris. Profecto enim dum hujusmodi apta reperta persona fuerit, eum instructum ad vestram dirigemus patriam, ut ipse & viva voce & per divina oracula omnem inimici zizaniam ex omni vestra insula cum divino nutu eradicet. Munuscula a vestra celsitudine beato Principi Apostolorum directa pro æterna ejus memoria suscepimus, gratiasque ei agimus, ac pro ejus incolumitate jugiter Deum deprecamur cum Christi clero*: quæ autem fuerint ista munera, Beda inferius ait, fuisse vasa aurea, & argentea non pauca. Pergit vero Vitalianus: *Itaque qui hæc obtulit munera, de hac subtractus est luce, situsque ad limina Apostolorum: pro quo valde sumus contristati, cum hic esset defunctus. Verumtamen gerulis harum nostrarum litterarum vestris Missis & beneficia SS. Martyrum, hoc est, reliquias BB. Apostolorum Petri & Pauli, & SS. Martyrum Laurentii, Joannis, & Pauli, & Gregorii, atque Pancratii eis fecimus dari, vestræ excellentiæ profecto omnes contradendas. Nam & conjugi vestræ nostræ spirituali filiæ direximus per præfatos gerulos Crucem, clavem auream habentem de sacratissimis vinculis beatorum Apostolorum Petri & Pauli: de cujus pio studio cognoscentes, tantum cuncta Sedes Apostolica una nobiscum lætatur, quantum ejus pia opera coram Deo flagrant & vernant.* Ac ut in incœptis perseveraret, Vitalianus hortatnr, qui etiam sollicite virum aptum, quem in Angliam mitteret, exquirens, tandem nactus est virum egregium doctrina, & moribus insignem, Theodorum scilicet Tarsensem, eum Episcopum ordinatum cum Hadriano itineris duce in Angliam biennio post misit, ut anno 668. dicturi sumus.

Vvilfridus Episcopus Eboracensis ordinatur.

3. Colmanum Eboracensem Episcopum post collationem de Paschatis festo habitam, in Scotiam rediisse, anno proximo diximus, eique ecclesiæ Vilfridus qui in ea collatione primas partes egerat, ac pro Romano servando ritu egregie disputaverat, suffectus est, cum neminem eo digniorem Oswius Cantiorum Rex, ejusque filius Alfridus, invenissent. Hinc Eddius in vita S. Vilfridi cap. 11. *Reges deinde consilium cum sapientibus suæ gentis post spatium* (unius circiter anni) *injerunt, quem eligerent in sedem vacan-*

tantem Responderunt omnes uno consensu, neminem habemus meliorem, & digniorem nostræ gentis, quam Vilfridum presbyterum & Abbatem, . . . tunc quoque consenserunt Reges, & omnis populus huic electioni, quem annorum triginta tunc fuisse adnotat: Solus Vilfridus indignitatem suam obtendens huic restitit electioni, at coactus aliorum votis obsequi, non aliter tamen consensit, quam ut a catholicis Episcopis ordinaretur, petit proinde ut Britonibus, & Scotis prætermissis, quos, ob Paschatis festum, luna 14. celebrantes, in suam communionem Apostolica Sedes non admittebat, liceret sibi mare trajicere, ut ab Gallicanis Episcopis ordinaretur, petitione ejus ab Rege probata, cum multo apparatu in Gallias transiit. *Ibique statim conventio magna facta est, non minus quam duodecim Episcoporum catholicorum, e quibus unus erat Ægelbertus Episcopus, qui eum propter fidem suam indicatam, gratanter & honorifice coram omni populo publice ordinaverunt, & in sella aurea sedentem more eorum sursum elevaverunt, portantes in manibus soli Episcopi intra oratoria, nullo alio attingente, hymnosque & cantica in choro canentes*, ait auctor vitæ ejus, eique consentit Beda, dum ait Vilfridum ab Agilberto Parisiensi consecratum fuisse: Ad hunc porro Eddii locum in vita Vilfridii, adnotat Mabillonius, Episcopos recenter ordinatos sella aurea Episcoporum humeris per Oratoria in Galliis delatos fuisse. Sella autem aurea Imperatores primo, deinde Consules utebantur, eorumque exemplo temporis tractu in Episcoporum ordinatione adhibita, quos etiam ex Consulibus dyptica mutuasse alias adnotavimus. *Vilfridi ordinatio facta est desinente anno 664., aut sequente ineunte, ait Mabillonius*; At etsi tanto consensu electus esset Vilfridus, tantaque solemnitate ordinatus; Eboracensis nihilominus ecclesiæ administrationem nequaquam obtinuit, nam dum moras in Galliis trahit, Oswius Rex, moræ impatiens, servum Dei religiosissimum Ceaddam accersivit ex Hibernia, eumque Eboracæ civitatis Episcopum ordinari curavit. Quare Vvilfridus in Britanniam reversus, etsi factum ægre tulisset, regiæ tamen potestati cedere coactus, in suum Ripense monasterium, retenta Episcopi dignitate & nomine, secessit, cujus etiam munera non semel exercuit, invitatus tum a Visario Merciorum Rege, cum ab Rege Cantuariarum, ut iis in regnis Episcopalia munera, & or-

Jesu Chr. an. 665.

Jesu Chr. an. 666. & ordinationes præcipue perageret, uti adnotat Mabillonius loco supracitato. Tempus rei gestæ, causamque cur Vvilfridus Eboracensem sedem post ordinationem non obtinuerit, narrat Beda lib. 3. 28, & lib. 5. 20.

JESU CHRISTI AN. 666. VITALIANI PAPÆ 10. CONSTANTIS IMP. 26. GRIMOALDI ITALIÆ REGIS 5.

Petri CP Episcopi obitus, eique Thomas succedit.

1. Hoc anno Petrus CP. Episcopus, cum annos duodecim, ut narrat Nicephorus, aliique Græci scriptores, eam ecclesiam administrasset, vivere desiit. Hinc Tarasius actione secunda sextæ synodi de Monothelitarum hæresi agens, ajebat. *A Petro usque ad sextam synodum, non plures anni transierant, quam quindecim; quinque intermedio eo tempore Pontifices fuerunt, Thomas, & Joannes, & Constantinus a prædictis hæreticis fuerant ordinati, nec propterea reprobati sunt.* Quare cum synodus anno 680. celebrata fuerit, hoc anno Petrus extinctus est, ex quo ad annum 680. quindecim intercurrunt. Hic porro Petrus inter Monothelitas recensetur, ac persecutionis adversus catholicos excitatæ, ac præcipue adversus Maximum, ejusque socios auctor & instigator; Petro successit Thomas, quem catholicum fuisse Terasius loco supracitato indicat, Œcumenica synodus sexta testatur, sicuti & catholici fuerunt Thomæ successores Joannes, & Constantinus, ut ex dicendis infra constabit.

Thomæ epist. synodica ad Vitalianum Papam.

2. Thomas autem CPoli Patriarcha ordinatus, ut Apostolicæ & Romanæ ecclesiæ communionem promereretur, synodicam epistolam cum professione catholicæ fidei, ut moris erat, ad Vitalianum Pontificem mittere destinaverat; quod tamen ob ingruentem Seracenorum irruptionem exequi non potuit, sicuti in sexta synodo sessione 14. legitur; cum etenim judices Georgio Chartophylacio dixissent, ut si quas Petri quondam Episcopi chartas haberet, proferret, Georgius dixit: *Codicillus domine sive regestum, in quo continentur exemplaria synodicorum, quæ facta sunt tam a Thoma, Joanne, & Constantino sanctæ memoriæ quondam patriarchis hujus regiæ urbis, hic mihi præsto est: eum his & authentica synodica bullata, quæ facta sunt a Thoma sanctæ memoriæ quondam patriarcha ad Vitalianum sanctæ memoriæ quondam Papam Romanum, quæ etiam volens ad eum di-*

dirigere, propter impiorum Saracenorum incursum assidue imminentem, ut nostis, & objectionem, quæ facta est per biennium, quo gessit episcopatum, non valuit dirigere, & hæc ergo statim vobis jubentibus profero. Cumque Codicem obtulisset. *Accipiens Agatho religiosus lector & notarius* CP. ecclesiæ, *synodicum authenticum sanctæ memoriæ Thomæ bullatum, & coram omnibus bullam, quæ in eo pressa fuerat, auferens relegit, habens in subscriptione ita. Per omnia sanctissimo ac Beatissimo fratri, & consacerdoti domino Vitaliano, Thomas indignus Episcopus in domino salutem*: epistolæ autem initium hoc erat. *Qui cuncta ex nihilo quidem, ut existerent protulit &c.*,

Maurus Ravennatensis Episc. adversus Vitalianum Papam rebellis.

3. Hoc tempore Maurus Ravennatensis Episcopus, Exarchi potentia, & protectione fretus, adversus Vitalianum Pontificem rebellis factus, debitam Romanæ ecclesiæ obedientiam, quam prædecessores sui, ceterique Orbis Episcopi exhibuerant, præstare renuit, quare a Vitaliano admonitus, ut ad saniora consilia rediret, ac Romam vocatus, ut causam diceret, cum renuisset, ac in schismate perseveraret, tandem anathemate percussus est; nihil tamen melior factus, eo vesaniæ devenit, ut Vitaliano vicem reddere volens, adversus eum anathematis sententiam dixit, in eaque pervicacia ad obitum usque perseveravit, ut in vita Episcoporum Ravennatensium, narrat Agnellus, & Dernbeis in historia Ravennatensi. Nec solum Exarchi protectione innixus, hæc adversus Romanam ecclesiam præsumpsit Maurus, sed Constantis etiam Imperatoris rescripto suam Autocephaliam, & independentiam ab omni potestate, & præsertim ab antiquioris Romæ Patriarcha confirmari curavit; Cum etenim tum Vitalianus Papa, cum Maurus Constantis Imp., qui tum in Sicilia morabatur, in suæ causæ tutelam, patrocinium implorassent, Constans Imp., qui pejora semper elegit, Mauri defensionem suscepit, ac Gregorio Exarcho commendavit, qui Theodoro Calliopæ per hæc tempora successerat, ac rescripto suo, omnem ecclesiæ œconomiam, & disciplinam subvertens, Romano Pontifici nequaquam subditam esse Ravennatensem ecclesiam, edixit, ac datum dicitur *Kalen. Martii Siracusis Imperantibus DD. NN. piissimis perpetuis Augustis majore Imperatore*, (idest Constante, *anno* 25. post Coss. *anno XIV.* seu potius *XXIII.*. *Atque novo Constantino Heraclio, & Tiberio a Deo*

Jesu Chr. an. 666.

a Deo conservatis filiis, Constantini quidem anno XIV., & Tiberio VII., hi autem characteres labentem annum 666. indicant, ait Muratorius, qui Constantis diploma in Estensi bibliotheca extare adnotat.

Concilium Emeritense, ejusque canones.

4. Concilium Emeritense in Lusitania hoc anno celebratum est, ut concilii præfatio his verbis indicat. *Synodus quæ gesta est in provincia Lusitaniæ apud urbem Emeritensem, quæ caput ejus esse dignoscitur, duodecim Episcopis in unum collectis, die octava iduum Novemb., anno 18. Serenissimi & piissimi Reccesvinthi Regis æra* 704., quæ cum labenti anno concurrit, sicuti etiam annus 18. Reccesvinthi Regis; Canones in eo vigintitres editi sunt, quibus ecclesiastica disciplina instauratur; ac Episcopi, ut muneri suo diligenter satisfaciant, admonentur: Presbyteri vero, Diaconi, & monachi etiam, ecclesiæ canones violantes debitis pœnis subjiciuntur; Tertio canone Sacerdotes, ut Regi dum in bello detineretur, opem ferrent, his verbis admonet. *Instituit hoc sanctum concilium, ut quandocumque cum causa progredi fecerit contra suos hostes, unusquisque nostrum in Ecclesia hunc teneat ordinem; ita ut omnibus diebus per bonam dispositionem sacrificium omnipotenti Deo pro ejus, suorumque fidelium, atque exercitus sui salute offeratur, & divinæ virtutis auxilium impetretur: ut salus cunctis a Domino tribuatur, & victoria illi ab omnipotenti Deo concedatur. Tamdiu hic ordo tenendus est, quamdiu cum divino juvamine ad suam redeat sedem: Quisquis hujus institutionis modum implere distulerit, sciat se a suo Metropolitano esse excommunicatum*: Hæc de his Synodus. Sed & illud recens institutum est canone quinto, ut Presbyteri tantum ab Episcopis, impedimento aliquo detentis, Vicarii in Concilium mitterentur, iisdemque sedere a tergo Episcoporum concederetur, Diaconis autem nullo modo. Fuit & illud salubriter decretum, ne quis defuncto Episcopo quoquo modo detraheret, sed gravibus plecterentur pœnis, qui secus egerint: de his extat canon decimusseptimus, in quo hæc post alia leguntur. *Instituentes igitur decernimus, ut nullus subjectus decedentem detrahat Episcopum: nullus de eo deroget, nec malum quidquam loquatur. Si quis talia deinceps facere præsumpserit: si Presbyter fuerit, tribus mensibus ab Episcopo suo sub pœnitentia religatus maneat: si Diaconus, quinque: si subdiaconus, aut cle-*

clericus, vel quilibet religiosus de majori gradu (quia constat ex his jam aliquos per bonam actionem esse venerandos) novem: si minimi fuerint, qui levi corde sint, minimaque adhuc personae, quinquagenis flagellis jussione feriantur Episcopi: quod si laicus quamvis ingenuus, in domo Ecclesiae tamen nutritus, & ab Ecclesiae rebus, dignitatis gratia praeditus, juxta quod dignitas ejus exegerit, pro tali excessu excommunicationis sententia feriendus erit: si vero de familia Ecclesiae fuerit quisque (quia & in his discretionis est gradus) si major fuerit, qui dignitate polleat, sex mensibus ab Episcopo suo excommunicatus maneat: inferior tamen, aut minima persona disciplinam mereatur, juxta quod Episcopi processerit sententia. Dignum est enim, ut cui in vita honor fuit impensus, post mortem detractionis subtrahatur stimulus. Statuit & illud sanctum Concilium, ut cui ob ecclesiarum paupertatem plures creditae essent Ecclesiae, in illis singulis, singula sacrificia Dominicis diebus offerre deberet: extat de his canon decimus nonus. Reliqua praetermittimus, quamvis observatione dignissima, ne longe nimis ab instituto digrediamur. Tu majori otio utens consulere potes. Emeritensis concilii meminit Innocentius tertius in epistola ad Petrum Compostellanum Episcopum, qua quaestionem ab eo cum Bracarensi Archiepiscopo agitatam pertractat, nam Bracarensis Episcopus suae ecclesiae privilegia defendens, Emeritense hoc concilium in dubium vocabat, adnotans, illud *neque constructionem, neque sensum, neque latinitatem habere*. At illud legitimum fuisse ibidem Innocentius Papa demonstrat, ut eo loco videre est.

JESU CHRISTI an. 667. Vitaliani Papae 11. Constantis Imp. 27. Grimoaldi Italiae Regis 6.

1. Hoc Christi anno 667. dum Constans Imperator Oriente relicto in Sicilia degeret, Saborius militum in Armenia Praefectus adversus Constantem Imp. rebellis factus, ab Moavia Seracenorum duce, misso ad eum Sergio, auxilium petiit, ad quem etiam Constans Imp. Andream quemdam misit, Moavias tamen rebellis partem fovens, Andream sine honore dimisit, at cito Saborius, ejusque ad Moaviam legatus Sergius perduellionis poenas dederunt, nam ut ad hunc

Saborius adversus Constantem in Armenia rebellat.

Jesu Chr. an. 667. Theoph. pag. 290

annum narrat Theophanes, dum expleta legatione ad Saborium redit, in manus Andreæ incautus incidit, a quo virilibus exectus ligno suspensus est, Saborius vero cum Adrianopolim occupasset, seque ad pugnam ineundam adversus Nicephorum cum exercitu ab Imperatore Constante contra se missum pararet. *Pro more sibi consueto extra urbis muros quadam die equum agitare contigit. Urbis vero portæ jam proximus, equum inflicto flagello incitat. Equus ob inflictum dolorem in sessorem rebellis, desultorio impetu caput ei ad portam allidit, ex quo infelici lapsu perire coactus est, sicque Deus victoriam in Imperatoris manus transtulit.* Ait Theophanes, atque his nonnulla a Moaviæ Ducibus, qui Saborio in auxilium advenerant gesta addit, quæ ibidem videri possunt.

Joannis Lappæ Episcopi querelæ adversus Paulum Cretæ Episc.

2. Hoc quoque anno desinente cum indictio undecima in cursu esset, Joannes Lappæ Episcopus adversus Paulum Cretæ Episcopum ad Vitalianum Papam querelas detulit, quibus se injuria ab eo affectum fuisse conquestus est, ac ad Romanum Pontificem appellantem, ne Romam pergeret, prohibuerat. Quare anno sequenti, ad Paulum scribens Vitalianus Papa ob male gesta redarguens, epistolam his verbis exorditur. *Decimonono die Decembris præsentis undecimæ indictionis Joannes Episcopus Lappæ urbis intra basilicam venerabilem Beati Principis Apostolorum Petri nobis intulit petitionem, per quam nos obnixe postulavit atque conjuravit per terribilem inquiens adventum magni Dei atque Salvatoris nostri Jesu Christi, ut secundum sacratissimos canones, institutaque sanctorum Patrum, ejus causæ meritum requiremus, & sententiam promulgaremus.* Justam Ioannis petitionem non despexit Vitalianus, ac synodum Romæ congregavit, quæ Joannis causam cognosceret, eaque cum innotuisset eum injuriam ab Archiepiscopo suo sustinuisse, communi Episcoporum sententia absolutus est Joannes, ut in epistola ad Paulum ea de causa scripta narrat Vitalianus, qua etiam eo quod appellantem, prohibuerit, his verbis redarguit. *Oportebat tuam fraternitatem secumdum canonum vigorem tempore, quo se petiit ad nos venire, eum absolvere tuis litteris, quem non solum noluisti canonice absolvere ad principis Apostolorum limina, sed magis respondisti ei indecenter, inquiens: Quia non competenter quæris. Quæ er-*

go

go sancti sanxerunt Patres, indecentia sunt? An placentia tibi decentia sunt? Igitur præfatum Joannem Antistitem æque inculpabilem reperientes juxta textum sententiæ a nobis directæ, fecimus nobiscum cum Episcopis ad Missarum solemnia in Ecclesias Dei præcedere. Itaque statuimus atque firmamus per hujus nostræ præceptionis auctoritatem, omnia, quæ a te tuaque Synodo contra canonum instituta, contra legem decreta, gesta, confectave sunt, vel sententiam promulgatam adversus eum, inania & vacua esse; sed quidquid claruerit eum damnificatum, ejusdemque Ecclesiam a quoquam, ei tua dilectio faciat reddi, per omnia conservans eum absque damno &c.. Vitaliani autem epistola data est die 6. Kal. Septemb. dictæ indictionis undecimæ, idest anno sequenti; Ob eamdemque causam alteras etiam ad Paulum litteras dedit, quibus eum admonet, ut occupatas ecclesias Joanni restitueret, ac ut Diaconum, qui uxorem duxerat, ac in duabus ecclesiis inserviebat, corrigeret, tum etiam ut Eulampium quemdam, qui apud Cretenses male audiebat, ab se dimitteret, hortatur; epistolis vero duabus, eumdem Joannem injuriam passum Unani Imperatoris cubiculario, & Georgio Siracusano Episcopo commendavit. Siracusis etenim tunc degebat Constans Imperator, quare iis, Vitalianus Joannem commendavit, ut in suam redire ecclesiam, suoque honori, ac juribus frui libere posset. JESU CHR. AN. 667.

3. Hoc etiam anno die 23. Januarii magnus meritis, & doctrina clarus Idelphonsus Toletanus Episcopus ex hac vita migravit, postquam ecclesiam Toletanam per annos novem, & menses duos cum laude administrasset, cujus memoria die 23, Januarii Martyrologio Rom. celebratur; ac duo extant vitæ ejusdem scriptores a Rollando ad dictam diem, & a Mabillonio seculo secundo Benedictino relati, quos lector consulere potest. Interea Epitaphii sepulchralis loco sit elogium de eodem ab ignoto auctore additum, ad ejusdem librum de viris illustribus. Sancti Idelphonsi Toletani Episc. obitus.

4. *Idelphonsus memoria sui temporis clarus, & irriguis eloquentiæ fluminibus exornans ecclesiam, ætatis nostræ novissimus Toletanæ sedis adscitus in cathedram, Præsul post secundum Eugenium in sacerdotium consecratur, vir tanta laude dignissimus, quanta & virtutum gratia numerosus fuit,* cujus proinde laudes ibidem auctor prosequitur: de scriptis vero Laudes & scripta Idelphonsi Tolet. Episc.

JESU CHR. AN. 667. vero ejusdem hæc subdit. *Scripsit sane quamplurimos libros luculentiori sermone purissimos, quos idem in tot partibus censuit dividendos, idest, librum prosopopejæ imbecillitatis propriæ, libellum de virginitate sanctæ Mariæ contra tres infideles, opusculum de proprietate personarum Patris, & Filii & Spiritus Sancti, opusculum de viris illustribus, opusculum Annotationis in sacramentis, librum in cognitione baptismi unum: & de progressu spiritualis deserti alium: quod totum partis primæ voluit volumini connectendum; partis quoque secundæ liber epistolarum est, in quo diversis scribens, ænigmaticis formulis egit, personasque interdum induxit: in quo etiam a quibusdam luculentiora scriptorum responsa promeruit: partem sane tertiam Missarum esse voluit, hymnorum atque sermonum: altioris denique partis liber est quartus versibus prosaque concretus, in quo epitaphia, & quædam sunt epigrammata annotata. Scripsit alia multa, quamvis variis molestiarum occupationibus impeditus, aliqua cœpta, aliqua semiplena reliquit. Adscitus autem in Pontificatum nono gloriosi Reccesvinthi Principis anno, novem annis, & duobus fere mensibus clarus habitus fuit, vitæque meritis & retentione regiminis: expletoque decimo octavo prædicti Principis anno, die decimo Kalendarum Februarium domicilio carnis exuitur, atque in ecclesia beatæ Leocadiæ tumulatur, ad pedes sui conditus decessoris, cum quo creditur æterno frui receptaculo claritatis*: Hucusque auctor appendicis, cui Julianus in sede Toletana successor, eam de Idelphonsi libris appendicem addidit, ex tot autem Idelphonsi operibus liber tantum *de perpetua virginitate B. Mariæ* superest, distinctus plane ab altero ejusdem fere argumenti *de partu Virginis*, qui Paschasio Radberto inscribitur, uti in præfatione ad seculum tertium Ordinis Benedictini probat Mabillonius; licet enim utriusque libri idem sit scopus, diversus tamen est auctor, diversa inscriptio, diversi adversarii, qui iis in libris confutantur: Idelphonsus etenim contra tres infideles Jovinianum scilicet, Helvidium, & Judæos scripsit, qui Virginitatem Beatæ Mariæ impugnabant, ut constat ex epistolis Quiricii Barcinonensis Episcopi Idelphonso æqualis, quas Lucas Dacheri tomo primo spicilegii edidit. Paschasius e contra Radbertus librum de partu Virginis contra fratres quosdam scripsit, idest catholicos, qui de Virginitate quidem B. Virginis Mariæ

Mariæ recte sentiebant, at modum, quo Dominum nostrum J. C. virgo peperit non recte explicabant, ut in præfatione idem adnotat Paschasius. Sermones etiam nonnulli de Purificatione, de Nativitate, & Assumptione B. Mariæ Virginis Idelphonso inscribuntur; quorum cum nulla in catalogo operum Idelphonsi mentio fiat, dubia saltem habentur; Quotquot vero ejus nomine extant, aut inscribuntur opera in Patrum bibliotheca inserta sunt, ac elegantioribus typis Matriti inter Toletanos Patres edita anno 1782.

Biblioth. SS. PP. tom. 12.

S. Vindragisili Abbatis obitus.

5. Ad annum 665. obitum S. Vindrigisili Abbatis Fontanellensis alligaverat Baronius, at labenti anno 667. eum in Cœlum abiisse certum esse ait. Ad rem nostram adnotare sufficiet, virum hunc magnæ sanctitatis Sacerdotem fuisse; qui genitus ex consobrino Pippini ducis Austrasiorum, ac comes Palatinus apud Dagobertum Regem, etsi uxorem duxisset, perpetuam tamen cum uxore sua virginitatem servavit, quare uxor ejus monasticæ vitæ institutum amplexa, ipse in clerum cooptatus fuit, ac Diaconus ordinatus sanctissimam vitam duxit, ut ejusdem acta fidelissime scripta testantur, cumque quatuor basilicas ædificasset, misit nepotem suum Romam ad Vitalianum Papam, ut reliquias SS. Apostolorum, & Martyrum acciperet, quod & consecutus est. *Ædificavit autem*, ait vitæ auctor, *in ipso loco vir domini Basilicas egregio cultu numero quatuor in honorem videlicet Principis Apostolorum Petri, simulque Doctoris gentium Pauli, sanctique Laurentii, ac Pancratii martyrum Christi. Et cum huic operi insisteret, misit antedictum nepotem suum Romam propter pignora beatorum Apostolorum, ac martyrum Christi, ut ædificatis basilicis, in promptu haberet reliquias Sanctorum quorum nomini & reverentiæ dicare disposuerat, qui votis pii patris libentissime parens, Romam abiit Vitaliano Papa eodem tempore gubernante sedem ejusdem ecclesiæ, atque ab eo suscepta plurima Apostolorum, & martyrum Christi pignora, una cum Apostolica benedictione rediens secum detulit, codicumque sacrorum copiam non minimam &c.* At de his hactenus.

Theodardus Episcopus ecclesiæ jura tuetur.

Pag. not. 4. an. 658.

6. Ad hunc quoque annum 667. Sancti Theodardi Leodiensis Episcopi martyrium accidisse Pagius adnotat, cujus vitam ab antiquiore auctore conscriptam, politiori stylo Sigebertus Gemblacensis edidisse testatur; Is vero S. Remacli

JESU CHR. AN. 668. cli in præfectura monasterii Malmundariensis, & Stabulensis primum, deinde in Episcopatu Trajectensi successor fuit. Qua autem de causa hoc anno Theodardus prope Nemetum seu Spiram, cum ad Childericum Regem proficisceretur, interfectus sit, narrat Anselmus in ejus vita his verbis. *Tutabatur Theodardum Episcopum contra omnes favor Sigeberti Regis, qui amator divinæ religionis, oculos habebat columbinæ simplicitatis. Quo defuncto, regnum Austrasiæ, quod tenuerat, dedit frater Clodoveus filio suo Childerico. Tum vero omnis malitia & injustitia in regno prævaluit, & contra Ecclesiam gravis domesticæ tempestatis turbo insonuit. Theodardus autem, quia mercenarius non erat, non fugit a facie luporum, sed pro ovibus suis constantius ex adverso stetit. Et quia pastor essentialiter bonus dixerat; Majorem charitatem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis: animam seu vitam pro grege suo Theodardus posuit, dum Childerico Regi injurias ecclesiis illatas exprobravit; ob quam causam a Palatinis militibus occisus est*, ut idem auctor narrat, qui plura addit de miraculis, quæ postea contigerunt, quibus Deus voluit hominibus notum fieri, secum in cœlis regnare martyrem, quem improborum manus in terris occiderant. Adscriptus autem est Theodardus catalogo sanctorum martyrum die decima Septembris, successoremque habuit sanctum Gambertum, quem etiam martyrio occubuisse infra videbimus; Gambertus autem seu Gandebertus Theodardi reliquias, post annos aliquot, *in villa publica Legia*, (idest Leodis) *cum honore, qualis decebat martyrem tumulavit*, ait auctor coetaneus in ejus vita.

IESU CHRISTI AN. 668. VITALIANI PAPÆ 12.
CONSTANTINI IMP. 1. GRIMOALDI ITALIÆ REGIS 8.

Constans Imp. occiditur. 1. Hoc Christi anno, cum Constans Imp. per annos 27. Imperium male administrasset, ecclesiamque, ob hæresis Monotheliticæ defensionem susceptam, diu vexasset, feras quidem, sed debitas scelerum suorum pœnas dedit. In Sicilia etenim subsistens, provincias Calabriæ, Siciliæ, Africæ & Sardiniæ gravioribus adeo tributis vexavit, ut *vix alicui spes vitæ remaneret*, dum autem sacra quoque diripere meditaretur die 15. mensis Julii indictionis undecimæ *in balneo occisus est*, ait Anastasius. Eadem de vexationibus, & depre-

Anast. in Vitaliana pag. 152.

deprædatione ab Constante tum Romæ, cum in Sicilia, vicinisque provinciis, & insulis facta, narrat Paulus diaconus, qui addit usque ad indictionem duodecimam vitam tenuisse; unde ad sequentem annum proximum 669. ejusdem obitum differendum esse Mansius adnotat, ac in actione prima sextæ synodi, quæ anno 670 celebrata est, anno 13. Constantini Pogonati, mendum irrepsisse scribit: At cum Anastasius ad undecimam indictionem Constantis obitum alligaverit, ac cum synodo sexta consentiat, in Pauli textu potius mendum irrepsisse patet: Constantis necem fusiori stylo narrant historici Græci, inter eos Theophanes, cum adnotasset eum in seipsum odia concitasse, tum ob fratris Theodosii necem, cum ob injurias Martino Rom. Pontifici illatas, quem cum ignominia in Chersonesum ejecerat, ibique mori coegerat, ac ob martyrium Maximo, & duobus Anastasiis illatum, cum in balneo, cui nomen Daphne ingressus esset, *dolis in eum paratis occisus est*, ab Andrea quodam Troili filio, qui cadum in sursum levatum in caput Imperatoris impegit.

Theoph. pag. 292.

Mizizius Siracusis Imperator dicitus a Constantino occiditur.

2. Eo mortuo, *Armenum quemdam Mizizium ad capescenda sceptra vi compulsum Imperatorem creant, erat enim liberali facie, ac supra modum formosus*, ait Theophanes, At Constantinus filiorum Constantis natu major, ac in Imperii societatem vocatus, cum ingenti classe ad Siciliam anno sequenti appellens, *comprehensum Mizizium, una cum patris interfectoribus, ulciscitur, tum vero rebus in Occidente compositis, festinus CP. repetit, & fratribus Tiberio & Heraclio Imperii collegis adscitis Romanam Rempublicam administrat*. Tunc vero Pogonatus, sive barbatus dictus est Constantinus, eo quod tenera lanugine CPoli solvens, barbatus ex Sicilia ibidem redierat, cui ad conterendos tyrannos, & Imperium in Occidente retinendum Vitalianum Papam opem tulisse idem Imperator, in litteris postea ad Donum Pontificem scriptis testatur; quem etiam catholicæ fidei sectatorem fuisse, sequentibus annis gesta demonstrabunt.

Vitalianus Papa Theodorum cum Hadriano in Angliam mittit.

Beda hist. Angl. lib. 4. cap. 1.

3. Interea cum evangelica in Anglia messis augeretur, operarios ad eam excolendam Vitalianus Papa hoc anno misit. Cum etenim, ut anno 665. diximus, Vignardus ex Anglia Romam missus, ut in locum Deusdedit Cantuariensis Episcopus ordinaretur, ibidem mortuus esset: sollicitus Vitalia-

JESU CHR. AN. 668. talianus, quem in ejus locum mitteret, tandem Theodorum Cilicem virum pietate, & doctrina egregium, misit, ut narrat Beda, annum & diem ordinationis ejus his verbis adnotans; *Apostolicus Papa*; ideft Vitalianus; *habito de his consilio quaesivit sedulus, quem ecclesiis Anglorum Archiepiscopum mitteret. Erat autem in monasterio Niridano, quod est non longe a Neapoli Campaniae, Abbas Adrianus vir natione Afer, sacris litteris diligenter imbutus, monasterialibus simul & Ecclesiasticis disciplinis institutus, Graecae pariter & Latinae linguae peritissimus: Hunc ad se accitum Papa jussit, Episcopatu accepto, in Britanniam venire. Qui indignum se tanto gradu respondens, ostendere posse se dixit alium, cujus magis ad suscipiendum Episcopatum & eruditio conveniret & aetas: Cumque monachum quemdam de vicino Virginam monasterio, nomine Andream, Pontifici offerret, hic ab omnibus qui eum novere, dignus Episcopatu judicatus est; verum pondus corporeae infirmitatis, ne Episcopus fieri posset, obstitit. Et rursus Hadrianus ad suscipiendum Episcopatum actus est: qui petiit inducias, si forte alium, qui Episcopus ordinaretur, ex tempore posset invenire: Erat ipso tempore Romae monachus Hadriano notus, nomine Theodorus, natus ex Tarso Ciliciae, vir & saeculari & divina litteratura Graece & Latine instructus: probus moribus, & aetate venerandus, idest, annos habens aetatis sexaginta sex. Hunc offerens Hadrianus Pontifici, ut Episcopus ordinaretur, obtinuit; his tamen conditionibus interpositis, ut ipse eum perduceret in Britanniam, eo quod jam bis partes Galliarum diversis ex caussis adiisset, & ob id majorem hujus itineris peragendi notitiam haberet, sufficiensque esset in possessione hominum propriorum: & ut ei doctrinae cooperator existens, diligenter attenderet, ne quid ille contrarium veritati fidei, Graecorum more in Ecclesiam, cui praeesset, introduceret. Qui subdiaconus ordinatus quatuor expectavit menses, donec illi coma cresceret, quo in coronam tonderi posset: habuerat enim tonsuram more Orientalium sancti Pauli Apostoli. Qui ordinatus est a Vitaliano Papa anno Dominicae Incarnationis sexcentesimo sexagesimo octavo, sub die septimo Kalendarum Aprilium, Dominica: & ita una cum Hadriano, sexto Kalendas Junias, in Britanniam missus est. Qui cum pariter per mare ad Massiliam, & inde per terram Arelatem pervenissent, & tradidissent*

sent Joanni Archiepiscopo civitatis illius scripta commendatitia Vitaliani Pontificis; retenti sunt ab eo, quousque Ebroinus Major domus regiæ copiam pergendi, quoquo vellent, tribuit eis. Qua accepta, Theodorus profectus est ad Agilbertum Parisiorum Episcopum, de quo superius diximus, & ab eo benigne susceptus, & multo tempore habitus est. Hadrianus vero perrexit primo ad Emesenonum, & postea ad Faronem Meldonumi Episcopum, & bene cum eis diutius fuit: coegerat enim eos imminens hyems, ut ubicumque potuissent, quieti manerent. Quod cum nuncii certi narrassent Regi Ecgberto, adesse scilicet Episcopum, quem petierat a Romano Antistite in regno Francorum, misit illo continuo Redfridum Præfectum suum ad adducendum eum. Quo cum pervenisset, assumpsit Theodorum cum Ebroini licentia, & perduxit eum ad portum, cui nomen est, Queneavvic, ubi fatigatus infirmitate, aliquantisper moratus est: & cum convalescere cœpisset, navigavit in Britanniam. Hadrianum autem Ebroinus retinuit: quoniam suspicabatur eum habere aliquam legationem Imperatoris ad Britanniæ Reges adversus regnum, cujus tunc ipse maximam curam gerebat. Sed cum tale nihil illum habere vel habuisse veraciter comperisset, absolvit eum, & post Theodorum ire permisit. Qui statim ut ad illum pervenit, dedit ei monasterium beati Petri Apostoli, ubi Archiepiscopi Cantiæ sepeliri (ut præfatus sum) solent. Præceperat enim Theodoro abeunti dominus Papa Apostolicus, ut in diœcesi sua provideret & daret ei locum, in quo cum suis apte degere potuisset. Quia tamen accessus ipsius Theodori in Britanniam (ut idem testatur auctor) anno sequenti, contigit quæ tunc per Theodorum gesta sunt, suo loco dicemus.

Grimoaldus Longob. Rex leges promulgat.

4. De Grimoaldo Italiæ seu Longobardorum Rege adnotat Paulus Diaconus. *Hic edicto, quod Rothari Rex composuerat, aliqua quoque capitula legis, quæ ei utilia visa sunt, adjecit*, idest ad Codicem legum, quem Rotharis pro Longobardorum usu vulgaverat, novas quasdam adjecit, & quidem hoc anno, nam ut adnotat Muratorius in earum prologo, se eas promulgasse ait: Grimoaldus *anno Deo propitio regni mei sexto, mense Julio, indictione undecima*, quæ usque ad septembrem in cursu fuit. Ex his laude dignæ sunt leges, quibus Monomachiæ, seu privatis certaminibus ad veritatem detegendam, modum imposuit: Apud Longo-

Murat. annal. 668. Rerum Italicarum tom. 2.

Jesu. Chr. an. 669. bardos etenim familiare fuisse ad privata certamina provocare, ut Dei judicium, aut delicti alicujus veritatem agnoscerent: Theodolindæ, & Gundibergæ exempla probant, quæ apud maritos suos Longobardorum Reges accusatæ, quasi maritalem thorum violassent, privato certamine, electo ad id fortissimo viro, sese ab impacto crimine purgarunt; ut itaque barbaricæ consuetudini modum injiceret, ut juramento etiam se mulier ab adulterii crimine purgare posset, permisit, etsi etiam certamine fieri non prohibuit, in privatorum vero causis finiendis, ad privata certamina provocare noluit, ac triginta annorum possessione, & testibus res suas quemque vindicare posse edixit, sic libertatem suam sic domos, terras, servos retinere quisque poterat. Ceterum quoad singulare certamen pertinet, quod nunc duellum dicitur; nomdum vel ipsi Longobardi, etsi barbari ad eam dementiam venerant, ut pro privatis injuriis, illud inirent; sequentibus tantum seculis, non apud Longobardos tantum, sed apud cultissimas etiam gentes, Italos scilicet, Gallos, Germanos, Hispanos hujusmodi corruptela propagata adeo est, & quod magis dolendum nobilibus viris, iis præcipue, qui castra sequuntur, ut extirpari non potuerit, qua tamen nihil crudelius, & stultius potest excogitari, cum nequaquam victoria justitiam sequatur, sed justo Dei judicio ad eum etiam qui malam causam tuetur, sæpe victoria declinet; Quid ergo insani homines, christiano nomine indigni, divino humanoque jure damnati, diroque anathemate percussi, infamis aleæ jactu, vitam, non sæculi hujus tantum, sed & æternam amittunt? Sed hos dimittamus, cœci etenim sunt, qui duces cœcorum sequuntur, cum Casuistarum nonnullos hæc defendentes, in criminis sui excusationem, in medium proferunt, si qui tamen hac nostra ætate hujusmodi surfuris Casuistæ supersunt.

JESU CHRISTI an. 669. Vitaliani Papæ 13.
Constantis Imp. 2. Grimoaldi Italiæ Regis 8.

Seraceni Siciliam vastant.

1. Interfecto Mazezio seu Maectio tyranno, Siciliam recuperaverat Constantinus Pogonatus, ut anno proximo diximus; at cum ea insula Constantinus excessisset CP. reversus, Seraceni, quos fortasse in sui auxilium Mezezius invitaverat.

rat, *Venientes in Siciliam obtinuerunt prædictam civitatem*, idest Siracusas; *& multam occisionem fecerunt in populo, qui in castra seu montana confugerant, similiter & prædam nimiam fecerunt, & æs quod ibidem a civitate Romana delatum fuerat, secum tollentes, Alexandriam reversi sunt*: Ait Anastasius in vita Adeodati Pontificis, Vitaliani successoris, eademqne Paulus Diaconus, quæ tamen Vitaliano Pontifice accidisse verosimilius est, ut Pagius, Muratorius, aliique eruditorum adnotant, quod etiam certius esset, si litteræ monachorum Siciliæ, ad confratres monachos Congregationis Cassinensis Romæ in Laterano degentes genuinæ probarentur, quibus clades a Seracenis in Sicilia gestas narrant, aut si vera esset Vitaliani Papæ epistola ad monachos Siculos, qua eos ob damna, & injurias a Seracenis acceptas consolatur, & ad restaurationem civitatum, castrorum, & monasteriorum, quæ ad ipsos monachos pertinebant, Romanos monachos se misisse admonet; Has quidem a Leone Ostiensi in Cassinensi chronico insertas Annalibus suis inseruit Baronius, ac Labbeus in conciliorum collectione. Ambo tamen de earumdem ingenuitate dubitarunt: Unde Baronius *ponimus eas*, inquit, *ne invidiose prætermisisse videamur*: Easque ob id potissimum sibi suspectas fuisse adnotat, quod in iis litteris, Civitates plures, & villas nonaginta octo, Cassinenses monachos in Sicilia possedisse narrant, seu potius fabulantur, *Quando nec ipsa Romana ecclesia*, subdit Baronius; *vel unius oppiduli domina esset, ut ipsum possideret, immo nec Imperator ipse Insulæ dominus, tot ibidem civitates haberet*.

Anast. to. 1. pag. 133. Paul. Diac. lib. 5. 13.

2. Theodorum eruditissimum virum natione Cilicem, in Episcopum Cantuariensem, sive Dorovernensem cum Hadriano monacho in Angliam ab Vitaliano Papa missum fuisse anno proximo diximus; quos aliquandiu in Galliis detentos fuisse narrat Beda, ita ut hoc tantum anno Theodorus illuc appulerit, socius vero ejus Hadrianus anno tantum sequenti; Unde de ejusdem obitu agens Beda. *Anno quinto*, ait, *Osredi Regis, reverendissimus pater Hadrianus Abbas defunctus est, qui est annus quadragesimus primus, ex quo a Vitaliano Papa directus est cum Theodoro; ex quo autem in Britanniam venit trigesimus nonus*. Unde biennium, ex quo Roma discesserat, in Britanniam transiit.

Theodorus Cantuariensis Episc. Angliam ingreditur.

Beda lib. 5. 21.

3. Qua autem diligentia commissam sibi vineam excoluerit

Theodori Cantuariensis Episc. gesta.

JESU CHR. AN. 669. luerit Theodorus, & quam uberes ex ea fructus collegerit, his verbis testatur Beda. *Pervenit autem Theodorus ad ecclesiam suam secundo postquam consecratus est anno sub sexto Kal. Juniarum, Dominica, & fecit in ea annos viginti & unum, menses tres, dies viginti sex. Moxque peragrata insula tota, quaquaversum Anglorum gentes morabantur (nam & libentissime ab omnibus suscipiebatur atque audiebatur) rectum vivendi ordinem, ritum celebrandi Pascha canonicum, per omnia comitante & cooperante Hadriano, disseminabat. Isque primus erat Archiepiscopus, cui omnis Anglorum Ecclesia manus dare consentiret. Et quia litteris sacris simul & secularibus (ut diximus) abundanter ambo erant instructi: congregata discipulorum caterva, scientiæ salutaris quotidie flumina in rigandis eorum cordibus emanabant; ita ut etiam metricæ artis, astronomicæ, & arithmeticæ Ecclesiasticæ disciplinam inter sacrorum apicum volumina suis auditoribus contraderent. Indicio est, quod usque hodie supersunt de eorum discipulis, qui Latinam, Græcamque linguam æque ut propriam, in qua nati sunt, norunt. Neque unquam prorsus, ex quo Britanniam petierunt Angli, feliciora fuere tempora, dum & fortissimos, Christianosque habentes Reges, cunctis barbaris nationibus essent terrori, & omnium vota ad nuper audita cœlestis regni gaudia penderent, & quicumque lectionibus sacris cuperent erudiri, haberent in promptu magistros, qui docerent: & sonos cantandi in Ecclesia, quos eatenus in Cantia tantum noverant, ab hoc tempore per omnes Anglorum Ecclesias discere cœperunt: primusque excepto Jacobo, de quo supra diximus, cantandi magister Nordhumbrorum Ecclesiis Eddi cognomento Stephanus fuit invitatus de Cantia a reverendissimo viro Vilfrido, qui primus inter Episcopos, qui de Anglorum gente essent, Catholicum vivendi morem Ecclesiis Anglorum tradere didicit. Itaque Theodorus perlustrans universa, ordinabat locis opportunis Episcopos, & ea, quæ minus perfecta reperit, his quoque juvantibus, corrigebat, in quibus & Ceaddam Episcopum cum argueret non fuisse rite consecratum, respondens ipse voce humillima dixit: Si me, inquit, nosti Episcopatum non rite suscepisse, libenter ab officio discedo: quippe qui neque me unquam hoc esse dignum arbitrabar, sed obedientiæ causa jussus subire hoc, quamvis indignus, consensi. At ille audiens humilitatem responsionis ejus,*

ejus, dixit; non eum Episcopatum dimittere debere, sed ipse ordinationem ejus denuo Catholica ratione consummavit.

JESU CHR. AN. 669.

4. Cum vero Ceaddam Episcopum, extra diœcesis suæ fines iterum ordinasse, aut quod in ejusdem ordinatione omissum fuerat, & omnem, complevisse Theodorum, ait Beda, insulam excurrendo, quamplurima emendasse, eum ex concessa sibi Primatus dignitate, id peregisse indicat, eadem scilicet a Vitaliano Papa auctus, qua Augustinus ab Gregorio exornatus fuerat, hæc autem privilegia ab Vitaliano eum expostulasse, cum illuc pervenisset, Vitaliani Papæ epistola ad ipsum Theodorum inscripta indicat. *Dilectissimo fratri Theodoro Vitalianus Episcopus servus servorum Dei. Inter plurima quæ nobis per vestras syllabas intimari jussisti, cognovimus etiam desiderium vestrum pro confirmatione Diœcesis, quæ tuæ subiacet ditioni, quia in omnibus ex nostro Apostolicæ auctoritatis privilegio splendescere desideras: Nos vero vestræ petitioni annuentes, quia congruit pastorali solicitudine, circa ecclesias Dei, quæ a priscis temporibus ab hac apostolica sede statuta intelligimus, irrefragabili ratione volumus, ut sicut a nobis, & a nostris successoribus perpetua stabilitate muniantur. Unde nobis visum est te exhortari, ac in præsenti commendare tuæ sagacissimæ sanctitati omnes ecclesias in insula Britanniæ positas; omnia ergo quæ a sancto Gregorio prædecessore nostro Augustino syncello suo statuta sunt, atque firmata, vel etiam per sacrum usum pallii concessa, nos tibi in ævum concedimus, & Doroverniam civitatem, ubi primitus per revelationem Jesu Christi Domini nostri fides catholica secundum institutionem sacrorum canonum suscepta est, habeto &c..* Atque hæc inviolata esse sub pœna depositionis ab ordine pro Episcopis, Presbyteris, & ceteris clericis, vel anathematis pro laicis, jubet; Hæc autem de ea epistola satis sint, quæ in Labbeana conciliorum editione desideratur; Quanta imposterum in Anglicanæ ecclesiæ ædificationem Theodorus gesserit, suo loco dicenda reservamus.

Vitaliani Papæ epist. ad Theodorum Cantuar. Episc.

JE-

Jesu Chr. an. 670.

JESU CHRISTI an. 670. Vitaliani Papæ 14. Constantis Imp. 3. Grimoaldi Italiæ Regis 9.

Osuvii Anglorum Regis obitus.

1. Insequens Christi annus 670 nonnisi Regum funera dicenda nobis exhibet, Osuvii scilicet Northumbrorum in Anglia, de quo hæc Beda. *Anno dominicæ Incarnationis 670., qui est annus secundus, ex quo in Britanniam venit Theodorus, Osvvius Rex Nordumbrorum mortuus est, anno ætatis suæ 58.: Qui defunctus die 15. Kalend. Martii Ægfrigdum filium Regni hæredem reliquit.* Eum vero Romanæ ecclesiæ adeo studiosum fuisse eodem loco adnotat: *Ut si ab infirmitate salvaretur, etiam Romam venire, ibique ad loca sancta vitam finire disponeret, Vilfridumque Episcopum ducem sibi itineris fieri, promissa non parva pecuniarum donatione rogaret.* Oswii autem nomen, martyrologio Anglicano anno 1640. recuso die decimaquinta Februarii insertum est, cum tamen, de ejusdam veneratione, nulla apud antiquos scriptores memoria occurrat, inter prætermissos Bollandus ad dictam diem, eumdem recensuit, eademque ætate alii quoque Anglorum Reges, Oswii religionem. & catholicæ fidei propagandæ zelum æmulati sunt, inter eos, Ecbertum in Cantio, Sebbum Londini, in Occidente Kennevolchium, in Merciis Volferum numerat Pagius, quibus in pietate sovenda, & christiana religione propaganda, Episcopi sanctitate & doctrina celeberrimi adjutores fuerunt: Ex his Vilfridus, Theodorus, aliique; Ut mirari subeat hoc tempore, quo irruentibus undique Seracenis, & diversarum sectarum hæreticis, Oriens pene totus densa involvebatur caligine; Britanni toto orbe divisi, tanta veritatis luce illustrarentur; ut in iis quoque evangelicum compleretur dictum. *Erunt Novissimi primi, & primi Novissimi.*

Clotarii 3. Francorum Regis obitus

2. Hoc quoque anno Clotarius Francorum Rex, quem anno 656. Clodoveo Patri successisse diximus, cum per annos 14. regnasset, vivere desiit, ut ad annum 668. Pagius adnotat. De ejusdem gestis, & obitu, ex auctore vitæ Sancti Leodegarii Augustodunensis Episcopi & martyris, plura refert Baronius; nobis sat erit adnotare, eum sub matris tutela, & in potestate Ebroini majoris domus usque ad obitum vixisse, cum ea ætate jam majores domus Regum vices gererent:

rerent, Reges vero nomen vix retinerent, cumque absque absque liberis decesisset Clotarius, in successore eligendo Francorum vota adeo distracta sunt, atque divisa, ut certo quis ejusdem successor fuerit, vix definiri possit, cum præsertim Francorum hujus temporis historia, densis adeo tenebris obvoluta sit, ut nonnisi conjecturis gestorum series assequi valeat, cui quidem lucem afferre conati sunt eruditorum plurimi Hadrianus Valesius, Cointius, Mabillonius, & Pagius.

Jesu Chr. An. 670.

Theodoricus & Chilpericus Clotarii Regnum obtinent.

3. Hinc Gallici auctores Theodericum, & Chilpericum fratres Regnum ejus invasisse scribunt: Unde continuator Eredegarii cap. 93. & auctor de gestis Francorum cap. 45. rem gestam his verbis narrat. *Theudericus frater ejus in Regno successit, Childericus enim frater a Francis in Regno elevatus est apud Vulfoaldum Ducem.* Auctor vero de gestis Francorum: *Theudericus frater ejus Rex elevatus est Francorum. Childericus itaque alius frater ejus, in Austria una cum Vulfoaldo Duce Regnum suscipere perrexit.* Subdit Auctor de gestis Francorum: *Eo tempore Franci adversus Ebroinum insidias præparant, super Theudericum consurgunt, eumque a Regno dejiciunt, crinesque capitis amborum vi abstrahentes, incenderunt, Ebroinum totonderunt, eumque in Luxovio Monasterio in Burgundia dirigunt, in Auster propter Childericum legationem mittentes accomodant, & una cum Vulfoaldo Duce veniens in Regno Francorum elevatus est.* His consentit auctor anonymus vitæ S. Leodegarii coevus a Mabillonio seculo secundo Benedictino vulgatus. *Rex Lotharius*, inquit, *a Domino vocatus de hac luce migravit. Sed cum Ebroinus ejus fratrem germanum nomine Thodoricum convocatis Optimatibus solemniter (ut mos est) debuisset sublimare in Regnum, superbiæ spiritu tumidus, eos noluit deinde convocare ideo magis cœperunt metuere, quod Regem, quem ad gloriam patriæ publice debuerat sublimare, dum post se eum retineret pro nemine, cui malum cupierat ille, audenter valeret inferre. Cumque multitudo nobilium, qui ad Regis novi properabat occursum, mandante Ebroino, itineris accepissent repudium, inito in commune consilio, relicto eo omnes expetunt Childericum ejus fratrem juniorem, qui in Austro sortitus erat Regnum. Quorum consilio, qui tunc noluit acquiescere, aut fugaciter evasit, aut cum vitæ periculo, incendio comminatus acquie-*

JESU CHR. AN. 670. *acquievit invitus. Cum enim omnes ob Ebroini tyrannicum metum Hilderico induxissent tam Oeustricum, quam Burgundiæ Regnum: agnoscens tyrannus suum hoc facinus perpetratum, ad Ecclesiæ confugit altare, ejusque in multis partibus subito thesaurus fuit direptus, & quod iniquus die congregaverat male, dispersum est subito bene, Episcopis quibusdam tunc intercedentibus, & præcipue interventu Antistitis Leondegarii eum non interficiunt: sed Luxovio monasterio dirigitur in exilium, ut facinus, quod perpetraverat, evasisset pænitendo.*

Chilpericus Francorum Regnum solus obtinet.

4. His vero auctor alter vitæ Leodegarii addit, quod Chilpericus postquam Ebroinum Majoremdomus in Luxoviensi monasterio relegasset, & Theodoricum quoque fratrem Regno dejectum, in monasterio Sancti Dionysii residere jussisset, ac Regnum occupasset, Leodegarium Augustodunensem Episcopum apud se retinuit, eumque vices Majoris domus in Regno suo agere jussit; Leodegarius vero, auctoritate qua pollebat, ad publicum bonum utens; *Quidquid adversus priscorum Regum, & magnorum Procerum leges comperit inepte introductum, ad pristinum reduxit statum*; inquit Ursinus in vita Leodegarii, ac per tres annos in ea potestate, & benevolentia apud Chilpericum perseverasse Sanctum Antistitem addit, quo elapso, invidorum calumniis impetitus, eousque ab Chilperici benevolentia excidit, ut eum in Paschali solemnitate interficiendum jusserit; unde vix salvus evadens, in monasterio Luxoviensi sese recepit, ubi Ebroinum Clotarii Regis olim Majoremdomus, clericum jam ordinatum invenit, ait supracitatus auctor vitæ Leodegarii; quæ cum triennio post facta fuerint, ad annum 673. pertinent, ubi de his iterum redibit sermo.

An Dagobertus Clotario Regi successerit.

5. His de Chilperici successione in Regnum Clotarii Pauli diaconi auctoritas obstat; dum Dagobertum secundum, vivente Gtimoaldo Longobardorum Rege, quem uno consensu anno sequente obiisse scimus, Francorum Regnum tenuisse his verbis narrat. *Hac tempestate Francorum Regnum apud Gallias Dagobertus regebat, cum quo Grimoaldus pacis firmissimæ fœdus inierat. Cujus Grimoaldi vires Bertharidus etiam apud Francorum patriam constitutus metuens, egressus e Gallia ad Britanniam insulam, Saxonumque Regem properare disponit.* Hic porro Dagobertus filius Sigeberti

berti Austrasiæ Regis erat, quem Grimoaldus majordomus, cui eum pater commendaverat, ut filium suum Regem faceret, in exilium in ultimas Hiberniæ oras ejecerat, uti ad annum 656. diximus; quem audita Clotarii morte, & fratrum discordia, in Gallias rediisse, ac patris Regno potitum fuisse, nonnulli scribunt, quare Mabillonius Dagoberti secundi restitutionem in Austrasiæ Regnum cum anno 671. vivente Grimoaldo Longobardorum Rege, alligat, at alii, atque ex his Pagius, totis viribus usque ad annum 674. eum non rediisse contendit, ac pro Dagoberto, cum quo Grimoaldum pacem firmasse scribit Paulus, Clotharium legendum esse, aut Chilpericum: At de his plura apud supracitatos auctores, & præcipue apud Henschenium in exegesi, & in dissertatione de tribus Dagobertis videri possunt.

JESU CHRISTI an. 671. Vitaliani Papæ 15.
Constantini Pogonati Imp. 4.
Berthariди Italiæ Regis 1.

Grimoaldi Regis obitus cui succedit filius ejus Garibaldus.

1. Per annos novem usurpatum Longobardorum in Italia Regnum summa tranquillitate retinuerat Grimoaldus; cum hoc anno, dum columbam sagitta percutere niteretur, abrupta vena, quæ ante novem dies aperta fuerat, paulo post obiit: *Cui, ut fuerunt medici, venenata medicamenta supponentes, eum ab hac funditus privarunt luce*, ait Paulus Diaconus, *sepultum est autem ejus corpus in basilica beati Ambrosii confessoris, quam dudum ipse intra Ticinensem construxerat civitatem*. Unde eum catholicum fuisse patet, alioquin Arianus Princeps acerrimo Arianorum adversario basilicam nullatenus extruisset. Hæredem vero Regni Garibaldum filium suum annorum novem reliquit; cujus Regnum momentaneum fuit: Unde inter Longobardorum Reges numerari non potest; nam tertio a Grimoaldi obitu mense nondum expleto, Bertharitus Ariberti Regis filius, qui ob usurpatum a Grimoaldo Regnum, profugus apud Avarum Chaganum; deinde in Galliis, ac tandem in Britanniam insulam fuerat, divinitus revocatus, paternum Regnum adeptus est.

Berthарid Longobardorum Rex efficitur. *Paul. Diac. ut sup.*

2. Quomodo autem id acciderit, his verbis narrat Paulus Diaconus; *Igitur* (ut diximus) *Bertharidus egressus de Gal-*

Jesu Chr. an 671.

Galliis navem ascendit, ut ad Britanniam insulam, ad Regnum Saxonum transmearet. Cum aliquantulum per pelagum navigasset, vox a littore audita est inquirentis, utrum Bertaridus eadem in nave consisteret. Cui cum responsum esset, quod Bertaridus ibi esset: ille, qui clamabat, subjunxit; Quia tertia die est hodie, quod Grimoaldus ex hac subtractus est luce. Quo audito Bertaridus statim post se reversus est: veniensque ad littus, invenire personam non potuit, quæ ei Grimoaldi necem nunciarat. Unde arbitratus est, non hunc hominem, sed divinum nuncium fuisse. Exindeque ad patriam rediens, cum ad claustra Italiæ venisset, jam ibi omnia obsequia palatina, omnemque regiam dignitatem cum magna Longobardorum multitudine paratam esse reperit. Exinde itaque Bertaridus Ticinum reversus, exturbato Garibaldo puerulo a regno, ab universis Longobardis, mense tertio post mortem Grimoaldi in regnum levatus est. Erat autem vir pius, fide Catholicus, justitiæ tenax, pauperumque largissimus nutritor. Qui statim Beneventum misit, exindeque Rodelindam suam conjugem, & Chunibertum filium suum revocavit; qui ibidem in custodia ab Grimoaldo detinebantur. De Garibaldo puero, cui pater ejus Grimoald, Regnum reliquerat, quemque Regno dejectum fuisse Paulus narrat, nil ultra scimus; at ei ut honeste viveret, potestatem a Berthарido datam fuisse, utpote ex sorore sua genitum, probabilissimum est, cum præsertim Grimoaldus quoque, filio suo Chuniberto vitam reliquisset.

Berthаridus, & uxor ejus sacras ædes ædificant.

3. Cum patris Regnum Bertharidus adeptus esset, in accepti beneficii memoriam, in loco illo, qui a parte fluminis Ticini est; *Unde ipse olim fugerat, monasterium, quod novum appellatur, Domino & liberatori suo, in honorem Sanctæ Virginis & Martyris Agathæ construxit, in quo multas virgines aggregavit, rebusque diversis, pariterque ornamentis eumdem locum ditavit. Regina vero uxor ejus Rodelinda basilicam sanctæ Dei genitricis extra muros ejusdem civitatis Ticinensis, quæ ad Perticas appellatur, opere mirabili condidit, ornamentisque mirifice decoravit*, ait Paulus, qui addit ad Perticas locum illum dictum fuisse, quia ibidem juxta Longobardorum morem, perticæ seu arbores erectæ erant, & supra perticas lignea columba illuc conversa, ubi illorum quisquam defunctus esset, ab amicis, vel consanguineis erecta.

Paul. Diac, lib. 5. 34.

Jesu Chr. an. 671.

cta, *ut sciri posset in quam partem is, qui defunctus fuerat, requiesceret*. Insigne virginum monasterium Papiæ adhuc extat, S. Agathæ in monte dictum; atque in templi fronte hæc adhuc inscriptio legitur: *Perthatitus Longobardorum Rex Templum hoc S. Agathæ Virg. & Mart. dicavit, anno Christi* 673. quo in Asceterio Cuniperga Cuniberti Regis filia, & Bertharidi nepos Abbatissa fuit, ut ex fragmento epigraphes in illius tumulo posita constat.

S.Eremberti Tolosani Episc. obitus.

4. Hoc anno mortuus est S. Erembertus, Fontanellensis primum monachus sub regimine Sancti Vandregisilii, Tolosanus, deinde Episcopus, qui tamen postquam eam Ecclesiam per annos aliquot sanctitate & doctrina illustrasset, ad monasterium suum rediens, ibidem in bona senectute vivere desiit *pridie idus Maii*, ut in ejus vita legitur ab auctore anonymo scripta, mortemque ejus hoc anno contigisse, ex translatione corporis ejusdem triginta circiter post annos facta, anno 704. demonstrat Pagius ex auctore Chronici Fontanellensis, ut ibidem videre est.

Pag. not. 4. *an.* 671.

Belli occasione christiana religio in Anglia dilatatur.

5. Hoc etiam tempore Picti Northumbriæ Regem Ecfridum, ob juvenilem ætatem spernentes, in ejusdem Regnum irruptionem fecere; at Ecfridus obviam factus, non sine maxima suorum strage, eosdem repulit, ut in vita S. Vilfridi cap. 18. indicat Eddius Stephanus his verbis. *In primis annis ejus, tenero adhuc Regno, in diebus illis Ecfridus Rex religiosus cum beatissima Regina Adelreda*, quæ ex mariti consensu virgo perseveravit, ac in monasterium sese receperat. *Cujus corpus vivens ante impollutum, post mortem incorruptum manens adhuc demonstratur; simul in unum Vilfrido Episcopo in omnibus obedientes facti, pax & gaudium in populis, anni frugiferi, victoriæque in hostes Deo adjuvante subsecutæ sunt*: capite vero sequenti addit, quod cum Velferus Merciorum Rex australes populos adversus Northumbros, quibus Ecfridus præerat, impulisset, insignem de iis victoriam Ecfridius retulit, & Volferum fugavit: *Regnumque ejus sub tributo distribuit*. Beda vero addit: Ecfridum fugato Volfere Lindissarnorum provinciam obtinuisse; Ecfridi vero victorias in Evangelii propagationem cessisse adnotat supracitatus Eddius Stephanus in vita Vilfridi his verbis; *Sicut igitur Egfrido Rege religioso Regnum ad Aquilonem, & Austrum per triumphos augebatur; ita beatæ memoriæ Vilfrido Episcopo ad*

Beda lib. 4. *cap.* 12.

 Au-

JESU CHR. AN. 672. *Austrum super Saxones, & Aquilonem super Britones, & Scotos, Pictosque Regnum ecclesiarum multiplicabatur &c.*. Atque de his, deque gestis hoc anno satis sint.

JESU CHRISTI ANNUS 672. ADEODATI PAPÆ 1.
CONSTANTINI POGONATI IMP. 5.
BERTHARIDI ITALIÆ REGIS 2.

Vitaliani Papæ obitus.

1. Vitalianus interea Romanus Pontifex cum annos quatuordecim, menses sex Romanam rexisset ecclesiam, vivere desiit, & sub die sexto Kal. Februarii, seu die 27. Januarii hujus anni *apud Beatum Petrum sepultus est. Fecit autem ordinationes quatuor, Presbyteros viginti duo, Diaconum unum, Episcopos per diversa loca nonaginta septem*, ait Anastasius. Inter eos Marinum quemdam Ferrariensibus primum Episcopum datum fuisse Ferrarienses historici numerant; seu potius ut scribit Rubeus ex Vicoabentia Episcopatum Ferrariæ transtulit.

Maurus Ravennæ Episc. contumax & in schismate obiit.

2. Ex Ravennatensis autem ecclesiæ monumentis narrat idem auctor a Vitaliano Papa excommunicatum fuisse Maurum Episcopum Ravennatem, eo quod ab ipso Romam vocatus ut causam diceret, adesse contempserat. At ille tantum abfuit, ut percussus anathemate resipuerit, ut etiam fretus Exarchi potentia, quem sibi intimum conciliaverat amicum, eo vesaniæ progressus est, ut in Vitalianum eamdem anathematis sententiam reciprocaret: quo portentoso facinore perculsi omnes Italiæ Episcopi, una cum Vitaliano coeuntes, eumdem Maurum ut indignum penitus sacerdotio condemnarunt: Ceterum in male cœptis perseverans Maurus, nec mutans Ethiops pellem suam, ad finem vitæ perductus, contestatus est omnes Ravennatis Ecclesiæ clericos, ut numquam subjicerent se Romano Pontifici, in qua obstinatione vita functus miser, ab omni prorsus Ecclesiastica communione, suffragiis scilicet pro defunctis exhiberi solitis, & commemoratione e sacris Diptychis interdictus est a successore Vitaliani Adeodato, de quo proxime dicturi sumus. Porro in locum Mauri subrogatus est Reparatus, qui & ipse refractarius laboravit perficere per Imperatoris rescriptum, ne subjaceret Ecclesia illa Romanæ, licet in fine vitæ facti pœnitens obiisse dicatur: cui successit Theodorus Ecclesiæ Ro-

Romanæ obsequentissimus: is enim in Synodo Romana sub Agathone ita subscribere voluit: Theodorus exiguus Episcopus sanctæ Ecclesiæ Ravennatis. Hæc de Episcopis Ravennatibus simul strinximus occasione Vitaliani Papæ, qui Maurum corripuerat.

Adeodatus Rom. Pontifex ordinatur.

3. Post Vitaliani obitum *cessavit Episcopatus menses duos, dies tredecim*, ait Anastasius, atque *Adeodatus natione Romanus, de patre Joviniano*, monachus monasterii Sancti Erasmi in monte Celio in, quo educatus fuerat, Romanus Pontifex est ordinatus; vir *mitissimus ac benignissimus, ut omnem hominem a majori usque ad minimum libenter susciperet, peregrinis compassionem exhibuit, ut etiam unusquisque quod postulavit sine dubio impetravit. Sed & rogam omnibus ampliavit*, ait Anastasius. Roga autem donativum erat, seu distributiones, quæ clericis fiebant.

Reccesvinthus Rex Hispaniæ moritur; eique Vamba succedit.

4. Hoc anno Reccesvinthus Hispaniæ Rex, bello paceque per annos 23. circiter, quibus regnavit, felicissimus, e vivis ereptus est, eique clarissimus ex Gothorum gente Princeps Vamba, seu Bamba, ex procerum, & populi voto & electione successit, quem etiam invitum pene, & minis coactum, Gothicum in Hispania Regnum iniisse narrat Vaseus in chronico, cui ceteri Hispani scriptores consentiunt. *Nullis precibus, aut lacrymis adduci potuit*, inquit, *ut Regnum susciperet, usquedum quidam e Ducibus, ense stricto, extrema illi minatus est, nisi in preces Gothorum concederet. Cessit tandem minis magis quam precibus, atque undevigesimo post die Toleti unctus est in Regem* die 19. Septemb. quæ in dominicam hoc anno cadebat ait Pagius. Vambæ Regis initia turbulenta fuerunt, nam etsi Gothorum Regnum invitus fere occupasset, nobiliores tamen nonnulli, eum sibi prælatum fuisse ægre ferentes adversus eum rebellarunt, ut anno sequenti dicturi sumus.

Orientale Imperium variis cladibus attritum

5. Variis dirisque cladibus Orientale Imperium hoc tempore affectum, afflictumque fuisse narrant Græcorum annales; ac primum uno aut altero ab hinc anno: *Seraceni comparato exercitu, in Africam excurrerunt*, ait Theophanes, *& octoginta hominum millia, ut ferunt in captivitatem miserunt*: anno sequenti, *Hiems adeo vehemens terris incubuit, ut multi homines, atque animalia periclitata sint*. Tandem hoc anno; *Iris in cœlo conspecta carni omni terrorem incussit*

Jesu Chr. an. 672. *cussit mense Martio Dystro, adeo ut omnes rerum universarum consummationem advenisse prædicarent*. His addit Theophanes horrendam in Ægypto mortalitatem viguisse, Seracenos vero ingenti comparata classe Ciliciam præternavigasse, ac hiberna egisse partim Smirnæ, partim in Cilicia, & Syria, ac tandem ad Regiæ urbis obsidionem rediisse, quam antea sub Constante Imp. tentaverant.

CPolis a Seracenis obsessa.

6. Constantinus vero Imperator, eorum consilio cognito *biremes cacabos igne oppletos ferentes, & Dromones siphonibus eumdem ignem spirantes*, preparari jussit: Quare cum Seraceni ad urbem cum classe accessissent, *singulis diebus a diluculo ad vesperam, ab aureæ portæ Armilla ad prænominatum Cyclobium armis sese impellentium; ac vicissim bellica vi repulsorum, creber imo quotidianus excitabatur, & reparabatur conflictus. Hujusmodi vero cœptis insistebat, & in singulos annos priores renovabant conatus a mense Aprili ad Septembrem usque; Reversi vero Cizicum aggrediuntur, & ea capta illic hiberna ducunt. Porro vere redeunte applicata rursum classe novum pariter bellum cum christianis mari restaurabant*. Eos bello per septem anno protracto, tandem non sine maxima suorum strage, *Deo Deique genitrice auxiliarem manum conferentibus*, cum dedecore Seraceni recessere. Reliquiæ vero maritimi exercitus fluctibus ad Sylei plagam jactatæ, fractis ad saxa, vel in profundum absortis ratibus, perierunt: His alias Seracenorum strages addit Theophanes, nam Suphiam Aygh filius minor, *cum Floro, Petrona, & Cypriano Romanorum militum armatam manum secum ducentibus manus conseruit, eaque pugna Arabum trigintamillia cæsa fuere. Tum vero Calliopus Heliopolensis in rebus arte parandis strenuus, Syria ad Romanos deficiens, igne marino excogitato, Arabum navigia, ipsis hominibus vivis consumptis succendit. Sicque Romani victores reversi sunt*. Hactenus de bello Seracenico, quod septennale fuisse scribit Theophanes, ac uno, aut altero ab hinc anno cœptum, usque ad annum 678. prorogatum est, quo anno pax tandem Romanos inter, & Seracenos firmata fuit, ut ibidem dicturi sumus.

De Ceaddæ Episcopi obitu.

7. Hoc anno Ceadda Merciorum, & Landisfarnorum in Anglia Episcopus, cujus sedes Licfaldia, cum *annis duobus ac dimidio*, eam ecclesiam sanctissime gubernasset, *sexto die nonarum Martiarum*, e vivis ereptus est, ait Beda,

da, ac plura de ejusdem gestis, ac ad Deum transitu adnotat, deinde *in cujus locum ordinavit Theodorus Vinfridum virum bonum, & modestum, qui sicut prædecessores ejus, provinciis Merciorum, & Mediterraneorum Anglorum, & Lanbisfarnorum Episcopatus officio præesset: in quibus cunctis Vilpheri, qui adhuc supererat sceptrum Regni tenebat*, Eodemque loco, & libro plurima de aliis sanctitatis præclarissimis viris, ac mulieribus, eorumque transitu ad Deum idem auctor addit, quæ brevitatis studio prætermimus, scilicet de Oswino monacho magnæ sanctitatis viro, de sanctis Virginibus, quæ sub sancta Edilburga Abatissa vitam ducebant, quam etiam hoc tempore ad Deum abiisse, ac signis inclaruisse narrat.

JESU CHR. AN. 673.

JESU CHRISTI AN. 673. ADEODATI PAPÆ 2.
CONSTANTINI POGONATI IMP. 6.
BERTHARIDI ITALIÆ REGIS 3.

Vamba Hispaniæ Rex rebelles domat.

1. Vambam Reccesvintho in Regno Gothorum Hispanico successisse anno proximo diximus, ejusque Regni initia, nobilium rebellantium factione turbata fuisse adnotavimus; nam Septimania provincia in Gallia Narbonensi, quæ sub Gothorum potestate tunc suberat Francorum armis adjuta ac ab Ilderico quodam ad rebellionem incitata, ab ejusdem Imperio sese subtraxerat, cumque ad rebelles comprimendos Paulum quemdam cum Gothorum copiis misisset Vamba; Paulus a Vamba deficiens, Francorum copiis adjutus, adversus eum, a quo missus fuerat, arma convertens, plurimas Hispaniæ civitates suæ subdidit potestati, Regisque nomen & ornamenta suscepit, regiamque coronam gemmis ornatam, quam S. Felici Gerundensi martyri obtulerat Reccaredus, suo capiti sacrilegus imposuit. Cito tamen tum sacrilegii, cum susceptæ tirannidis pœnas dedit, nam Vamba Gothorum collecto exercitu, in provinciam Tarraconensem ingressus, Barcinonem, & Gerumdam recepit. In Gallia deinde progressus Narbonem, Bitherras, Agatham, & Magulonam perdomuit, ac denique quarto Kal. Septembris Nemausum expugnavit, ipsoque Paulo in vincula conjecto, factionem omnem extinxit, domuitque rebelles, ac *sedem sui solii, sexto postquam inde commigraverat mense repetiit*, inquit Julianus

JESU CHR. AN. 673. lianus Toletanus Episcopus auctor coevus, a Duchesnio deinde inter Toletanos Patres nuperrime Matriti editus, qui Vambæ Regis gesta sincero stylo descripsit, ac Dei auxilio innixum, magis quam armis stipatum, tam facilem de potentibus hostibus victoriam tulisse Vambam adnotat, ita ut sex mensium intervallo, victor Toletum redire potuerit.

Chilperici Francorum Regis obitus

2. Chilpericum Clotario in Regno Francorum, cum fratre Theodorico successisse anno 670. diximus, nec multo post, detonso Theodorico fratre, Austrasiæ Regno, Burgundicum & Oeustricum addidisse adnotavimus; Is porro Leodegarii Augustodunensis Episcopi consilia aliquanto tempore sequens, optimi Principis speciem prætulit, & securus vixit. At invidis faciles aures præbens, qui Leodegarii Episcopi prudentiam, & severitatem metuebant, ejusque famæ & vitæ insidiabantur, eousque ab eo alienatus est animo, ut eum interficere meditaretur, cum præsertim ob incestas ab eo contractas nuptias, a sancto viro redargutus esset, quod & perfecisset, nisi Leodegarius tempori cedens, & aulæ valedicens, in Luxoviense monasterium hoc anno sese recepisset. His gestis, *divina non diu distulit ultio suum de Hilderico dare judicium*, ait auctor anonymus vitæ Leodegarii; *Nam ejus dissoluta conversatio omnibus increverat Palatinis Optimatibus: Tunc unus ex eis hoc molestius ferens præ ceteris, dum venationem in silva securus exerceret, eum vulnere mortis percussit*, occisorem autem Bobilonem quemdam virum nobilem fuisse tradunt Francorum annales, quem Childericus ad stipitem alligatum, servili supplicio verberibus afficiendum jusserat. Hæc autem hoc anno accidisse, paulopost idem auctor vitæ Leodegarii his verbis indicat. *Adeo tunc iram Dei manifeste cognovimus evenisse, ut etiam stella appareret, quem Astrologi Cometem vocant, in cujus ortu asserunt fame terram turbari, mutationem Regum, vel commotionem gentium, percussionis gladium imminere; Hæc enim omnia manifeste tunc constitit evenisse*. Hic auctor loquitur de Comete, seu Iride, cujus anno elapso ex Theophane mentionem fecimus; Cum Chilperico periit quoque uxor ejus Bithildes, & filius Dagobertus, ut ex fragmento vitæ sancti Lamberti Episcopi Lugdunensis scimus: *Rex Childericus*, inquit, *insidiis satellitum suorum, una cum conjuge Bithilde, filioque nomine Dagoberto, vita & regno privatus est*. Et sane cum sæculo proximo

ximo Chilperici sepulchrum in ecclesia S. Germani prope Parisios detectum fuisset, cum hac inscriptione *Childh Rex* ac in interiore Sarcophagi parte, una cum corpore Chilperici, & Uxoris ejus, & corona aurea, quæ Childerici caput cingebat, in parvula capsa lapidea, infantuli quoque ossa inventa sunt, Dagoberti scilicet filii; Superstitem tamen filium alterum reliquit Chilpericum patri cognominem, qui post Clodoveum secundum, paternum regnum adeptus est.

Theodoricus Childeberto succedit.

3. Chilperico interempto, frater ejus Theodoricus successit, qui regno olim dejectus, capite tonso in monasterio S. Dionysii inclusus, judicium Dei jamdiu expectabat. At Childerici nece vulgata, Leodegarius Augustodunensis Episcopus, cum Ebroino Luxovio egreditur, Ebroinus quidem monastica veste indutus, ac stipatus agmine eorum, qui una cum eo Childerici jussu relegati fuerant: ambo itaque simul profecti, Augustodunum versus tendunt. In itinere Ebroinus impulsus a suis, in Leodegarium, etsi cum eo in gratiam redire visus fuerat, manus injecisset, ni Genesius Lugdunensis pontifex prohibuisset. Leodegarius autem ab Æduensibus suis exceptus est cum aliqua triumphi forma, qualis tantum antistitem decebat. Postridie ambo urbe pariter egressi ad Theodericum una pergunt. At Ebroinus in medio itinere a Leodegarii comitatu recedens domum se contulit, ac clericatu cum veste monastica deposita, uxori etiam, ut velamen sacrum abjiceret, persuadet, eamque e Suessionensi beatæ Mariæ Parthenone eductam in torum recepit. Tum regi Theodorico, cui se invisum esse sciebat, adversarium se præbens, pseudoregem quemdam Clodoveum, quem Clotharii filium esse jactitabat objecit. Ejusque commento in primis suffragabantur Desideratus, cognomento Diddo seu Dido, atque Bobo ejus collega, perversi ingenii homines, quorum alter Cabilonensi, alter Valentinæ ecclesiæ incubabant. Receptus a Theoderico rege Leodegarius, eidem auctor fuit, ut palatii præfectum institueret Leudesium, Erchinoaldi quondam majoris-domus sub Clodoveo filium; Eum tamen paulo post, Ebroinus hominum superbissimus, & nequissimus interfecit, ac per vim dignitatem ejus occupavit, deinde ut Leodegarium quoque Episcopum, quem tyrannidi suæ adversari sciebat, perderet, consilium iniit, ac per paratos satellites suos Didonem scilicet Episcopum, & Vvaimerem ducem

Jesu Chr. an. 673. Campaniæ comprehendere molitur. Deinde Augustodunum convolat, urbem obsidet, proxima quæque vastat. Leodegarius interim lances argenteas, & alia vasa plurima minutatim frangi, & monasteriis utriusque sexus, tam in urbe, quam in agro Augustodunensi positis, egentibusque distribui jussit, tum Meroaldum abbatem suburbani sancti Martini cœnobii ad se vocatum ad Didonem misit, ut accepta, quantumcumque vellet, pecunia discederet. Verum, eo recusante, Leodegarius oppidanorum rebus consulens, sponte se dedidit inimicis; & statim ad Vvaimerem, hominem nequissimum adductus, crudeliter, uti Ebroinus jusserat, luminibus orbatus est, quod dum fieret, pius invictusque Antistes manus suas vinciri noluit, nec modo non gemuit, sed etiam Dei laudes psalmosque cecinit. Eamdem Genesius Lugdunensus Episcopus subiisset pœnam, nisi se intra suam urbem strenue defendisset adversus scelestos Ebroini satellites; His gestis cum Ebroinus ubique, & omnibus terrori esset, fictum hactenus Regem Clodoveum dimisit, ac ad Theodorici partes accessit, non tam palatii, quam ipsius Regis in posterum dominationem habiturus, ut exitus demonstravit, nam non solum in quemlibet sibi adversantem impune sæviit, sed in omnium fortunas, & vitam pro libitu grassatus est, at in iis diu immorari instituti nostri ratio non patitur.

Dagobertus secundus Austrasiæ Regnum obtinet.

4. Dum hæc in Neustriæ & Burgundiæ Regno ficrent, in Austrasia novus quodammodo Rex apparuit, Dagobertus scilicet, Sigeberti Austrasiæ olim regis filius, quem post patris obitum, Grimoaldus Majordomus Sigeberti, ut filium suum Childebertum Regem faceret, capite tonsum in Hiberniam relegaverat, uti jam supra ad annum 656. adnotavimus. Is porro cum inter varia pericula ignotus & errans peregrinatus esset, paternum tandem Regnum hoc anno adeptus est, Vilfridi præsertim Eboracensis tunc Episcopi opera adjutus, ut in Vilfridi vita narrat auctor; de anno autem, quo in Austrasiæ Regnum rediit Dagobertus, dissident eruditi, nam alii vivente adhuc Chilperico, quin & Grimoaldo Longobardorum Rege id accidisse scribunt, alii tardius, & hoc anno post Chilperici obitum, de quibus anno 670. nonnulla adnotavimus. In eo omnes conveniunt, post Chilperici interitum, Austrasiæ Regnum, quod vivente Chilperico

perico præcario quodam nomine Dagobertus possidebat, sibi obfirmasse, ac dilatasse, quod ad annum usque 678. obtinuit, quo anno Ebroini perfidia occisus est, ut ibidem dicturi sumus.

Jesu Chr. an. 673.

5. Ad Anglicanam illustrandam ecclesiam, Theodorum sanctissimum ac doctissimum virum cum Hadriano, & Benedicto, illuc missum fuisse a Vitaliano Papa supra diximus; Is vero Apostolica fultus auctoritate, qua in totam Angliam pollebat, synodum hoc anno Helforidiæ celebravit. *Facta est hæc synodus*, ait Beda, *anno ab Incarnatione* Domini 673.: *quo anno Rex Cantuariorum Ecgberet mense Julio obierat* & in epitome iterum, *Ecghert Rex Cantuariorum obiit, & synodus facta est ab Herudforda, præsente Ecgfrido Rege, præsidente Archiepiscopo Theodoro utilissima decem capitulorum* In synodi inscriptione celebratum concilium legitur die 24. Septemb. anni 673. indict. 1., anno 3. Regis Ecgfridi: Theodorus synodo præfuit, ac cum eo Bisi Orientalium Anglorum Episcopus, Vilfridus Northundambrorum gentis Episcopus per legatos suos, Putta Episcopus Castelli Cantuariorum, quod dicitur Rochschester, Luterius Episcopus provinciæ Merciorum; eos vero in unum congregatos, Theodorus interrogavit, num Sanctorum patrum statuta servare vellent, iisque se ad id promptos, alacresque esse respondentibus, capitula decem, ab iis probanda & subscribenda obtulit, quibus actis singuli subscripserunt.

De synodo Herudfordiensi ejusque canonibus.

6. Capitulorum autem hæc summa est. Primum, ut Sanctum diem Paschæ in commune omnes servarent, dominica post 14. lunam primi mensis, *Secundum, ut nullus Episcoporum parochiam alterius invadat, sed contentus sit gubernatione creditæ sibi plebis. Tertium, ut quæque monasteria Deo consecrata nulli Episcoporum liceat ea in aliquo inquietare, nec quidquam de eorum rebus violenter abstrahere. Qaartum ut monachi non migrent de loco ad locum, hoc est, de monasterio ad monasterium, nisi per dimissionem proprii Abbatis, Quintum, ut nullus clericorum relinquens proprium Episcopum, passim quolibet discurrat, neque alicubi veniens absque commendatitiis litteris sui Præsulis suscipiatur. Quod si semel susceptus est, & noluerit invitatus redire, & susceptor, & is, qui susceptus est, excommunicationi subjacebit. Sextum, ut Episcopi, atque clerici peregrini contenti sint hospitalitatis*

Synodi Herudfordiæ capitula, seu canones.

JESU CHR. AN. 673. *munere oblato, nullique eorum liceat ullum officium sacerdotale absque permissu Episcopi, in cujus parochia esse cognoscitur, agere. Septimum, ut bis in anno Synodus congregetur: sed quia diversæ causæ impediunt, placuit omnibus in commune, ut Kalendis Augusti, in loco, qui appellatur Clofeshooh, semel in anno congregetur. Octavum, ut nullus Episcoporum se præferat alteri per ambitionem, sed omnes agnoscant tempus & ordinem consecrationis suæ. Nonum capitulum in commune tractatum est, ut plures Episcopi, crescente numero fidelium, augerentur. Sed de hac re ad præsens silemus. Decimum, pro conjugiis, ut nulli liceat nisi legitimum habere connubium: nullus incestum faciat; nullus conjugem propriam, nisi, ut sanctum Evangelium docet, fornicationis causa relinquat. Quod si quisquam propriam expulerit conjugem legitimo sibi matrimonio conjunctam: si Christianus esse recte voluerit, nulli alteri copuletur, sed ita permaneat, aut propriæ reconcilietur conjugi.* Hæc, & alia de synodo Herdfordiensi Beda lib. 4. cap. 6.

Sexvulfus Litthelfaldiensis, Earconvaldus Londinensis Episcopi creati.

7. Capite vero sequenti idem auctor Sexvulfum Litthelfaldiensem Episcopum, & Ernovaldum Londinensem ordinatos fuisse his verbis adnotat, hoc, vel sequenti anno. *Non multo post hoc elapso tempore offensus a Vilfrido Merciorum Episcopo, per meritum cujusdam inobedientiæ, Theodorus Archiepiscopus deposuit eum de Episcopatu, post annos accepti Episcopatus non multos,* (idest tres) *& in loco ejus ordinavit Episcopum Sexvulfum, qui erat constructor & Abbas monasterii, quod dicitur Medesnamsteni, in regione Girviorum; depositus vero Vingfrid rediit in monasterium suum, quod dicitur ad Barve; ibique in optima conversatione vitam finivit. Tunc etiam Orientalibus Saxonibus, quibus eo tempore præfuerunt Sebbi, & Sigberi* (Reges,) *Erconvaldum constituit Episcopum in civitate Landonia, cujus videlicet viri in Episcopatu, & ante Episcopatum vita & conversatio fertur fuisse sanctissima, sicut etiam nunc cælestium signa virtutum indicio sunt &c.* Sed de his hactenus.

Ecgbertus Cantuariorum Rex & Kenesvalchius Occidentalium Saxonum moriuntur.

8. Eodem anno quo Herdfordii synodus celebrata fuit, idest hoc anno, mortuus est Ecgbertus Rex Cantuariorum, ut narrat Beda, eique successit Lotharius, unde supradicta synodus, sub initio primi anni Lotharii Regis Cantii celebrata dicitur, eodemque anno Kenesvalchius Occidentalium Saxo-

Saxonum Rex christianus vivere desiit, cum annos unum supra triginta regnasset, qui cum filios Regni hæredes non reliquisset, Sexburga ejusdem uxor ultra annum Regnum administravit. At ea defuncta cum nullus Regni hæres e vicino esset, *acceperunt subreguli regnum gentis* (ejusdem) ait Beda, *& divisum inter se tenuerunt* annis circiter decem, idest Escuinus, & Kentuinus Regii generis, & Christiani, ut ex Malesburiensi lib. 1, de Regibus Anglorum capite 2, liquet, de quibus plura apud Pagium videri possunt.

JESU CHRISTI AN. 674. ADEODATI PAPÆ 3.
CONSTANTINI POGONATI IMP. 7.
BERTHARIDI ITALIÆ REGIS 4.

Privilegium Adeodati Papæ monasterio Dorovernensi concessum.

1. Cum de gestis ecclesiasticis vix notatu digna hoc anno occurrant, privilegium ab Adeodato Papa sub indictione secunda, quæ ad Septembrem usque in cursu fuit, sese offert, Hadriano Abbati monasterii Dorovernensis in Anglia inscriptum. Hic porro Hadrianus a Vitaliano Papa cum Theodoro in Angliam missus fuerat, eumque Theodorus Monasterio SS. Petri & Pauli Dorovernia præfecerat, eique Adeodatus Papa hoc anno privilegium dedit, quo ejusdem monasterio immunitatem, & exemptionem ab omni ecclesiastica, & seculari potestate tribuit; ac ut Monasterii Abbas nonnisi ab ejusdem monasterii monachis eligeretur, facultatem impertiit; ut ibidem videre est; non ignoramus hujuscemodi privilegia, a Romanis Pontificibus, aut ab Episcopis, vel Principibus, Ecclesiis, & monasteriis concessa, quæ passim apud Mabillonium in actis Ordinis S. Benedicti, vel annalibus ejusdem ordinis, vel apud Ughelli in Italia sacra, apud Samarthanos in Gallia sacra, aliosque aliarum ecclesiarum illustratores & historicos, non ignoramus, inquam, hujuscemodi privilegiis fidem temere habendam non esse, uti criticorum plurimi, duce Launojo, in celebri disquisitione de privilegio monasterio Sancti Medardi inscripto adnotarunt, atque in iis Apostolicum canonem præ oculis habendum quo dicitur. *Omnia probate quod bonum est tenete*. Et sane quis in dubium revocabit privilegium monasterio Petriburgensi in Anglia ab Agathone Papa non multis ab hinc annis, idest circa annum 780. concessum, cujus Beda meminit

JESU CHR. AN. 674. minit in vita Benedicti Episcopi & Abbatis Viremuthensis, qua refert quod cum hoc alterum monasterium in honorem B. Petri ædificasset, ac Romam profectus esset, inter multa, quæ in Angliam reversus Roma detulit, non solum Joannem *Archicantorem* ecclesiæ Beati Apostoli Petri, & Abbatem monasterii Sancti Martini in Angliam duxit. *Quem sui futurum magistrum monasterii Britannias Romanum Anglis adduceret, qui illo perveniens, non solum viva voce, quæ Romæ didicit, ecclesiastica discentibus tradidit, sed & non pauca etiam litteris mandata reliquit*, deinde *quartum Benedictus non vile munus tulit, epistolam privilegii a venerabili Papa Agathone, cum licentia, consensu, desiderio, & hortatu Ægfridi Regis acceptam, qua monasterium, quod fecit, ab omni prorsus extrinseca irruptione tutum perpetuo redderetur ac liberum?* Ex his tamen non sequitur, quod legitima sit Agathonis Papæ epistola ad Ethelredum Merciorum Regem inscripta; quam Labbeus, & Vilkins in collectione conciliorum Britanniæ exhibent, qua ejusdem monasterii Abbatem, ejusque successores, Romanæ sedis legatos in tota Anglia imposterum esse jubebat, ac peregrinationem ad dictum monasterium, pro peregrinatione ad limina Apostolorum subrogabat; fictitiam quam esse, ac inmerito Agathoni Papæ inscriptam manifestum est. Quis etenim sibi umquam persuadebit Romanæ ecclesiæ vices in Anglia Abbati Petriburgensi concessisse Agathonem, cum in Anglia Romanæ sedis legatus hac ætate Dorovernensis ecclesiæ Archiepiscopus esset? Quare monasterium illud ab externa infestatione liberum quidem Agathonis privilegio redditum fuisse, ut ait Beda, credibile omnino est, ideft, ab Episcopali jurisdictione exemptum; ne in eo Episcopus cathedram erigeret, ne monachos revocaret, aut monasterium exactionibus vexaret, uti passim a Romanis Pontificibus aliis quoque monastariis concessum fuisse scimus; Abbatem vero, Episcopis totius Angliæ, collata Romanæ sedis legatione, prælatum fuisse admitti nequaquam potest, uti pluribus persequitur Spelmannus, quæ tomo primo monastici Anglicani pag. 67. videri possunt.

Labb. to. 6. pag. 576. Vilkins to. 1. pag. 48.

Monasterium Viremuntense a S. Benedicto Biscopo fundatum.

2. Monasterium autem Viremutense a Petro Apostolo, cui dicatum fuit, Petriburgense etiam dictum, ac ab Agathone Papa privilegio munitum, ut ab exterorum infestatione

ne liberum esset, Monasterium inquam illud Benedictus Biscopus fundavit. *Tantum*, quippe *apud Regem* (Egfridum Northumbriæ Regem) *gratiam familiaritatis invenit*, ait Beda, *ut confestim ei terram septuaginta familiarum de suo largitus, monasterium inibi primo pastori ecclesiæ (idest Petro) facere præciperet. Quod factum est, sicut & in proemio memini ad ostium fluminis Vviri ad Aquilonem, anno ab incarnatione Domini sexcentesimo septuagesimo quarto indictione secunda, anno autem quarto Imperii Egfridi Regis*. Idem vero Benedictus jam alterum monasterium ædificaverat ad Tinam fluvium in territorio Girversi, unde Girverse monasterium dictum est, quod S. Paulo dicatum fuerat, uti in supracitata Benedicti vita narrat Beda numero quarto, ac annis sexdecim eidem præfuisse adnotat, numero vero sequenti addit, vitreorum usum Anglis hactenus incognitum fuisse; At Benedictus Biscopus *misit legatarios* Galliam, *qui vitri factores artifices videlicet Britannis eatenus incognitos, ad cancellandas ecclesiæ, porticuumque & cenaculorum ejus fenestras adducerent, factumque est, & venerunt, nec solum postulatum opus compleverunt, sed & Anglorum ex eo gentem hujusmodi artificium noscere, ac discere fecerunt*:

JESU CHR. AN. 674.
Beda in vita Bened. Biscopi lib. 1. 4.

3. Cum civili bello, mutuisque dissentionibus inter se Francorum Reges hac ætate dissiderent, totaque eorum auctoritas apud Præfectos palatii, seu majores domus translata esset, gentes plurimæ, quæ præsertim transrenanæ erant, idest Saxones, Bojarii, Frisii, Svevi, aliique populi, Francorum jugum excusserunt, & cum Francorum dominatione, christianam quoque religionem, quam non dudum acceperant, vel penitus abjecerunt, vel ad Idolorum superstitionem redierunt, aut hæresibus, aliisque morum corruptelis fœdarunt, quos proinde seculo sequenti, Pippinus Heristallus, Carolus Martellus. & Carolomannus, non sine maxima difficultate, hominumeue strage, in suam redigere potestatem; ut ibidem dicturi sumus; de religionis vero christianæ iis in provinciis restitutione, præfatus Carolomannus in concilio Germanico anni 742. ad Episcopos, & Presbyteros illic congregatos ajebat: *Ut mihi, consilium dedissent, quomodo lex Dei, & ecclesiastica religio recuperetur, quæ in diebus præteritorum Principum dissipata corruit, & qualiter populus christianus ad salutem animæ pervenire possit, & per falsos*

Saxones Bojarii Frisii aliique populi Francorum jugum, & Christianam religionem abjiciunt.

Jesu Chr. an. 675.

falsos Sacerdotes deceptus non pereat. Eadem dixit Pippinus in concilio Svessionensi, anno 744. celebrato. Cumque Gregorius secundus ad prædicandum iis gentibus Evangelium, Bonifacium misisset: Is ut in Turingiam pervenit, *Seniores plebis, populique Principes affatus est, eosque relicta ignorantiæ cæcitate, ad acceptam dudum christianitatis religionem iterando provocavit*. Itaque ad pristinam eos religionem, quam abjecerant, revocare conabatur: Hoc autem fere tempore gentium illarum adversus Francos rebellionem, & religionis christianæ eversionem, & contemptum accidisse indicat idem Bonifacius earum gentium Apostolus in epistola ad Zachariam Pontificem anno 742. data, qua religionem christianam illic ante sexaginta, aut septuaginta annos dissipatam fuisse narrat. *Notum sit paternitati vestræ*, inquit, *quod Carolomanus dux Francorum, me accersitum ad se rogavit, ut in parte regni Francorum quæ in sua est potestate, faciam synodum congregari, & promisit se de ecclesiastica religione, quæ jam longo tempore, idest non minus, quam per sexaginta, vel septuaginta annos calcata & dissipata fuit, aliquid corrigere & emendare velle*. At de illarum gentium conversione fusiori stylo agemus seculo proximo.

JESU CHRISTI an. 675. Adeodati Papæ 4.
Constantini Pogonati Imp. 8.
Berthari di Italiæ Regis 5.

Joannis CP. Episcopi obitus cui Constantinus sufficitur.

1. Hoc, vel proximo elapso Joannes CP. Episcopus, cum eam sedem annos quinque, menses novem tenuisset, ut ait Nicephorus in chronico, vivere desiit: eique Constantinus diaconus ejusdem ecclesiæ, & vasorum sacrorum custos suffectus est, quem catholicum fuisse, una cum Thoma, & Joanne decessoribus suis, testantur acta sextæ synodi his verbis. *Hos sanctæ memoriæ tres viros, idest Thomam, Joannem, & Constantinum, prævidimus in identitate manere, atque in sacris dypticis sanctarum ecclesiarum recitari, utpote qui in omnibus immaculati & irreprehensibiles inventi sunt, circa rectam nostram christianorum fidem &c.*.

Synod. sexta act. 14.

Toletanum concilium undecimum.

2. Concilium Toletanum undecimum hoc anno celebratum est, post annos octodecim, ex quo intermissis in ea provincia conciliis, decimum celebratum fuerat; Unde Patres in

in præfatione gratulantur, quod beneficio Vambani, seu Vambæ Principis, simul convenire, se invicem amplecti, ac intueri datum esset, simulque præteriti temporis acerbitatem deplorarunt, cum intermissa conciliorum celebratione, *Eramus*, inquiunt, *hucusque prolabentis seculi colluvione instabiles, quia annosa series temporum, subtracta luce conciliorum, non tam vitia auxerant, quam matrem omnium ignorantiam otiosis mentibus ingerebat*. Quare Vambæ Regi gratias agunt, quod annua concilia restituerit, Synodo *Quiricus urbis regiæ Metropolitanus* Episcopus præfuit, & cum eo Episcopi 18. ex his duo per vicarios adfuerunt. Post Episcopos subscripti quoque leguntur Abbates monasteriorum sex, ac tandem Gudila Toletanæ ecclesiæ Archidiaconus; diem, & annum quo convenerunt, his verbis denotant. *Anno quarto Vambani Principis sub die septima idus Novemb.*; hoc scilicet anno, quo Kal. Septemb. annum quartum Vamba incœperat. Post præclaram fidei confessionem, canones sexdecim sequuntur, quorum primo corrigitur, quidquid a Sacerdotali majestate alienum aut indecorum erat, verborum strepitus, risus immoderatus, ac verba etiam jocosa, præcipue cum in ecclesia essent, aut in conciliis considerent, 2. Episcopos admonet, ut indesinenter lectioni divinæ, & verbi prædicationi vacarent, 4. cautum est, ut psallendi ritus idem ubique servetur, ac Metropolitanæ ecclesiæ ordinem ceteri Episcopi in suis diœcesibus observarent, quod etiam in officiis publicis, cum populus conveniebat, a monachis servari præcipit, 4. jubet ut diffidentes ad charitatem & concordiam revocentur, alioquin a communione arceantur, 5. Episcopos hortatur, ut a litibus, & contentionibus quantum fieri potest se abstineant, ita ut magis damnum pati, quam litigare parati sint; Si quis vero Episcopus, magnati cujusque uxorem, neptem, aut filiam, adulterina pollutione violaverit, *Et honoris proprii gradum amittat, & sub exilii relegatione perpetuam excommunicationis sententiam perferat, qui tamen circa finem vitæ communionis remedio adjuvandus est*, eademque sententia plectetur si homicidium fecerit, aut gravem injuriam alicui fecerit. 6. Episcopis sanguinis caussas tractare vetat, aut mutilationem membrorum facere, aut jubere, perpetuæ excommunicationis pœna iis illata, qui contra fecerit. Septimus Episcopis jubet, ut in fratrum corre-

JESU CHR. AN. 675.

JESU CHR. AN. 675. ctione, plus charitati, quam severitati tribuant, & ut delinquentium causæ publice pertractentur, ne *dum se simulant spiritualem eis adhibere correctionem, indiscretam subito afferant mortem, cum inauditos a se projiciunt, & occultis eos judiciis sub pœnitentia puniunt*. 8. Aliquid sponte etiam oblatum accipere pro baptizandis, consignandisque fidelibus, aut pro collatione chrismatis, vel promotionibus graduum prohibet, alioquin si id permiserit Episcopus duobus mensibus excommunicationi subjaceat. Presbyter tribus mensibus, Diaconus quatuor, Subdiaconus, vel clericus competenti verberatione, & excommunicatione plectuntur. 9. Eos qui per Simoniam ordinati fuerant, debita censura subjiciendos esse jubet. 10. Quicumque ad suscipiendos ordines accesserit, fidei professionem edat, ac obedientiam Episcopo suo promittat. 11. Ut fideles Eucharistiam sub utraque specie sumant, jubet. Infirmos tamen excipit, qui urgente morbo, nonnisi sub vini specie eam sumere poterant, 12. In periculo mortis constitutis pœnitentia & reconciliatio iis tribuatur, qui eam petierant, si quis vero pœnitentiam agens, subita morte raptus fuerit, hujus memoria fiat, & oblatio recipiatur. 13. Qui a Dæmone obsessi, aut in terra illiduntur, aliove modo vexantur, sacris altaribus non accedant. 14. Sacrificium offerens, adjutorem semper habeat paratum, ut superveniente infirmitate vices ejusdem expleat. 15. Ut singulis annis in Metropolim Episcopi ad synodum conveniant, jubet, ac tandem decimo sexto canone, ut omnes subscriberent, admonentur, gratiasque Vambæ Regi agunt, *cujus ordinatione collecti, cujus etiam studio aggregati sumus*. In hac autem synodo, sedium Episcopalium divisionem factam fuisse Hispani auctores tradunt. At cum hæc synodus provincialis tantum fuerit, ecclesiarum Hispaniæ limites figere nequaquam potuit. Quare in altera Toletana synodo generali seu nationali omnium ecclesiarum, quæ intra fines Regni Gothici in Gallia, & Hispania erant, hanc Episcopalium sedium ecclesiarum Hispaniæ divisionem factam fuisse vero proximum est, etsi synodi hujus acta perierint, quippe hujus ætatis Toletana concilia periisse, verosimile est, cum præsertim hæc undecima jussisset, ut singulis annis ea celebrarentur, nihilominus toto quinquennio, quo adhuc superstes fuit Rex Vamba, nulla altera ad nos transiit,

3. To-

3. Toletanæ synodo Bracarensem addimus, quam tertiam, vel quartam nonnulli inscribunt, eamque sub Vamba Rege, cui salutem prosperitatemque congregati Episcopi precantur, habitam fuisse scimus, quo autem anno regni ejus, incertum est. Episcopi in ea octo convenerunt, ac canones novem ad ecclesiæ disciplinam restaurandam editi sunt, post primum, quo fidei confessio continetur, canone secundo cautum est ut in oblatione dominica panis tantum & vinum offeratur, & consacretur, & ne Eucharistia vino intincta fidelibus porrigetur, sicuti nec uvæ integræ. butirum, aut lac offerretur, aut consecraretur, 4. ne vasa sacra in usus profanos adhibeantur. Ut Sacerdos orario indutus sacrificium offerat: 5. Clericis habitatio cum extraneis fœminis prohibetur. 6. Non licet Episcopis reliquias etiam sanctorum deferentibus, ut a diaconis albis indutis gestari super humeros se faciant, cum id præsumptionem, vanumque fastum sapiat. 7. Episcopi honoratas personas, Presbyteros præcipue, Abbates, vel diaconos verberibus affici non jubeant, nisi pro gravioribus, & mortalibus culpis. 8, Pro ordinum collatione nihil offeratur, nihilque accipiatur: 9. Ut res ecclesiæ caute custodiantur, diligenterque administrentur, jubet: Atque de his hactenus,

Jesu Chr. An. 675. Bracarense concilium ejusque canones.

4. Anno quarto Pontificatus Adeodati, qui cum labenti concurrit, Romam ad limina Apostolorum peregrinationem suscepit Audoenus Rothomagensis Episcopus, ut Fridegundus in ejus vita narrat, & quidem comitantibus plurimis, multoque auro, & argento onustus, ut ad sepulchra martyrum Romæ offerret, aut pauperibus distribueret. *Cumque hoc*, ait auctor, (idest iter Romanum) *longe lateque fama vulgaret, undique conveniunt ad virum Dei homines religiosi auri argentique pondera multa ei afferentes, simulque obsecrantes, ut ad corpus sanctorum Apostolorum, & martyrum pro redemptione animarum suarum ea deferri jubeat, partem etiam pauperibus illic suis sacris manibus distribuat, ipsosque suis precibus Christo commendet: Multi ergo venerabiles viri & Deo devoti una cum illo proficisci sibi licere gratulantur, in quibus erat sanctus Sidonius genere Scotus, extructor monasterii, quod nunc per metonymiam, sanctum Sidonium appellant &c.*. Urbem autem ingressus, ac martyrum memorias adiens, vota supplicationesque tam pro se,

S. Audoenus ad limina Apostolorum peregrinatur

 quam

Jesu Chr. An. 676.

quam pro totius Ecclesiæ Catholicæ pace cum uberibus lacrymis obtulit, ac cum ad Petri Confessionem hunc versum inciperet: Exultabunt sancti in gloria: divinitus responsum est: Lætabuntur in cubilibus suis: ibique per Romanas Ecclesias, & sanctorum memorias traditam sibi pecuniam distribuit, absolutis autem per loca singula precibus, *cum multarum reliquiarum suffragiis tandem venerabilis senex, altissimis Alpium jugis transmissis, in Gallias revertit*. Hucusque auctor.

JESU CHRISTI AN. 676. DONI PAPÆ I.
CONSTANTINI POGONATI IMP. 9.
BERTHARIDI ITALIÆ REGIS 6.

Adeodati Papæ obitus eique Donus succedit.

1. Cum annos quatuor, menses quatuor, dies quinque Romanam sedem tenuisset Adeodatus Papa, hoc anno, die 26. Iunii mortuus est, ac *ad B. Petrum Apostolum die sexto Kal. Julias sepultus*, ut ait Anastasius, qui addit, *& cessavit Episcopatus menses quatuor, dies quindecim*, eique die prima Novembris successit Donus, *natione Romanus, ex patre Mauricio, sedit annum unum, menses quinque, dies decem*, de cujus gestis, & obitu anno sequenti,

Adeodati Papæ gesta.

2. De gestis Adeodati Papæ inter reliqua adnotat Anastasius, eum Ecclesiam B. Petri, *quæ est in Portuensi juxta campum Meruli* reparasse & dedicasse, atque in Monte Cælio monasterium extruxisse, multisque prædiis ditasse, ubi etiam Abbatem, & congregationem constituit. Ejusque nomine privilegium monasterio Turonensi, S. Martini datum, inscriptum est, ac universis Galliarum Episcopis directum, quod post Baronium exhibent conciliorum editores, eoque monasterium illud ab Episcopi jurisdictione immune declarat, seu potius immunitatem ab Chrotberto Turonensi Episcopo datam confirmat, Episcopo tantum facta potestate monachos ordinandi, & chrisma conficiendi; Ex eo autem Adeodati privilegio manifestum est, ait Baronius, jam cessasse Romanos Pontifices ejusmodi immunitates concedere monasteriis, cum dicat S. Pontifex: *Mos atque traditio sanctæ nostræ ecclesiæ plus non suppetat a regimine Episcopalis providentiæ religiosa loca secernere*. Id fortasse, quod experimento didicissent, ejusmodi immunitates obfuisse potius, quam pro-

Adeodati privilegium monasterio S. Martini in Galliis datum.

Bar. an. 675. num. 2. ad 6. Concil. Labb. tom. 6. pag. 523.

profuisse monasticæ disciplinæ. Certe quidem numquam placuit S. Bernardo, quod ex pluribus locis epistolarum ejus apparet, ut monachi ab Episcopali obedientia, hujusmodi privilegiis se subtraherent, nec gratum fuit sancto Francisco, sed fratri Eliæ, *hominis non divino spiritu, sed carnis prudentia nitentis fuit opus*, ait Annalium Parens: ceterum, hoc quoque Adeodati privilegium ab Launojo, aliisque suspectum ac suppostitium. At alii Galliarum scriptores vindicarunt, ad quos lectores remittimus. JESU CHR. AN. 676.

3. Anno labente, *dominicæ Incarnationis* 676. ait Beda tum in epitome, cum in historia, cum Edilredus Merciorum in Anglia Rex bellum adversus Lotharium Cantiæ Regem gereret, Ecclesiis, & monasteriis vastationem quoque attulit. *Civitatem quoque Rhosi, in qua erat Putta Episcopus, quamvis eo tempore absens, communi clade absumpsit, quod ille ubi comperit, Ecclesiam videlicet suam rebus ablatis omnibus depopulatam, divertit ad Sexvulfum Merciorum Antistitem, & accepta ab eo possessione Ecclesiæ cujusdam & agelli non grandis, ibidem in pace vitam finivit, nil omnino de restaurando Episcopatu suo agens: quia (sicut & supra diximus) magis in Ecclesiasticis, quam in mundanis rebus erat industrius, sed in illa solum Ecclesia Deo serviens, & ubicumque rogabatur, ad docenda ecclesiastica carmina divertens. Pro quo Theodorus in civitate Rhophi Vilbelmum consecravit Episcopum: sed illo post non multum temporis præ inopia rerum ab Episcopatu decedente, atque ad alia loca secedente, Gebmundum pro eo substituit Antistitem*. Ait Beda. Anglicana ecclesia bellis exagitata. *Beda lib.* 4. 12.

4. Nec gravissimæ in Italia deerant calamitates, post transitum enim Adeodati Papæ: *Tantæ pluviæ & tonitrua fuerunt*, ait Anastasius, *quales nulla ætas hominum meminit esse, ut etiam homines, & pecudes de fulgure interirent, & nisi per Lytanias, quæ quotidie fiebant, Dominus esset propitiatus, non potuissent homines triturare, vel in horreis frumenta recondere; in tantum enim crevere hæc mala, ut ex ipsis pluviis, legumina renascerentur, & ad maturitatem devenirent, pro quo capti homines mirabantur*. Hæc commemorans Paulus diaconus, *innumera hominum* & animantium millia fulminibus perempta fuisse addidit, quæ sane per exagerationem dicta, aut ad Pauli Diaconi textum addita fuisse adnotat Muratorius hoc anno. Italiæ calamitates. *Paul. Diac. hist. Longob. lib.* 5. 15.

J E.

Jesu Chr. an. 677.

JESU CHRISTI annus 677. Doni Papæ 2.
Constantini Pogonati Imp. 10.
Bertharidi Italiæ Regis 7.

Constantini Episc. CP. obitus, cui succedit Theodorus Monothelita

1. Constantinus CP. Episcopus in locum Joannis anno 674. ordinatus, cum annum unum, menses octo, dies aliquot eam sedem tenuisset, anno elapso vivere desierat, in cujus locum Theodorus Presbyter & Syncellus ecclesiæ CPolitanæ, & vasorum custos ordinatus est, qui a prædecessoribus suis Thoma, Joanne, & Constantino, quos catholicos fuisse diximus, dissentiens, Monotheliticam hæresim sequebatur, ob eamque causam post annos duos sua sede dejectus ut infra videbimus. Hic porro CP. thronum adeptus, cum communicatorias epistolas a Romano Pontifice Dono nequaquam recipiendas esse sciret, earum loco exhortatoriam scripsit, ut ex epistola anno proximo ad Donum ab Imperatore scripta, & ab Agathone Doni successore recepta his verbis constat. *Theodorus sanctissimus & beatissimus Patriarcha &c. suggessit nostræ serenitati, suspectum se esse dirigere consueta synodica ad vestram paternam beatitudinem, ne forsan non recipiantur, sicut & sub prædecessoribus ejus Patriarchis factum est, sed quia magis prævidit, adhortatoriam epistolam facere ad vestram paternam beatitudinem, quam & direxit.*

Theodorus Vitaliani Papæ nomen dypticis eradi postulat.

2. Eo etiam temeritatis devenerat Theodorus, ut Vitaliani Pontificis nomen ab ecclesia CP. hactenus retentum, eradere conatus sit, quod & perfecisset, nisi Imperator Constantinus voluntati ejus restitisset: Unde ajebat Imperator, multam nobis instantiam fecerunt tam hic sanctissimus *Patriarcha Theopoleos*, seu Antiochiæ, *ut ejiceretur Vitalianus Beatissimus e dypticis, asserentes Honorium memorari in dypticis propter honorem Apostolicæ sedis antiquæ nostræ Romæ. Nam non acquievere ut memorentur Patriarchæ, qui postmodum fuere in prædicta sancta Romana ecclesia, donec conquisitio & satisfactio proveniat verborum de quibus contenditur inter utrasque sedes: sed ad hoc non acquievimus*, addit Imperator, *idest ut ejiceretur idem Vitalianus e dypticis, hoc quidem utpote omnem æqualitatem servantes, & utrosque Orthodoxos habentes*, idest Honorium, & Vitalianum, nam cum in votis haberet piissimus Imperator disruptam, Monotheliterum

tarum causa, inter utramque ecclesiam communionem instaurare, in Romanæ ecclesiæ injuriam Vitaliani nomen e dypticis eradi, uti petierat Theodorus Patriarcha, prohibuit, usque dum legitima disquisitio cum legatis Romanæ sedis illuc mittendis fieret. Quare *polliciti sumus*, inquit Imperator, *prædictis sanctissimis Patriarchis, quod per omnia diriget paterna vestra beatitudo homines qui debeant conquirere cum ipsis, & tunc, secundum quod claruerit, perfecta dispositio fiat*.

Constantini petitio ad Donum Papam, ut legatos CP. mittat.

3. Præcipuus autem Constantinianæ epistolæ scopus is erat, ut cum tempus non permitteret Oecumenicam synodum celebrari, legatos suos Donus Papa CPolim mitteret, ut collatione ibidem cum Orientalibus Patriarchis, & Episcopis habita, pax & concordia inter ecclesias firmaretur. Unde post plurima subdit. *Postquam igitur tempus non recipit perfectam congregationem fieri, adhortamur vestram paternam beatitudinem per præsentem nostram piam sacram dirigere viros utiles, modestos, notitiam habentes totius a Deo inspiratæ doctrinæ, & peritiam irreprehensibilem habentes dogmatum, indutos personam vestræ Apostolicæ Sedis, ejusque Concilii deferentes & libros, quos oportet proferri, & omnem auctoritatem habentes: quatenus convenientes cum hic posito sanctissimo ac beatissimo Patriarcha, & Macario sanctissimo Patriarcha Theopolitanæ civitatis, perscrutentur cum omni mansuetudine & modestia, & per gratiam sancti Spiritus veritati insistere & consentire, munitionem habentibus eis, qui huc advenerint ex parte Sedis vestræ per præsentem nostram piam Sacram. Per Deum enim omnipotentem non est apud nos partis cujuslibet favor, sed æqualitatem utrisque partibus conservabimus, nullatenus necessitatem facientes in quocumque capitulo eis, qui a vobis diriguntur quoquo modo, sed & omni honore cum competenti munificentia & susceptione dignos eos habebimus. Et si quidem utrique convenerint, ecce & bene; sin autem minime convenerint, iterum cum omni humanitate eos ad vos dirigemus: de cetero nos excusantes in judicio Dei imminente nobis, juxta quod constituti sumus servare fidem sanctam & immaculatam, quam percepimus (unoquoque proprio sensu abundante) rationem reddituri ante sanctum & terribile tribunal Dei nostri. Invitare enim & rogare possumus ad omnem commendationem & unitatem omnium*

Jesu Chr. an. 677. *nium Christianorum, necessitatem vero inferre nullatenus volumus. Per personas vero, quæ dirigentur a paterna vestra beatitudine, ita decernat: Ex vestra quidem sancta ecclesia (si utique videtur ei) tres personas; quod si plures, quantæ ei placuerint, dirigat. De Concilio vero usque ad duodecim Metropolitas Episcopos: de quatuor vero monasteriis Byzacenis, ab unoquoque monasterio monachos quatuor. Nam si receperit tempus, ut dictum est, perfectam congregationem studuissemus facere: sed quoniam tempus non admisit, Deus autem noster proprio consilio protulit, quod nos differebamus: in hoc tempore per omnia jubemus vestram paternam beatitudinem minime effici impedimentum voluntati Dei, sed eos dirigere.* Quin tamen hæc perficerentur Doni Papæ obitus, qui sequentis anni initio contigit, impedimento fuit, cui cum Agatho successisset, Romæ concilium congregavit, sicque duo integri anni transierunt, antequam Agathonis Papæ legati CPolim pervenirent, ut anno 680. dicturi sumus.

Theodorus CP. sede ejicitur, eique Georgius subrogatur.

3. Interea cum piis Constantini votis Theodorus CP. Patriarcha Monothelitarum Princeps resisteret, hanc ob caussam, ut verosimile est, Imperatoris jussu anno sequenti, ea sede dejectus est, atque in ejus locum Georgius moderati ingenii vir est ordinatus, de cujus gestis sermo redibit.

S. Vilfridus Episcopatu ejicitur.

4. Sanctorum virorum fortunam, & vitam invidiæ laqueis sæpissime expositam fuisse, tota historiæ series demonstrat, nil itaque mirum Vilfridum Eboracensem Episcopum hoc anno Episcopatu suo dejectum fuisse, ut in epitome his verbis narrat Beda, *anno 677. cometa apparuit. Vilfrid Episcopus a sede sua pulsus est ab Egfrido Rege*, in historia vero, *Anno Dominicæ Incarnationis 677. qui est annus Imperii Regis Egfridii octavus, apparuit mense Augusto stella, quæ dicitur cometa, & tribus mensibus permanens, matutinis horis oriebatur, excelsam radientis flammæ quasi columnam præferens, quo etiam anno orta inter ipsum Regem Egfridum, & reverendissimum Antistitem Vilfridum dissensione, pulsus est idem Antistes a sede sui Episcopatus, & duo in locum ejus substituti Episcopi, qui Nordambymbrorum genti præessent.* Episcopatum Hugustaldensem *Eata*, Eboracensem vero *Bosa* obtinuit, ut ibidem Beda prodit, & paulo post mortuo *Eata*, *Joannes* Beverlacensis in ejus locum substitutus est, Elmemburgam Egfridi uxorem motæ persecutionis stimu-

mulum subministrasse addit auctor catalogi Præsulum Eboracensium: *In cujus corde malignus hostis hospitium sibi fecerat, ubi odiorum, & invidiæ contra B. Vilfridum conficient fomenta, per linguam mulieris incendit animum Regis ad expulsionem usque Pontificis, sed quia Rex Pontificem de sua sede præter consensum Theodori Archiepiscopi pellere nequibat, mandavit Archiepiscopo ut adesset, auditis, quas accusatores finxerant, causis, pulsus est ab Episcopatu Vilfridus, anno ab Incarnatione Domini 677., qui est annus sui Episcopatus duodecimus, & per decennium exulavit*, usque ad annum scilicet 687., quo eum in sua sede restitutum fuisse videbimus. Irarum regis in Vilfridum primam causam Etheldritæ Regis uxoris propositum castitatis fuisse innuit auctor citatus, quam cum ad sua vota, & maritalem copulam revocare non potuisset, in Vilfridum, cujus consilio, Etheldrita in suscepto proposito perseveraverat, ira & furore excanduit, ejusque exarcebato animo, secunda ejusdem uxor Elmemburga stimulum addidit, ut in vita Vilfridi narrat Edius Stephanus capite 23..

Vilfridus ad Rom. Pontificem appellat, ac in Frigia Evangelium prædicat.

Beda lib. 5. 20.

5. Vilfridus vero sua sede injuria dejectus ad Romanum Pontificem appellavit, ac Romam profectus, ab Agathone Pontifice honorifice exceptus, in concilio Romano causa ejus cognita, in suum Episcopatum restitutus est. Interea dum iter Romanum ageret. *Flante favonio pulsus est in Frisiam*, ait Beda, *& honorifice susceptus a barbaris, ac Rege illorum Aldgislo, prædicabat eis Christum, & multa eorum millia verbo veritatis instituens, a peccatorum suorum sordibus fonte Salvatoris abluit, & quod postmodum Vvilbrardus reverendissimus Christi Pontifex in magna devotione complevit, ipse primus ibi opus Evangelii cœpit. Ibi ergo hyemem cum nova Dei plebe feliciter exigens, sic Romam veniendi iter repetiit.*

Vilfridus insidias sibi in via structas vitat.

6. Tanta autem inimicorum Vilfridi tunc ira exarsit, ut eum extra Britaniam persequi, ejusque vitæ insidiari non dubitaverint, nam ut in ejus vita narrat Edius coevus, & peregrinationis socius, *præmiserunt nuncios suos cum muneribus ad Theodoricum* Regem *Francorum, & ad Esruinum* (sive Ebroinum) *impium ducem, ut aut exilio majori damnarent, aut occisis sociis omni substantia sua spoliarent*. Hinc cum eodem tempore Vinfridus Liscidelsensis Episcopus ab

JESU CHR. AN. 677. Echelredo Merciorum Rege e Britannia ejectus, in ea loca appulisset, ubi Theodericus, & Ebroinus ad comprehendendum Vilfridum homines miserant, in eum irruentes, occisis sociis vix nudum reliquerunt. *Putabant enim (ut non erat) illum esse sanctum Vilfridum Episcopum errore bono unius syllabæ seducti.* Cum autem Deo protegente, ventorum vi coactus in Frigiam, ut diximus, Vilfridus appulisset, Eroinus, ut hæc novit, *Misit nuncios suos cum litteris ad A'gellum Regem Freis*, seu Frigiæ ait Eddius, *salutans eum verbis pacificis promittensque ei sub jurejurando modium plenum solidorum aureorum dare pretium utique scelestæ, si Vuilfridum Episcopum aut vivum deductum, aut caput ejus occisi sibi emisisset. Statimque Rex præsentibus nobis* (vides Edium eorum quæ narrat testem oculatum esse) *& Nunciis coram populo suo in Palatio epulantibus, omnibusque audientibus, legi litteras jussit, post lectam vero chartam, accipiens inter manus suas, cunctis videntibus discindens dissipavit, & in ignem coram se ardentem projecit, dicens portitoribus: Enunciate Domino vestro hoc modo me dicentem: Sic rerum Creator Regnum & vitam in Deo suo perjurantis, pactumque initum non custodientis scindens destruat, & consumens in favillam divellat: deinde autem nuncii cum confusione a Rege non consentiente piaculo, ad Dominum suum unde venerant, redierunt*, neque hic inimicorum Vilfridi furor stetit, quin cum is transacto in Frigiam hyeme, alpes superasset, ac in Italiam transiisset, Bertharidum quoque Longobardorum Regem, quem Bertherum Campaniæ ducem vocat Edius Stephanus, eum inquam tentarunt, ut sancti viri romanum iter prohiberet, at modestissimus Princeps Bertharidus, Vilfrido narravit, se nuncios ex Britannia, cum ingentibus donis accepisse, ut eum ab adeunda Apostolica sede prohiberet, se tamen eorum verbis nequaquam consensisse, ac nunciis respondisse, exulem se aliquando in adolescentia sua, apud Hunnorum Regem Idolis addictum fuisse, qui cum sibi per idolum suum promisisset, se numquam eum proditurum, cum Grimoaldus paulo post, missis, qui *aureorum modium plenum offerrent, ut eum occideret*, Rex barbarus nequaquam consenlit, respondens; *Hanc mihi vitam Dii succidant, si pactum in eorum nomine firmatum violavero*, si hæc paganus dixerat, quid facien-

faciendum ab iis, qui verum Deum colunt, subdidit Bertharidus. Quare Sanctum Pontificem cum comitibus, honorifice exceptum postea dimisit, datis etiam ad Apostolicam sedem viæ custodibus, & ducibus. Jesu Chr. an. 678.

JESU CHRISTI AN. 678. AGATHONIS PAPÆ I.
CONSTANTINI POGONATI IMP. 11.
BERTHARIDI ITALIÆ REGIS 9.

1. Cum annum unum, menses quinque, dies decem Romanam sedem tenuisset Donus Papa, hoc anno mortuus est, ac *ad B. Petrum Apostolum sub die 3: idus Aprilis sepultus, & cessavit Episcopatus menses duos, dies decem*, ait Anastasius, qui de gestis ejusdem hæc subdit. *Hic atrium B. Petri Apostoli superius, quod est ante ecclesiam in quadriporticum magnis marmoribus stravit: sed & Ecclesiam Apostolorum sitam via Ostiensi (ut decuit) restauravit, atque dedicavit: clerum diversis ordinibus & honoribus ampliavit. Hic reperit in urbe Roma, in monasterio, quod appellatur Boetianum, Nestorianos monachos Syros, quos per diversa monasteria divisit*, ad Pœnitentiam scilicet. *In prædicto monasterio monachos Romanos instituit. Hujus temporibus Ecclesia Ravennas, quæ se ab Ecclesia Romana segregaverat causa primatus, denuo se pristinæ Sedi Apostolicæ subjugavit: cujus Ecclesiæ Præsul nomine Reparatus e vestigio, ut Deo placuit, vitam finivit.* Subdit de cometa, quæ ejus tempore apparuit per menses tres, quam pestilentia subsequuta est, de qua inferius dicturi sumus. Ad postremum hæc de eodem. *Fecit ordinationem unam, creavit Presbyteros decem, Diaconos quinque, Episcopos per diversa loca numero sex.* De Doni Papæ obitu & gestis.

2. In demortui Doni locum, post menses duos, dies decem Agatho natione Siculus, professione monachus, ordinatus est, vir pietate, litteris præclarus, moribus vero adeo mansuetus, ut ab omnibus *Hilaris, & jucundus comprobaretur*, ait Anastasius cum vero sub præcessoris Doni pontificatu Ravennatensis eeclesia, jamdiu a Romana divulsa, ad ejusdem obedientiam, & subjectionem rediisset, sub Agathone Pontifice Theodorus in Ravennatensi sede Reparati successor *semetipsum Sedi Apostolicæ præsentavit*, ut eo obsequio firmiori compage, cum Romana ecclesia conjungeretur. Agatho Rom Pontifex ordinatur.

Jesu Chr. an 678.

AgathoPontifex Imp. litteras recipit synodos congregari adversus Monothelitas jubet.

3. Agatho interea Romanus Pontifex ordinatus, cum litteras Constantini Imp. ad Donum prædecessorem suum datas accepisset, quibus de tollendo schismate, quod Monothelitarum causa inter Orientalem, & Occidentalem ecclesiam exortum erat, atque de indicenda Oecumenica synodo agebatur; ut in re tanti momenti maturius ageret, synodum ex Italiæ Episcopis anno proximo Romæ celebrandum indixit. Interim vero per diversas provincias synodos congregari jussit, in quibus Monothelitarum hæresis damnaretur: Unde factum est, ut epistolæ Agathonis Papæ ad Imperatorem anno 680. datæ, legati diversarum provinciarum ad Rom. synodum missi, subscripti legantur. In concilio Gallicano electi fuerant Felix Arelatensis Episcopus, Adeodatus, seu Deodatus Episcopus Tullensis, & Taurinus diaconus ecclesiæ Telonensis, ut synodo Romanæ interessent, in qua fides catholica adversus Monothelitas confirmata est, & legatio solemnis CP. ad synodum Oecumenicam destinata, ut ex subscriptionibus literarum, quas Agatho Papa ac synodus Romana ad Imperatorem Constantinum, ejusque filios dedit, ibi enim Felix his verbis subscripsit. *Felix humilis Episcopus S. Arelatensis ecclesiæ, legatus venerabilis synodi per Galliarum provinciis constitutæ, in hanc suggestionem, quam pro Apostolica nostra fide unanimiter construximus similiter subscripsi*, iisdemque verbis subscripsit Adeodatus Episcopus Leucorum, & Taurinus Diaconus ecclesiæ Telonensis.

Gallicana synodus adversus Monothelitas.

Mediolanensis synodus contra Monothelitas.

4. Celebrior Gallicana, fuit Mediolanensis synodus eodem hoc anno celebrata, cui Mansuetus Episcopus Mediolanensis præfuit, ut ex synodali epistola ad Imperatorem ipsum Constantinum data constat, cujus hæc est inscriptio. *Domino serenissimo atque tranquillissimo Constantino Imper. Mansuetus Mediolanensis Metropolitanæ Ecclesiæ indignus Episcopus, vel universa sancta Episcoporum fraternitas, quæ in hac magna regia urbe convenit, æternam in Domino salutem, Si apicem Imperialis fastigii &c.* . Laudatur imprimis ejus exordio pietas Imperatoris, quem comparat religiosis, qui ante eum in Ecclesia claruerunt, Imperatoribus, per quos, generalibus Synodis congregatis factum est, ut ortæ hæreses damnarentur, quibus fusius explicatis, & Catholica fide ex præscripto sacrorum Conciliorum asserta, hæc subjiciun-

ciuntur: *Ecce, præstantissime Princeps, antiquorum Patrum statuta una cum consensu piissimorum Imperatorum definita, quæ convelli vel infirmari nulla ratione pietas vestra permittat. Nam si sunt, qui audacia Dialecticæ artis inflati, cothurnata cervice, buccis tumescentibus, sinuosis circuitionibus, & flexuosis ambagibus, phaleris verborum, pompisque sermonum sua ferali calliditate simplicem fidei rationem convellere, & delegatas a Patribus regulas conculcare, vel temerare voluerint, eorum inflationibus tranquillitas vestra non acquiescat, sed recordamini, qualiter propheta dicit: Verbum breviatum facit Dominus super terram, quod per sanctos Apostolos vidimus impletum. Quid enim brevius, quam simplex fidei symbolum ab Apostolis institutum, in quo mysticum sacramenti continetur arcanum? Nam si recolas, insignissime Imperator, non cum Dialecticis, non cum Rhetoricis, non cum Grammaticis, sed cum ruriculis, & piscatoribus Dominus posuit rationem, & his tradidit sui secreta consilii, quos & Principes ordinavit, quibus ligandi atque solvendi tribuit potestatem. Nonne vobis videntur, optime Imperator, dementissimæ mentis esse, qui Apostolicas traditiones, & venerabilium Patrum instituta depravare festinant?* His,aliisque in rectæ fidei confirmationem adnotatis, fidei confessionem Mediolanensis synodus addidit, qua contra Monothelitas duæ adstruuntur voluntates, & operationes totidem, juxta duplicem in Christo naturam, humanam scilicet & divinam, Episcopi autem qui in Mediolanensi synodo Monothelitarum hæresim condemnarunt, Romanæ quoque anno proximo, in eam rem habitæ subscripti leguntur, quorum primus Mansuetus his verbis subscripsit. *Mansuetus Dei gratia Episcopus sanctæ Mediolanensis ecclesiæ, in hanc suggestionem, quam pro Apostolica nostra fide unanimiter construximus subscripsi*, deinde ceteri Liguriæ, & Insubriæ Episcopi, qui Mediolanensi tamquam Metropolitano suberant, Synodicæ epistolæ, & confessionis fidei in synodo Mediolanensi editæ, Damianum Ticinensem Episcopum auctorem fuisse prodit Paulus Diaconus, de synodo quippe Romana adversus Monothelitas congregata agens, hæc adnotat. *Eo tempore Damianus Ticinensis ecclesiæ Episcopus, sub nomine Mansueti Mediolanensis Archiepiscopi hac de causa satis utilem, rectæque fidei epistolam composuit, quæ in præfata synodo non mediocre suffragium*

JESU CHR. AN. 678.

Paul. Diac. lib. 6. cap. 6.

JESU CHR. AN. 678. *gium tulit*. Quia tamen Anastasius hujus synodi tempore Ticinensis Episcopus erat, qui etiam Romanæ interfuit, ac Agathonis epistolæ subscriptus legitur, cui non multo post Damianus successit, hinc eum Episcopum Ticinensem dixit, etsi tunc temporis Presbyter tantum ejusdem ecclesiæ esset, ut in Episcopis Ticinensibus adnotat Ughellius tomo primo Italiæ sacræ.

Synodus Anglicana Monothelitarum hæresim damnat.
Pag. an. 670.
Beda hist. Angl. lib. 4. cap. 17.

5. Ad eamdem Monothelitarum hæresim profligandam in Anglia quoque a Theodoro Cantuariensi Archiepiscopo, synodum anno proximo, vel 680. ut ait Pagius, celebratam fuisse, narrat Beda: *His temporibus audiens Theodorus fidem ecclesiæ CPolitanæ per hæresim Eutychetis* (seu Monothelicæ, quæ surculus erat Eutychianæ) *multum esse turbatam, & ecclesias Anglorum quibus præerat ab hujusmodi labe immunes permanere desiderans, collecto venerabilium Sacerdotum, doctorumque plurimorum cœtu, cujus essent fidei sedulus inquirebat, omniumque unanimem in fide catholica reperit consensum, & hunc synodalibus litteris ad instructionem, memoriamque sequentium commendare curavit &c.*, atque hoc concilium, celebratum fuisse ait Beda loco supracitato: *Imperantibus Dominis piissimis nostris Egfrido Rege Hymbronensium anno decimo regni ejus, sub die decimaquinta Kal. Octob. indictione 8., Edilredo Rege Mercinensium anno sexto, & Advulfo rege Estanglorum anno 17. & Gotario Rege Cantuariorum regni ejus anno septimo*. Extatque apud Bedam fidei confessio eodem in concilio recitata, qua se rectam de Trinitate, & unitate Dei fidem sequi testantur, ac quinque generales synodos se venerari profitentnr, Nicænam scilicet, contra Arium, CPolitanam contra Macedonium, Ephesinam adversus Nestorium, Chalcedonensem adversus Eutychem, & quintam synodum Justiniani tempore celebratam, qua tria capitula, idest Ibæ epistola, Theodori scripta, & Theodoreti anathematismi adversus Cirillum damnata fuerant, cum iis etiam se subscribere testantur synodo adversus Monothelitas celebratæ a centumquinque Episcopis sub Martino Pontifice, *indictione octava Imperante Constantino piissimo anno nono*. Synodi autem Romanæ sub Martino celebratæ acta in Angliam detulerat Joannes Archicantor ecclesiæ S. Petri & Abbas monasterii B. Martini, *qui nuper venerat a Roma*, ait Beda, per jussionem Papæ Agathonis duce reverendissimo

Beda ut sup. cap. 18.

Ab-

Abbate *Biscopo cognomine Benedicto*, *cujus supra meminimus*, Hunc vero Agatho Papa in Britanniam miserat, ut de fide, canonumque observantia certior fieret, & dissensiones inter Theodorum Archiepiscopum, ceterosque ejus insulæ Episcopos componeret, hinc synodo eumdem adfuisse adnotat Beda, Britannici autem concilii vices in Romano concilio Vilfridus, etsi ex Anglia exul, ut anno proximo diximus, gessit, ut ex ejusdem subscriptione scimus, his verbis concepta, *Vilfridus humilis Episcopus sanctæ ecclesiæ Eboracenæ Insulæ Brittaniæ legatus venerabilis synodi per Brittaniam constitutæ &c. subscripsi*.

Concilium Rom. ab Agathone celebratum pro causa Vilfridi Eboracensis Episc.

6. Cum ex Brittanicis ecclesiis crebræ ad Agathonem Pontificem, vel ad ejus præcessores querelæ delatæ essent; tum de violata ecclesiastica disciplina, cum de austeriori Theodori Cantuariensis Episcopi, & Brittanniæ Primatis regimine, unde inter Episcopos dissidia non levia exorta fuerant, atque ex his, ut diximus, Vilfridus doctrina & pietate præclarus Eboracensi sede dejectus, ac ex Britannia exul, ad Apostolicam sedem appellasset, ac anno proximo Romam causam suam acturus advenisset, ob has itaque causas Agatho Papa synodum hoc anno Romæ Episcoporum quinquaginta congregavit, qua Vilfridi causa cognita, cum uti innocentem & omni culpa innoxium suæ sedi restituit, ac canonibus nonnullis vulgatis, ac in Britanniam ad Joannem Romanæ ecclesiæ cantorem, & Abbatem S. Martini, & ad Theodorum Cantuariensem Episcopum missis, ecclesiasticam iis in ecclesiis disciplinam restaurare conatus est, duo autem hæc in Romana synodo hoc anno pertractata, tamquam duo distincta concilia, conciliorum collectores exhibent, quæ tamen unius concilii gesta, in duas actiones, seu sessiones distincta fuisse verosimile est, de utrisque distincte nunc agimus.

Vilfridus a synodo Rom. suæ sedi ut innocens restituitur. Beda lib. 5. 20.

7. Vilfridum itaque, quem anno proximo Romam advenisse diximus, in hac synodo ab Agathone Pontifice innocentem declaratum fuisse, suæque Eboracensi sedi restitutum hisce verbis narrat Beda. *Ubi causa ejus ventilata est, præsente Agathone Papa, & pluribus Episcopis, universorum judicio absque crimine accusatum fuisse, & Episcopatu esse dignum, inventus est*. Ut pluribus in ejus vita narrat Edius, romanæ peregrinationis socius: Tunc Andreas Ostiensis Episco-

JESU CHR. AN. 678. ſcopus, & Joannes Portuenſis addiderunt ſe Pontificis juſſu relegiſſe ſcripta, quæ ex Britannia miſſa fuerant ad Apoſtolicam ſedem, cum ad eam Theodorus Cantuarienſis monachum quemdam Coonvald miſerat, ut adverſus Vilfridum cauſam ageret, tum etiam ea, quæ iis a Vilfrido oblata fuerant, eumque injuria ſua ſede dejectum fuiſſe dixerunt, quare in concilium Agathonis juſſu admiſſus Valfridus libellum obtulit, quo hæc narrabat, *Vilfridus humilis, & indignus Epiſcopus Saxoniæ, ad hoc Apoſtolicum faſtigium, tamquam ad locum munitum, turremque fortitudinis greſſus, Deo præviante, perduxi: quod inibi normam ſacrorum canonum in omnes Chriſti eccleſias emanare cognoſco: ex eo meæ humilitati juſtitiam fieri confidenter expeto*: Atque hæc præfatus ſe ſede ſua in ſynodo ab Theodoro Cantuarienſi Archiepiſcopo celebrato, abſque ſua culpa dejectum fuiſſe, quin Epiſcopatum ſuum in tres partes diſtractum, tribus Epiſcopis ab Theodoro Archiepiſcopo adſignatum fuiſſe, quibus geſtis, cum eccleſiæ canones obſtarent, nihilominus iis ſe nequaquam reſtitiſſe addidit, ſed tantum, *conſamulos, & conſacerdotes meos illius provinciæ epiſcopos conteſtatus abſceſſi, ſiquidem prævidit veſtra apoſtolica ſummitas privatum me eſſe humili devotione, quæ cenſentur libenter amplector. Si autem & priſtinum Epiſcopatum ſuſcipere, ſequor totiſque viribus veneror ab apoſtolica ſede prolatam ſententiam, tantum ut invaſores de priſtinis parochiis eccleſiæ, cui ego indignus famulus veſter præfui, pellantur. Et ſi rurſus in eadem parochia, cui præfui, præſules adbiberi præviderit, ſaltem tales jubeat promovendos, cum quibus pacifica & tranquilla poſſim concordia obtinente Deo unanimiter deſervire &c.*, His lectis, Agatho Pontifex. *Non mediocriter*, inquit, *ſatisfacit audientibus petitionis ſeries, quam Vilfridus Deo amabilis Epiſcopus obtulit, in hoc, quod cum ſe indigne de epiſcopali ſede dejectum agnovit, non contumaciter per vim ſæcularem obſtitit, ſed humiliter ſentiens, auctoris noſtri beati Petri Apoſtolorum principis canonicum expetivit ſubſidium &c.*. Quare in priſtinum honorem eum Agatho Papa reſtituendum eſſe judicavit, ac inter Epiſcopos, qui ad ſynodum Romanam convenerant, ſedere juſſit anno proximo, in qua Monothelitarum hæreſis damnata eſt, ut ibidem dicturi ſumus.

Vilfridi libellus ſynodo oblatus.

8. Poſt hac vero in Angliam reverſus Vilfridus, ut ex Ro-

Romanæ synodi sententiam suam sedem reciperet, non solum repulsam tulit, sed duriora etiam pati coactus est, *Hinc reditum aggressus*, ait Malesburiensis de gestis Pontificum, *omnium periculorum Deo protegente immunis patriam venit, ægreque licet ad Regem aditu impetrato, scita Apostolica sigillata prætendit. Ille cum ea Episcopis contubernalibus suæ factionis legi fecisset, tantum abfuit a reverentia Romanæ Sedis, ut spoliatum suis omnibus, comitibusque in diversa deductis, beatum Pontificem cuidam Præfecto notabilis soevitiæ viro in ergastulum trudendum committeret*; & nonnisi post annos aliquot, Theodorus Cantuariensis Episcopus, & Britanniæ Primas, ætate jam senex, & morti fere proximus; de injuria illata pœnitens Valfridum apud se vocavit, eique veniam petiit; eumdemque apud Regem, & Reginam commendavit, ac ut suæ restitueretur sedi, obtinuit, uti inferius adnotaturi sumus.

Romanæ synodi canones pro ecclesiæ disciplina in Brittannia restauranda.

8. Nunc Romanæ synodi gesta prosequimur, qua actione altera, ad restaurandam ecclesiarum Britanniæ collapsam disciplinam canones aliquot Agathonis Papæ jussu editi sunt, ac in Britanniam missi, quorum primo cautum est, ut Episcopi duodecim tantum in ea essent: *Quos Archiepiscopus, qui pro tempore ab hac Apostolica Sede pallii honore decoratur, provehat, atque Sacerdotali gradu eos canonice ordinet, ipsiusque tantum sint ordinationi subjecti*. 2. Ut Episcopi, vel quicumque ecclesiastici ordinis religiosam vitam professi sunt, armis non utantur, nec citharædas habeant, vel quæcumque symphoniaca, nec quoscumque jocos aut ludos ante se fieri permittant; sed magis divinis officiis, sacris lectionibus & pauperum curæ invigilent. Andreas vero Ostiensis Episcopus, & Joannes Portuensis Agathoni Papæ suggesserunt, ut juberet generalem ab omnibus Episcopis in Britannia synodum fieri, qua Præsulibus, Regibus, Principibus, & universis fidelibus, non solum hæc statuta, sed etiam quæcumque alia statuenda censuisset, per legatos suos illuc vulganda faceret, omniumque tum fides, quam disciplina examinaretur. Quamobrem hæc tum ad Theodorum Archiepiscopum, cum ad Joanuem Rom. ecclesiæ Cantorem & Abbatem missa sunt, ut executioni quamprimum mitterentur; eaque occasione synodalia acta concilii Romani a centumquinque Episcopis contra Monothelitas sub Martino Papa ce-

JESU CHR. AN. 678.

lebrati, Romanus Pontifex misit, hinc factum ut adversus Monothelitas synodus in Anglia celebraretur; uti supra diximus. Synodi autem Episcopi quinquaginta subscripserunt, inter eos Deodatus Tullensis legitur, quem a synodo Gallicana, ut Romanæ synodo adversus Monothelitas celebrandæ, delegatum fuisse hoc anno diximus, unde Gallicanam synodum Romanam præcessisse scimus.

Pax Romanos inter & Seracenos componitur.

9. Anno 672. Moaviam Seracenorum Principem eo temeritatis, & audaciæ advenisse diximus, ut post illustriores, pinguioresque Romani Imperii occupatas provincias, Palæstinam scilicet, Syriam & Ægyptum, in ipsam quoque Metropolim, & regiam urbem CPolim, infesta arma intulerit, quam obstinata obsidione per annos septem vexavit; singulis ad eam annis revertens, ut narrat Theophanes; cumque toto septennio repulsam Seraceni passi, nonnisi strages, & ignominiam tulissent, ita ut eorum classis CPoli excedens: *Ad Silæi plagam adverso fluctu jactata, & procella vehementi appetita, fractis ad saxa, vel in profundum absorptis ratibus tota disperiit*; quarum navium partem alteram, invento a Gallinico Heliopolensi viro strenuo, igne marino, una cum hominibus consumpsisset. Quare Moavias Seracenorum Princeps, tot acceptis cladibus, de pace cum Romanis ineunda cogitare cœpit, ac legatos suos ad Constantinum Imp. misit, quos benigne Imperator excepit; precibusque admissis, ait Theophanes: *Delegavit eum ipsis in Syriam Joannem patricium cognomento Pitsigaudem*, qui cum Arabibus sermone habito, *tandem inter utrosque convenit, ut pacis conditiones interposito jurejurando scriberentur*, *nimirum ut pro vectigali annuo auri pondo tria millia, homines item captivos quinquaginta, & equos generosos quinquaginta Agareni Romanæ Reipublicæ penderent. Quibus demum utrinque pactis, pace firma inter Romanos, atque Arabes ad annos triginta constituta, publicisque duobus instrumentis ad utramque partem invicem datis, celebris ille ac sæpius laudatus vir*, (idest Joannes patricius Constantini ad Arabes legatus) *cum muneribus maximis ad Imperatorem reversus est*.

Theoph. pag. 294.

Pacis conditiones.

Mardaitæ seu Maronitæ adversus Seracenos rebellant.

10. Ut autem pacis conditionibus Moavias Seracenorum Princeps subscriberet, Mardaitas, seu Maronitas in causa fuisse adnotat Theophanes his verbis. *Hoc anno Mardaitæ Libanum aggressi tenuerunt, quidquid a Mauro monte est usque*

usque ad sanctam urbem, & Libani cacumina quæque occupavere, multique tam servi & captivi, quam indigenæ ad eos se adjunxerunt, ita ut intra breve admodum temporis spatium ad multa millia excreverint. Quo audito Mavias, ejusque consiliarii valde extimuere, adeout Imperium Romanum sub Dei tutela consistere reputantes, legatos de pace habenda ad Imperatorem Constantinum summiserint. De Mardaitarum nomine, quo Maronitæ ab antiquis designantur, adnotat Faustus Naironus capite 32 hæreticorum odio ita dictos fuisse; quasi rebelles dicerent, eo quod hoc tempore adversus Imperatorem Constantinum Pogonatum, æque ac adversus Moaviam Seracenorum Principem rebellaverint.

Jesu Chr. an. 678.

Naironus dissert. de origine, nomine, & religione Maronitarum.

11. Cum etenim, ut idem Naironus adnotat, Moavias Seracenorum Calipha, post occupatam a Seracenis circa annum Christi 635. Damascenorum urbem, assiduis incursionibus Phœniciam vexaret, ac Libani loca vastaret, Maronitæ Principem sibi elegerunt, cum nullum ab Imperatore Constantino auxilium impetrare, aut sperare possent. Maronitarum interea Princeps Seracenos undique imminentes valida armatorum manu aggressus, inscio etiam Imperatore, ac Damascenam regionem ab hostibus occupatam ingressus, depopulatus est. At Imperator Maronitarum bellum in Seracenos propria auctoritate susceptum ægre tulit, eorumque Principem dolo, ac sub honoris specie ad se vocatum interfici jussit. Quare Maronitæ ob dolosam Principis eorum internecionem exasperati, ab Imperatore Constantino prorsus defecerunt, ac in demortui locum Simonem prædicti Principis ex sorore nepotem subrogarunt, quem etiam *Episcopi quadraginta in Principem unxerunt*, ait Maronitarum chronicon, eo tamen intra breve temporis spatium defuncto, & altero ejus successore, duos Maronitæ duces elegerunt, Paulum nimirum, & Fortunatum, quo tempore non semel cum Seracenis in aciem congressi, varia fortuna pugnarunt, unde Maronitarum chronicon hæc narrat. *Dux Paulus ac Princeps Fortunatus, ceteros bonitate superabant, egressi sunt ex Hbadel* (quæ est in Giobbe inter primarias Libani urbes) *loricisque armati descenderunt magnanimi in campum, & Seracenorum dissipavere exercitum &c.*. Hæc & alia ibidem de Maronitarum gestis, & bello adversus Seracenos, quæ stylo nostro persequi jam piget; cum præcipue ejusdem gentis historici,

Maronitæ Principem sibi eligunt.

 & in-

JESU CHR. AN. 678.

& incerti nominis, & dubiæ fidei ut plurimum sint. *His auditis a Primatibus Montis* (nempe Libani) *ac discordiæ inter eos cessavere, obedientiamque servarunt ac fidem*. Hæc ibidem de inclitæ gentis in fide catholica tuenda zelo, de quorum religione nonnulla jam supra adnotavimus anno 635..

Bellum Romanorum cum Bulgaris, cum iis pax firmatur. *Theoph. pag. 296.*

12. Gravissimum quoque hoc tempore cum Bulgaris bellum Constantinus Imperator sustinuit, cum quibus tandem pacem etsi Romanis ignominiosam iniit, de his acturus Theophanes multa de harum gentium origine de UnnobandoBulgarorum, scilicet & Coutragorum antiquitate, Regnorum situ & divisione adnotat, quæ ad rem nostram vix pertinent, hoc unum adnotamus cum iis turpem Romano nomini pacem Constantinum iniisse, nam post varios belli casus, acceptasque clades, *Imperator coactus est, pacem cum eis agere, & exigente delictorum nostrorum numero, non sine magno Romani nominis dedecore, pactam annuatim pecuniam persolvere*. Ad bellicos hos tumultus Constantini verba spectant, in epistola ad Donum Pontificem inscripta, quam eo mortuo Agatho Papa recepit, *Spem habemus*, inquiebat, *in coronatore Deo nostro, quia dum prævi lerit super hoc ferventem nostrum affectum* (in pace scilicet ecclesiæ procuranda) *ejus benignitas etiam ingruentes nobis perturbationes gentium sedabit &c.*. Hæc Imperator de bello cum Bulgaris gesto, cum quibus hoc anno pacem firmavit, de qua pluribus agunt Nicephorus, Zonaras, & Cedrenus. Interim vero pace cum Seracenis, & Bulgaris subscripta. *Qui occasum incolebant*, subdit Theophanes pag. 296., *Chaganus Abarum Princeps, ceterique illarum provinciarum Reges, duces, Gastaldi, virique Occidentalium nationum primores, legatos una cum muneribus ad Imperatorem pacis, concordiæque cum ipso ineundæ firmandæque gratia misere, Imperator eorum precibus concedens, pacem, qua se testaretur dominum cum ipsis firmavit. Atque ita quies, & tranquillitas maxima tam in Oriente, quam in Occidente obtinuit*. Eaque vigente summo studio curavit Imperator, *Ut Sanctæ Dei ecclesiæ dissidium ubiqua passæ, a temporibus Heraclii Imp. proavi sui, & vesani Sergii, & Pyrri, qui CP. throno indigne præfecti, unam voluntatem, unamque item actionem in Domino & Deo Salvatore nostro Jesu Christo docebant, in unionem atque concordiam revocaret*. Ob quam rem Universale concilium celebrari

brari jussit, ut eodem loco prosequitur Theophanes, de quo anno proximo, & duobus sequentibus non semel sermo fiet. Jesu Chr. an. 678.

13. Cum Bertharidus Longobardorum Regnum summa felicitate hactenus administrasset, ut adeptum electione Regnum securius filio suo Cuniberto transmitteret, convocato Longobardorum concilio, eorum consensu eumdem Cunibertum Regni Longobardici participem hoc anno fecit, ut ex Paulo Diacono scimus, dum scribit. *Bertharidus eum solus per annos septem regnasset, octavo jam anno Cunibertum filium suum in Regni consortem adjecit*, unde ejus quoque nomine acta publica imposterum inscripta sunt, atque hoc anno hæc contigisse indicant monumenta, ex his, ut ad hunc annum adnotat Mansius, Lucense Cuniperti diploma, quod Mabillonius in annalibus benedictinis lib. 18. num 79. vulgavit, datum Ticini nona die mensis Novemb. anno Regni Cuniberti nono, indict: 15. idest anno 686., unde anno labenti regalem dignitatem eum adeptum fuisse patet. Cuniberti quoque Regis nomen cum patre Bertharido exhibet epistola Mansueti Mediolanensis Episcopi, seu synodi Mediolanensis ad Constantinum, cujus supra hoc anno mentionem fecimus, cujus hæc sunt verba. *Nos autem omnes, qui sub felicissimis, & christianissimis, & a Deo custodiendis Principibus nostris dominis Berthariḋ, & Cuniaet præexcellentissimis Regibus Christianæ religionis auctoribus &c.*. Unde synodi Mediolanensis tempore Cuniperti inaugurationem factam jam fuisse patet.

Cunibertus a patre Berthārido Regno sociatur.

Paul. Diac. hist. Longob. lib. 5. 35.

14. *Anno* 678., ait Beda in recapitulatione *Elfuini*, frater Ethelredi Regis, *occisus est*, dum bellum Egfridum inter, & Ethelredum vigeret, quod fusiori stylo in historia describit. *Anno Regni Egfridi nono, conserto gravi prælio inter ipsum, & Ethelredum Regem Merciorum juxta fluvium Treantu, occisus est Elfuini frater Regis Egfridi, juvenis circiter decem & octo annorum, utrique provinciæ multum amabilis, nam & sororem ejus, quæ dicebatur Ausbrid Rex Edilred habebat uxorem*. Regii juvenis funus Vilfridus Britannia excedens prædixerat, cum etenim sua sede pulsus, sedem Apostolicam appellasset, Regis adulatores, qui circa eum stabant, sancti Præsulis dictum subsannarunt, at iis, ut Eddius in ejus vita narrat, dixit. *Hæc derisio quam de meo dis-*

Bellum inter Reges Egfridum, & Ethelredum.

JESU CHR. AN. 678. *discessu modo facitis, in magnum mœrorem vobis commutabitur futuro anno hoc eodem die. Verax eventus rerum, æmulatus est Antistitis dictum, Echelredus enim Rex Merciorum frater Vulferii, post abscessum Vilfridi, non multis diebus guerram incœptans, fraternas injurias ultum ire cupiebat &c., contigitque ut anno revoluto, eodem die, quo ille præjudicium in Eboraco passus fuerat, cadaver regii adolescentis illatum urbi longum indiceret judicium.* Bellum tamen inter cognatos Reges Egfridum, & Ethelredum Theodori Cantuariensis Episcopi opera cito extinctum est, ut narrat Beda lib. 4. cap. 21.

Sacrificium missæ vivis, atque defunctis utile.

15. Eodemque loco rem sane miram adnotat Beda his verbis: *In præfato autem prælio, quo occisus est Rex Elbuini, memorabile quoddam factum esse constat: quod nequaquam silentio prætereundum arbitror, sed multorum saluti (si referatur) fore proficuum. Occisus est ibi inter alios de militia ejus juvenis vocabulo Imma, qui cum die illo, & nocte sequente inter cadavera occisorum similis mortuo jaceret, tandem recepto spiritu revixit, ac residens, sua vulnera (prout potuit) ipse alligavit: deinde modicum requietus levavit se, & cœpit abire sic, ubi amicos, qui sui curam agerent, posset invenire. Quod dum faceret, inventus est, & captus a viris hostilis exercitus, & ad dominum ipsorum, Comitem videlicet Edilredi Regis, adductus, a quo interrogatus, quis esset, timuit se militem fuisse confiteri; rusticum se potius & pauperem, atque uxorio vinculo colligatum fuisse respondit, & propter victum militibus afferendum, in expeditionem se cum suis similibus venisse, testatus est. At ille suscipiens eum, curam vulneribus egit; & ubi sanari cœpit, noctu eum, ne aufugeret, vinciri præcepit, nec tamen vinciri potuit: nam mox, ut abjere, qui vincierant, eadem sunt ejus vincula soluta.* Cumque postea Trisoni cuidam venditus esset, ac in captivitatem ductus, sæpe Dominus ejus vinculis ferreis eum ligabat, quem tamen nulla vincula tenere poterant. Nam fratrem germanum habebat nomine Tunna presbyterum, & Abbatem monasterii Tunnacestir, qui cum fratrem mortuum in bello credidisset, pro ejus anima frequenter Missæ sacrificium offerebat, unde contigebat, ut quoties ille sacrificium offerret, fratris vincula disrumperentur, ut ibilem pluribus narrat Beda, qui & addit. *Hanc mihi historiam*

riam etiam quidam eorum, qui ab ipso viro, in quo facta est, audiere narrarunt, unde eam, quam liquido comperi, indubitanter historiæ nostræ ecclesiasticæ inserendam credidi, quam etiam integram Baronius anno 679. refert. JESU CHR. AN. 679.

16. Hoc quoque anno Dagobertus secundus Austrasiæ Rex Ebroini dolo, & Episcoporum quorumdam consensu occisus est, ut probat Pagius, successoremque in Regno Theodoricum habuit. Hinc cum Vilfridus post Romanam synodum anno sequenti celebratam, cui subscripsit, in Angliam rediret. *Ut in regionem Francorum pervenit, ibique nuper, amico suo fideli Dagoberto Rege per dolum ducum, & consensu Episcoporum, quod absit, insidiose occiso &c.*, ut in Vilfridi vita narrat Eddius capite 31.

Dagobertus 2. Austrasiæ Rex occiditur, cui Theodoricus succedit.

Bar. an. 678. not. 12. & 13. & an. 679. not. 17.

17. Inter ceteros, qui zelo propagandæ fidei, & miraculorum gloria hac ætate in Galliis florebant, Audomarus Morinensium Apostolus dictus, ac Tarvanensium, & Bononiensium Episcopus recensetur, cujus res gestas Anonymus fere æqualis descripsit. Is Morinorum Apostolus dici meruit, eo quod eam gentem, quæ sexto labente seculo a Christi fide, quam paulo ante susceperat, pene defecisset prædicatione sua, ac miraculorum virtute, ad Christi ovile, tamquam dispersas oves, revocavit; Episcopus propterea Tarvanensis & Bononiensis dictus, eum utrasque ecclesias per annos triginta & ultra rexisse, quem etiam anno 674. superstitem fuisse, ait Pagius. Quousque autem supravixerit, in obscuro est, unde circa annum 680. eum ad Deum abiisse verosimile est; de quo plura apud Bollandistas, vel Bailetium ad diem nonam Septembris videri possunt; Ut etenim alias adnotavimus, Sanctorum vitas exscribere instituti nostri ratio, & brevitatis propositum non patitur.

Audomari Morinensium Apostoli, & Tarvanensium Episc. obitus.

Pag. an. 682. not. 10. & an. 695. not. 5.

JESU CHRISTI AN. 679. AGATHONIS PAPÆ 2.
CONSTANTINI POGONATI IMP. 12.
BERTHARIDI ITALIÆ REGIS 9.

1. Cum in Galliis, in Anglia, & in Italia adversus Monothelitas concilia celebrata fuissent, in quibus etiam ad Romanam synodum ab Agathone Papa indictam, legati delecti fuerant, generalem quodammodo Occidentalium ecclesiarum synodum hoc anno Romæ Agatho Papa cele-

Synodus Romana ab Agathone adversus Monothelitas celebrata.

Jesu Chr. an. 679. celebravit, cui centum vigintiquinque adfuerunt Episcopi, qui omnes post Agathonem Papam subscripti leguntur synodalibus litteris post synodum ad Constantinum, & fratres ejus datis, ac actioni quartæ CP. concilii insertis. Inter eos subscripti leguntur legati a synodo Gallicana missi, Felix scilicet Arelatensis, & Adeodatus Leucorum Episcopus, & Taurinus Tolonensis ecclesiæ Diaconus: Mediolanensis vero concilii legati nulli fuerunt, cum iidem fere omnes Liguriæ, & Insubriæ Episcopi, qui Mediolano convenerant, Romæ quoque cum eorum Merropolitano Mansueto adfuerint.

Vilfridus ecclesiarum Britanniæ legatus in synodo Rom. adest.

2. Pro Anglicana ecclesia Vilfridus, qui tum Romæ aderat, quique ut supra diximus, in altera Romana synodo ab Agathone Pontifice ab impactis criminibus absolutus fuerat, suæque sedi restitutus, legatus adfuit, ac tamquam synodi Brittanicæ legatus in hæc verba subscripsit. *Vilfridus humilis Episcopus sanctæ ecclesiæ Eboracenæ insulæ Brittanniæ, legatus venerabilis synodi per Brittaniam constitutæ.* Unde Beda de eodem Romano concilio verba faciens, de Vilfridi legatione hæc adnotat: *Eo tempore idem Papa Agatho, cum synodum congregaret Romæ centumviginitiquinque Episcoporum adversus eos, qui unam in Domino Salvatore voluntatem atque operationem dogmatizabant, vocari jussit & Vilfridum, atque inter Episcopos considentem dicere fidem suam, simul & provinciæ sive insulæ, de qua venerat. Cumque Catholicus fide cum suis esset inventus, placuit hoc inter cetera ejusdem Synodi gestis inseri, scriptumque est hoc modo: Vilfridus Deo amabilis Episcopus Eboracensis civitatis, Apostolicam Sedem de sua causa appellans, & ab hac potestate de certis incertisque rebus absolutus, & cum aliis centum viginti coepiscopis in Synodo in judicii sede constitutus, & pro omni Aquilonari parte Britanniæ, & Hiberniæ insulis, quæ ab Anglorum, & Britonum, nec non Scotorum & Pictorum gentibus incoluntur, veram & Catholicam fidem confessus est, & conscriptione sua corroboravit.* Hæc de his Beda.

Theodorus Cantuariensis Episc. ad synodum vocatus.

3. Ad hanc vero Romanam synodum Theodorum Cantuariensem Episcopum ex Britannia invitatum fuisse, idem Agatho Papa in epistola synodica testatur his verbis. *Sperabamus deinde de Britannia Theodorum confamulum, atque Coepiscopum nostrum magnæ insulæ Britanniæ Archiepiscopum,*

Q Phi-

& Philosophum cum aliis, qui ibidem hactenus demorantur exinde ad nostram humilitatem conjungere. Sicuti desideraverat aliarum etiam ecclesiarum Episcopos adesse, qui tamen cum in medio gentium viverent, Longobardorum scilicet, ut narrat eo loco sanctus Pontifex, Sclavorum, Francorum, Gallorum, & Gothorum, atque Britannorum. Quare cum Theodorus necessitatibus ecclesiarum Britannicarum detentus Romam navigare nequiverit, vices suas, & ecclesiarum Britanniæ Vilfridus gessit.

JESU CHR. AN. 679.

4. Priusquam ad synodi acta accedamus, de Episcopis qui sanctitate aut doctrina clariores eidem subscripserunt, nonnulla adnotamus, cui præter Mansuetum Mediolanensis ecclesiæ Antistitem spectatæ sanctitatis virum, interfuit etiam Barbatus Beneventanus Episcopus in sanctorum albo inscriptus, Joannes etiam Bergomensis adsuit, sanctitate celebris, de quo hæc Paulus Diaconus adnotat: *Per idem tempus Joannes Episcopus Bergomatis ecclesiæ vir miræ sanctitatis extitit, qui cum Regem Cunibertum in convivio, dum sermocinaretur, offendisset, Rex ei ad hospitium revertenti equum ferocem & indomitum, qui immenso fremitu super se sedentes terræ allidere solebat præparari fecit: cui cum Episcopus superfedisset, ita mansuetus extitit, ut eum blando incessu usque ad domum propriam deportarit. Quod Rex audiens, & Episcopum ex eo die bonore debito coluit, & ei suum equum, quem sua sessione dedicaverat dono largitus est.* Inter Episcopos sanctitate claros, qui Romanæ huic synodo adsuerunt Decorosus Capuæ Episcopus recensetur, inter Sanctos die 15. Febr. relatus; eique addendus Felix Spoletinus Episcopus, cujus memoria 18. mensis Maii recolitur. Sanctus etiam Anastasius Ticinensis Episcopus sanctitate conspicuus in eorum numero fuit, cujus natalis dies die 30. Maii recensetur. Alii præterea sanctitate & doctrina præstantes eidem Romanæ synodo adsuerunt, quorum catalogum texere longum esset. Ad synodi nunc gesta oratio convertatur cujus duæ extant tunc scriptæ epistolæ ad Constantinum Imp., & ad fratres ejus Augustea dignitate insignitos, quarum alteram Agatho nomine proprio scripsit, altera vero synodalis, utpote synodi nomine inscripta; ab Agathone autem Pontifice, & a Romana synodo legati CPolim profecturi ad generalem ibidem synodum celebrandam delecti sunt, Joannes

Episcopi sanctitate illustres.

JESU CHR. AN. 679. Episcopus Portuensis, Abundantius Episcopus Paternensis, & Joannes Episcopus Rhegitanus sive Regiensis, hi tres a concilio Romano missi fuerunt, Anastasius vero bibliothecarius his alios addidit, dicens. *Misit Agatho*, post tres recensitos Episcopos, *Theodorum, & Georgium presbyteros, Joannem Diaconum, & Constantinum subdiaconum, Theodorum Presbyterum Ravenna tem, atque religiosos servos Dei monachos*. Iique etiam in litteris Agathonis nominati sunt:

Duplex legatio, CPolim missa.

5. Duplex quippe legatio CPolim missa est, ab Agathone Pontifice una, altera vero a synodo Romana, utriusque meminit Imp. in literis ad Georgium CP. Episcopum, his verbis. *Jam enim super hoc adhortati sumus per pios nostros apices adhuc inter vivos existentem, & Donum sanctissimum Apostolicæ Sedis antiquæ Romæ Præsulem, & illo ex hoc sæculo migrante, Agatho sanctissimus nuper ordinatus Papa in Apostolica sede prædictæ antiquæ Romæ hujusmodi nostros pios suscipiens apices, destinavit in præsenti propriam ejus indutos personam Theodorum, & Georgium Deo amabiles presbyteros, & Joannem Deo amabilem diaconum, ex persona vero totius ejus Concilii Joannem & Abundantium, & Joannes venerabiles Episcopos cum cæteris clericis & monachis &c.*. Sicut ergo discretæ duæ missæ sunt eodem tempore legationes ad Constantinum ac fratres Imperatores, ita duæ ad eosdem missæ sunt epistolæ, altera privatim Agathonis Papæ, altera vero ejusdem Agathonis ac Synodi Romæ habitæ, ut earumdem præseferunt inscriptiones, quarum prioris sic se habet: *Dominis piissimis & serenissimis victoribus ac triumphatoribus, charissimis filiis, amatoribus Dei & Domini nostri Jesu Christi, Constantino majori Imperatori, Heraclio, & Tiberio Augustis, Agatho Episcopus servus servorum Dei. Consideranti mihi humanæ vitæ diversos angores, & ante Deum, qui unus & verus est, cum vehementia fletuum ingementi, ut consolationem animæ fluctuanti divinæ miserationis impertiret instinctus, & de profundo mœroris & angustiæ potentia suæ dexteræ sublevaret, magnam atque mirabilem cum indesinenti gratiarum actione, serenissimi domini filii, confiteor, consolationis opportunitatem exhibere dignatus est piissimum tranquillæ mansuetudinis vestræ propositum, quod ad stabilitatem divinitus commissæ Reipublicæ Christianæ ejus concessit dignatio, ut Imperialis virtus atque clemen-*

mentia de Deo, per quem Reges regnant, & qui Rex Regum, & Dominus Dominantium est, & curet & quærat immaculatæ fidei veritatem, ut ab Apostolis atque Apostolicis est Patribus tradita, inquirere vigilanter, atque ut vera traditio continet, instantissime desideret in omnibus Ecclesiis obtinere. Quare se litteras ab eodem Imperatore ad Donum prædecessorem suum scriptas accepisse testatur, quibus de pia Imperatoris sollicitudine in procuranda Ecclesiis pace certior factus, legatos se Abundantium, & Joannem cum sociis presbyteris & Diaconibus, delegasse narrat, ut suo nomine Cpolim proficiscentes, suas in synodo ibidem celebranda vices gererent: dum vero Episcopos ex diversis, & longinquis provinciis ad Romanam synodum vocatos expectaret. *Non parvus temporum cursus elapsus est*, inquit, *ut corporales ægritudines mei famulatus silentio transeam, quibus nec vivere licet, nec libet assiduis ægrimoniis laborantem*, hæc in sui excusationem, quod legationem mittere distulerit.

Traditione magis, quam doctrina fidei dogmata confirmantur.

6. Quod vero tunc in Romana ecclesia, vel tota Italia frequentes Episcopi non essent doctrina, & scripturarum scientia præstantes, id temporis infelicitati tribuendum esse testatur, cum inter Longobardorum gentes ecclesiarum ministri existentes, in eam conditionem redacti erant, ut eorum plurimi victum labore manuum sibi compararent. Hinc addit Agatho Papa. *Nam apud homines in medio gentium positos, & de labore corporis quotidianum victum cum summa hæsitatione conquirentes, quomodo ad plenum poterit inveniri scripturarum scientia, nisi quæ regulariter a sanctis atque Apostolicis prædecessoribus, & venerabilibus quinque Conciliis definita sunt, cum simplicitate cordis, & sine ambiguitate a Patribus traditæ fidei conservamus, unum ac præcipuum bonum habere semper optantes atque studentes, ut nihil de eis, quæ regulariter definita sunt, minuatur, nihil mutetur, vel augeatur, sed eadem & verbis, & sensibus illibata a nobis custodiantur?* Intelligis probe, lector, quantum deploret Agatho Pontifex temporis hujus bonarum litterarum sterilitatem, cum ob assiduos Longobardorum motus exculta Latinitas, & ipsa Italia fecunda scientiis, fuerint omnino ibidem incultæ & steriles redditæ, ut opus fuerit e Britannia Theodorum accersere Theologum, quem nec habere licuit. Habes præterea ex iisdem Agathonis Pontificis verbis, in quan-

Jesu Chr. an. 679. tam Ecclesiæ redactæ essent paupertatem, ut necessarium fuerit earum ministris corporali exercitatione sibi victum comparare: Sed & illud pariter observatione dignum considera, quod cum in ecclesia desunt homines sacris literis summe eruditi, tunc pro securitate ad tutum portum esse confugiendum, nimirum ad prædecessorum & sanctorum scripta Patrum, in omnibus semper & ante omnia antiquis traditionibus firmiter inhæreudo. In eamque rem nonnulla sanctorum Patrum, Græcorum præcipue testimonia epistolæ suæ inseruit, quibus Monothelitarum hæresis confutabatur, ac duæ in Jesu Christo voluntates, & operationes fuisse probabat, Gregorii scilicet Nazianzeni, Gregorii Nisseni, Joannis Grisosthomi, Cyrilli Alexandrini, plures, longioresque textus, ex Latinis vero Sancti Leonis Papæ fragmenta ex epistola ad Flavianum, & ad Leonem Augustum,

Agathonis Papæ ad legatos mandatum, eosque Imperatori commendat.

7. Integram quoque perfectamque fidei formulam litteris suis intexuit Agatho, qua non solum catholicam fidem exposuit, sed quinque conciliis se subscribere testatur: iisque, ut legati sui inhærerent nihil addendo, vel minuendo, se præcepisse his verbis adnotat, *Licentiam proinde eis, sive auctoritatem dedimus apud tranquillissimum vestrum Imperium, dum jusserit ejus clementia simpliciter satisfaciendi, in quantum eis dumtaxat injunctam est, ut nihil profecto præsumant augere, minuere, vel mutare, sed traditionem hujus apostolicæ sedis, ut a prædecessoribus Apostolicis Pontificibus instituta est, sinceriter enarrare*. Ac legatos suos Imperatori enixe commendat, eosque ut clementer excipere, patienterque audire dignetur exorat, ut ibidem videre est, quos sane Imperator, ea qua decebat, erga Apostolicam sedem reverentia, hospitio, mensa, ceterisque officiis excepit, ut anno sequenti videbimus.

Synodalis epist. Concilii Rom. ad Imperatorem.

8. Quia vero ut diximus, duæ eodem tempore ad Imperatorem missæ sunt legationes, duæ quoque epistolæ in eam rem scriptæ fuerunt, una ab Agathone Pontifice, de qua hactenus egimus; altera a Romana synodo centumviginti quinque Episcoporum, cui primus etiam Agatho Papa subscripsit, deinde ceteri vel nomine proprio, vel ut legati synodorum, quæ antea celebratæ fuerant, in Galliis, & in Anglia. Inscriptio autem epistolæ hæc est: *Piissimis Dominis, & serenissimis victoribus ac triumphatoribus, dilectis*

filiis

filiis Dei, & Domini nostri Jesu Christi, Constantino Magno Imperatori, Heraclio, & Tiberio Augustis, Agatho Episcopus servus servorum Dei cum universis synodis subjacentibus concilio Apostolicæ Sedis &c. Cum vero hæc synodalis epistola, eadem fere contineat, quæ Agatho Papa fusiori stylo exposuerat, plura de hac addere superfluum judicamus, hoc unum adnotantes, quod iterum de temporum suorum acerbitate, & litterarum jactura, cum Agathone Pontifice his verbis lamentantur: *Igitur quia tranquillissimæ fortitudinis vestræ clementia personas de Episcopali numero dirigi jussit, vita atque scientia omnium scripturarum præditas, de vitæ quidem puritate, quamvis quisquam mundaniter vixerit, confidere tamen non præsumit: perfecta vero scientia, si ad veræ pietatis scientiam redigatur, solius est veritatis cognitio, si ad eloquentiam sæcularem, non æstimamus quemquam temporibus nostris reperiri posse, qui de summitate scientiæ glorietur: quandoquidem in nostris regionibus diversarum gentium quotidiæ æstuat furor, nunc confligendo, nunc discurrendo ac rapiendo: Unde tota vita nostra sollicitudinibus plena est, quos gentium manus circumdat, & de labore corporis victus est, eo quod pristina Ecclesiarum sustentatio paulatim per diversas calamitates deficiendo succubuit; & sola est nostra substantia fides nostra, cum qua nobis vivere, summa est gloria, pro qua etiam mori, lucrum æternum est. Hæc est perfecta nostra scientia, ut terminos Catholicæ atque Apostolicæ fidei, quousque hactenus Apostolica sedes nobiscum & tenet & tradit, tota mentis custodia conservemus, credentes in Deum.* Integram deinde catholicæ fidei confessionem subjiciunt, quam quidem barbarico, & agresti stylo scriptam esse verissime adnotat Baronius; at eam falsatam fuisse, sicuti ad singulos fere annos, vel numeros, de actis sextæ synodi suspicatur idem auctor, non constat, nec ibidem demptam vocem de Spiritu Sancto, ex Patre, Filioque procedentem, uti a Juliano S. R. C. Cardinali Græcis in concilio Florentino exprobratum fuit, ut ex Combefisio in historia Monothelitarum disput. 2. cap. 2. paragrapho 3. adnotat Pagius.

JESU CHR. AN. 679.

Infelix status ecclesiarum Occidentis.

9. Pacem per annos triginta cum Romanis Moaviam Seracenorum Principem firmasse, anno proximo diximus, non multo post, cum Seracenis per annos viginti præfuisset; eorumque Imperium mirum in modum dilatasset, tandem hoc

Moaviæ Seracenorum Principis obitus, cui succedit Izid filius ejus.

JESU CHR. AN. 680. hoc anno vivere desiit: *Hoc anno mensis Aprilis die sexto, indictione prima, Moavias primus Seracenorum Rex letbo extinctus est, gentis suæ Ducem se gessit annis viginti, Ameram se renunciavit annis vigintiquatuor, Izid vero ejus filius post eum Principatum obtinuit.* Anno proximo 680. Moaviæ obitum contigisse adnotat Pagius, ac pro indictione prima, octavam legendum putat, sicuti pro mense Aprili Artemisium sive Majum, ex Græcorum Codicum lectione; cum tamen primam lectionem retinuerint Theophanis editores, ab ea nequaquam recedendum esse putamus; cum vix intersit utrum anno labenti vel anno proximo Moavias obierit. De Moaviæ gestis Elmacinus, ceterique Arabes scriptores quamplurima narrant, quæ in compendium in historia Arabica refert Dorigni tomo secundo. Izid vero Moaviæ filius quadrienuio Seracenorum Regnum obtinuit, continuis tamen, domesticisque dissentionibus implicatus, ut ibidem videre est.

JESU CHRISTI AN. 680. AGATHONIS PAPÆ 3.
CONSTANTINI POGONATI IMP. 13.
BERTHARIDI ITALIÆ REGIS 10.

Legati Agathonis, & synodi Rom. CPoli honorifice excepti sunt.

1. Cum legati tum Agathonis Pontificis, cum synodi Romanæ ad concilium Oecumenicum celebrandum, adversus Monothelitarum hæresim missi hoc anno Constantinopolim advenissent, summo cum honore ab Imperatore Constantino Pogonato excepti sunt, ut his verbis narrat Anastasius: *Suprascripti missi Sedis Apostolicæ, qui directi fuerant, regiam urbem ingredientes die decima mensis Novembris, nona indictione, Domino solante atque Principe Apostolorum comitante, suscepti sunt a Principe in oratorio intra palatium, porrigentes ei scripta Pontificis. Quæ cum suscepisset, commonuit eos atque adhortatus est, ut non per schisma, aut furorem, sed pacifica dispositione, remittentes philosophicas assertiones, puram sanctarum Scripturarum, Patrumque probatam fidem per Synodalia decreta satisfacerent, & tribuens eis inducias ad tractanda scripta, tribuit eis omnia, quæ ad sustentationem sufficiebant in eorum expensas, in domo, quæ Platidias dicebatur. Decimo octavo suprascripti mensis die Dominico, advocati sunt in processione ad sanctam Dei genitricem in Blachernis in tanta honorificentia, ut etiam de palatio caballos stra-*

ſtratos dirigeret cum obſequio pietas Imperialis, ut ſic eos ſuſciperet, ea ipſa commonens, ut pacifica aſſertione teſtimonia venerabilium Patrum proponerent. Hæc Anaſtaſius, cujus textus, ut cum actis ſextæ ſynodi convenire poſſit, in menſe corrigendus eſt, ut poſt Baronium adnotat Pagius, ac loco menſis Novembris legendum eſt Septemb., nam quarto idus Septemb. inſcripta eſt Conſtantini Imp. epiſtola ad Georgium CP. Epiſcopum pro ſynodi celebratione, cum jam CPoli adeſſent Apoſtolicæ ſedis legati, quorum ibidem mentio occurrit. Inſuper die ſeptima Novembris labentis anni prima actio ſynodi habita fuit, præſentibus iiſdem legatis, quod ſane fieri non potuiſſet, ſi die decima tantum ejuſdem menſis CPolim ingreſſi fuiſſent.

Conſtantini Imp. epiſtola ad Georgium CP. Epiſc. pro ſynodi convocatione.

2. Poſt legatorum adventum CPolim, Imperator Conſtantinus epiſtolam ad Georgium CP. Epiſcopum dedit, qua jubebat, ut Metropolitanos Orientalis eccleſiæ Epiſcopos CPolim ad ſynodum convocaret, epiſtolæ autem inſcriptio hæc eſt. *In nomine domini & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, Imperator pius, pacificus, Flavius Conſtantinus, fidelis in Jeſu Chriſto Deo, Georgio ſanctiſſimo ac beatiſſimo Archiepiſcopo CPoleos & univerſali Patriarchæ (data quarto idus Septemb. CP. imperante domino piiſſimo perpetuo Auguſto Conſtantino Imp. anno 28. poſt coſſ. ejus anno 12.)* cum autem hæc verba, *data quarto idus Septemb. &c*, in textu Græco deſiderentur, ea addita fuiſſe conſtat, quare in ea temporis nota, mendum irrepſiſſe adnotat Pagius, ac pro anno 28. legendum eſſe 27. admonet, ut etiam ex prima actione ſextæ ſynodi patet, quæ habita eſt die ſeptima menſis Novemb. anno Conſtantini 27., conſulatus ejus 13. Epiſtola autem ſua, hæc chriſtiano Imperatore digna habet. *Quamquam ſollicitudinibus tam militaribus, quamque civilibus indeſinenter noſtra ſerenitas coarctetur: attamen omnes Chriſto amabilis noſtræ Reipublicæ cauſas inſequendo ob Chriſtianam noſtram fidem ponentes, quam & in bellis propugnatricem tam noſtri, quamque Chriſto dilectorum noſtrorum exercituum habemus, neceſſarium judicavimus præſenti noſtra pia Sacra ad veſtram paternam beatitudinem uti, per quam adhortantes eam, ſancimus congregare veſtram paternam beatitudinem omnes, qui ad ejus ſanctiſſimam Sedem pertinent, ſanctiſſimos Metropolitas, & Epiſcopos in hanc a Deo conſervandam noſtram regiam urbem:*

Jesu Chr. an. 680.

urbem: quatenus, cooperante omnipotente & misericorde Deo nostro, diligentissima inquisitio dogmatis fiat, quod olim ante multum tempus exortum est de voluntate & operatione in dispensatione incarnationis unius de sancta Trinitate Domini nostri Jesu Christi veri Dei nostri; quod & dissidium non minimum per quasdam personas Dei Ecclesiae intulit. Innotescere quoque super hoc & Macario venerabili Archiepiscopo Antiochenae magnae civitatis, quatenus & ipse de propria Synodo Deo amabiles Metropolitanos, & Episcopos praeparatos faciat pro hoc ipso huc congregari. Jam enim super hoc adhortati sumus per pios nostros apices adhuc inter vivos existentem, & Donum sanctissimum Apostolicae Sedis antiquae Romae Praesulem: & illo de hoc saeculo migrante, Agatho sanctus nuper ordinatus Papa in Apostolica Sede praedictae antiquae Romae hujusmodi nostros pios suscipiens apices, destinavit in praesenti propriam ejus indutos personam Theodorum, & Georgium Deo amabiles presbyteros, & Joannem Deo amabilem diaconum, ex persona vero totius ejus Concilii Joannem & Abundantium, & Joannem venerabiles Episcopos cum ceteris clericis & monachis, qui debeant invenire in praedicto capitulo quaestionem: qui & nunc ad nostra convenerunt vestigia, porrigentes nobis etiam duas suggestiones, unam quidem ejusdem sanctissimi Agathonis Papae, aliam vero Concilii ejus. Sciens igitur vestra paterna beatitudo, quia primum nobis & praecipuum (ut praediximus) hoc Orthodoxiae existit capitulum, festinet praedictos venerabiles Metropolitanos Episcopos celeriter advenire in hanc a Deo conservandam nostram regiam urbem, quatenus praedictum tractetur capitulum, & majorum donorum datore atque coronatore nostro Deo cooperante, cauta atque Orthodoxa definitio hujusmodi dogmati imponatur. Et subscriptio: *Divinitas te servet per multos annos sanctissime ac beatissime Pater*: Hactenus Constantinus ad Georgium CP. Patriarcham.

De synodi tempore, loco, & Episcoporum numero.

3. Antequam acta synodi enarremus, de tempore quo incoepta est, de loco, ac Episcoporum numero, qui ad eam convenerunt, nonnulla adnotamus, ac quo ad tempus synodi, ex ejusdem actis in sessione prima constat, eam habitam fuisse die septima mensis novembris, indictionis nonae, anno Constantini Imp. 27. ex quo cum patre Augusti dignitatem obtinuerat, ex quo vero cum fratribus patri suc-

successerat anno 22. *Heraclio vero atque Tiberio a Deo conservandis ejus fratribus anno* 22. post coss. vero Constantini, idest Imperii, cum post patrem imperare cœpit, anno 13:, idest anno labente 680. *In basilica, quæ Trullus appellatur intra palatium* synodum habitam fuisse Anastasius, ceterique historici narrant, Trullus vero seu Trulla (nam utrumque dicitur) ut Godinus, & Ducangius in CPli christiana adnotant, sublimem fornicem desuper in altum porrectum, & in rotundum coucameratum significat, quod vulgari nomine nunc *Cuppolam* dicimus, quo sensu Anastasius in Sergio Papa, ait *Trullum vero ejus ecclesiæ* SS. Cosmæ, & Damiani apud Templum pacis Romæ *fusis chartis plumbeis cooperuit*, uti nunc etiam videtur: Unde quid Trullus esset cognosci potest. In chronico etiam de rebus CPolitanis a Godino edito, ubi de admirabili templo a Justiniano Imp. erecto, Trulli, seu Trulle mentio occurrit. Sic igitur synodi locus Palatii secretarium, seu basilica fuit, quod hujusmodi Trullo fastigiatum, testudine sursum erecta, sui rotunditate Emisphærium conficiebat, ac Trullus dicebatur. De numero autem Episcoporum, qui synodo interfuisse dicuntur, diffident historici, biscentum octagintanovem habent annales Græcorum apud Cedrenum, & Theophanem, Photius in epistola, seu libro de synodis centumseptuaginta numerat. Paulus vero Diaconus, & Anastasius centumquinquaginta. Theodorus Balsamo 171. adfuisse ait. In ultima tamen actione ejusdem synodi subscripti tantum leguntur centum sexagintasex, quorum numerus synodi initio minor fuit, cum in tanta temporis angustia, ex quo convocati fuerant, intra bimestre scilicet, omnes Episcopi CPolim pervenire non potuerint. Jesu Chr. an. 680.

4. Cum itaque intra bimestris spatium, ex quo CPolim vocati fuerant, Episcopi, quamplurimi eorum illuc convenissent, die 22. mensis Novembris ait Anastasius, seu potius die septima ejusdem mensis, ut acta synodi præferunt concilii sessiones incœptæ sunt, quarum sex labenti anno habitæ sunt, ceteræ vero in sequentem annum dilatæ. Sessionis autem ordo idem fuit, qui in concilio Chalcedonensi observatus fuerat, ut digniori loco, a sinistris scilicet sederent Apostolicæ sedis legati, a dextris vero Constantinopolitanus Episcopus, nec non Antiochenus, atque legatus Sedis Alexandrinæ. Quod vero in eo consessu digniorem lo- Sessionis ordo exponitur

Jesu Chr. an. 680. cum legati Apostolicæ Sedis obtinuerint, nulli dubium esse potest, qui acta Synodi Chalcedonensis perlegerit. Id etiam quisque intelliget ex rebus in hac Synodo gestis, si quis eas consideret, videlicet, quomodo iidem primo loco sententiam dicant, primoque subscribant, & alia hujusmodi, quibus primarius illis delatus honor in omnibus intelligatur more majorum: eminentiorem locum Constantinus Imperator cum suis magistratibus obtinebat, locus vero medius Synodi ex more datus est sacrosanctis Dei Evangeliis, super sedem ornatam positis, Christum ipsum repræsentantibus: Patriarcharum autem præsentes tantum fuere Georgius ConstantinoPolitanus, & Macarius Antiochenus; duo reliqui, nempe Alexandrinus, atque Hierosolymitanus, per legatos nimirum ex parte Theodori locum tenentis Hierosolymorum Episcopi, qui primus legitur, postquam a Seracenis civitas illa capta est, ejus civitatis denominatus Vicarius Episcopi, vacante adhuc Sede ipsa, missus ponitur Georgius monachus, & Petrus itidem monachus pro Sede Alexandrina, pastore vacante.

5. His ita dispositis: verba fecerunt qui in Synodo locum tenebant Apostolicæ Sedis legati, ac adventus sui causam edocentes, ob id præcipue conquesti, quod quatuor Constantinopolitanæ Sedis Patriarchæ, nempe Sergius, Pyrrus, Paulus, & Petrus, & cum eis Cyrus Alexandrinus Episcopus, una cum Theodoro Episcopo Pharan, novam invexissent hæresim in Ecclesiam de una in Christo voluntate atque operatione; petieruntque dicere erroris causam & originem novitatis: jubente ergo Imperatore, causam ab adversa parte reddi Apostolicæ sedis legatis, tunc sectæ ejusdem Coriphæus Macarius Episcopus Antiochenus respondit, & cum eo alii pro Constantinopolitana Sede, atque nullam novitatem in Ecclesiam introductam, ab iis fuisse addiderunt, sed quæ a sacris Synodis, & sanctis Patribus essent accepta, ea in medium protulisse. His auditis Imperator, non passurum se in Synodo residere Macarium dixit, nisi quæ proposuisset, omnino probaret. Id vero pollicitus est Macarius, rogans proferri codices ex Patriarchio, in quibus quinque Synodi œcumenicæ scriptæ essent: quod & factum est, allatisque in Synodum codicibus, lecta est a Macarii discipulo Stephano tertia

Sessio prima

tia Synodus, Ephesina prima dicta: ubi cum ventum esset ad locum Cyrilli, quo ait: *Est enim ejus omnipotens voluntas*: Macarius de una voluntate testimonium esse locum illum non erubuit affirmare. Sed demonstratum est ab Apostolicæ Sedis legatis, & aliis, nec non a Judicibus cognitoribus, inepte admodum locum Cyrilli in suam ipsius sententiam a Macario detorqueri, cum manifeste appareret de divina natura, quam communem cum Patre & Spiritu Sancto Filius habet, intellexisse, dum dixit voluntatem, singulari numero minime pluralitatem excludens. Cum vero post hæc, quæ reliqua essent voluminis Concilii Ephesini lecta in Synodo fuissent, pluribus in his impensis horis, reliquorum œcumenicorum Conciliorum lectio jussu Imperatoris in sequentem Sessionem dilata est, sicque prima Sessio finem accepit.

Ephesina synodus legitur.

6. Secunda vero Actio habita est eodem in loco, eodemque anno, die decima ejusdem mensis Novembris, iisdemque qui supra præsentibus Imperatore, magistratibus, & Episcopis, ubi (ut in superiori Actione decretum fuerat) lectum est sacrosanctum Chalcedonense Concilium ad cognoscendum, num verum esset, quod impudens Macarius Episcopus Antiochenus magna jactantia dixerat, in universalibus Conciliis Monothelitarum hæresis assertas sententias reperiri. Quoniam autem prolixum satis Chalcedonense Concilium est, consumpta in ea lectione Actio ista fuit: sed nihil inveniri potuit, quod contra fidem Catholicam de una asserta voluntate a Macario objici potuisset. Contra vero, dum ventum esset ad lectionem epistolæ S. Leonis, qua expresse duæ in Christo operationes, sicut duæ naturæ prædicantur: legati Apostolicæ Sedis Monothelitis exprobraverunt, quod adeo turpiter mentiti essent, in Actis Synodalibus illis unam in Christo asseri operationem ac voluntatem. His confusus Macarius confugit ad illud Dionysii Areopagitæ, ut Deivirilem tantum, non numero duas operationes dici debere, assereret. Lecto vero, quod reliquum erat, Chalcedonensis Concilii, clausa est Actio ejus diei: reliquis synodalibus Actis Quintæ, quæ sequebatur ordine, Synodi in sequentem Sessionem dilatis.

Sessio secunda.

Chalcedonense concilium, & Leonis epist. legitur.

7. Eodem anno, & mense Novembri, decimatertia die, rursus in Trullum iidem, qui supra ad Synodum

Sessio tertia.

Jesu Chr. an. 680. convenere Episcopi. Imperator, & Magistratus, eodemque ordine disposita Sessione, jussæ sunt (ut decretum ante fuerat) legi Quintæ Synodi Actiones, in cujus exordio, ubi lecta esset epistola Mennæ Constantinopolitani Episcopi ad Vigilium Papam, lectum est ex ea, quod una sit in Christo voluntas. Tunc exurgentes legati Apostolicæ sedis, vitiatum esse codicem a Monothelitis, exclamarunt. additamque illam esse Mennæ nomine ad Vigilium epistolam, sive libellum, eo quod Acta ipsa germana id non haberent: ejusque rei certum illud attulerunt argumentum, quod Mennas diem obierit vigesimoprimo anno Justiniani Imperatoris, Quinta vero Synodus anno ejusdem Imperatoris vigesimosexto coacta sit. Sed quomodo adeo patens tunc detecta sit impostura, ex Actis ipsis sic accipe, ubi hæc habentur. *Et inspicientes tam piissimus Imperator, quam gloriosissimi Judices, una cum quibusdam ex sancta Synodo Deo amabilibus Episcopis, & aperientes ac discernentes, invenerunt tres quaterniones in principio libri additos, non habentes subnotationem numeri, qui secundum consuetudinem affigitur in quaternionibus, sed in quarto quaternione habente primum numerum, & in sequenti quaternione secundum, & tertium atque quartum subsequenter: alias vero & dissimiles esse litteras eorumdem in exordiis submissorum quaternionum, in quibus continebatur sermo, qui dicitur Mennæ ad Vigilium, ex litteris, quæ prius scriptæ erant in eodem codice*: quod cum dilucide adeo declaratum esset, jussum est ab Imperatore præteriri, quod reliquum erat lectionis ejusdem epistolæ, sed ipsam Quintam Synodum legi: quod & factum est. Cum vero ventum esset ad septimam Actionem, ubi contigit percurri scripta Vigilii in anathematismo adversus Theodorum Mopsuestenum, quod non confiteretur unam in Christo personam, lectum fuit ex additamento Monothelitarum; *Et unam operationem*.

Hæreticorum impostura detegitur.

Vigilii Papæ scripta vindicantur.

8. At legati audientes imposturam, restiterunt, & exclamarunt, nihil hujusmodi esse Vigilii, sed falsos illos esse libellos, partusque suppositos nomine Vigilii. Si enim cum unius operationis assertione Vigilius receptus esset a Synodo, oportuisset & Synodum eundem errorem esse professam, quod cum non possit dici, utique neque de Vigilio id sentiendum est. His disputatis, probeque cognitis, interlocuti sunt Pa-

Patres, & ipsi Iudices cognitores, nihil inventum esse (ut vaniloquus jactabat Macarius Antiochenus) in Synodis oecumenicis, quod faveret Monothelitis, tantum reliquum esse, ut (quod Macarius pollicitus erat) id si posset probaret ex Patribus. Interlocutus vero Georgius Constantinopolitanus Episcopus, & reliqui Episcopi, qui sub ipso erant, petierunt ante omnia legi in Synodo debere, quæ Romæ ab Agathone Pontifice, nec non quæ a Synodo ibidem coacta ad Imperatorem scripta fuissent, qnod & obtentum est, at in sequentem sessionem dilatum. Adnotandum tamen, cum Pagio, & Balutio, quod etsi legati Apostolicæ sedis de impostura litterarum Vigilii Papæ conquesti fuerint, non ideo sequi Vigilii easdem epistolas non fuisse, sed eas tantum a Monothelitis falsatas, ut unius in Christo operationis, eumdem quoque assertorem facerent: Unde & *unam operationem* ejusdem litteris inseruerant, ut pluribus nota 9. 10. 11. 12. ex Balutio adnotat Pagius.

9. Uno interlapso die, 15. Novemb. cum iterum omnes convenissent Episcopi, & Magistratus, longiores Agathonis Papæ litteræ, quibus adnexa fuerant Sanctorum Patrum testimonia, unde duæ in Christo voluntates, & operationes fuisse demonstrabatur, oblatæ sunt, una cum epistola altera Agathonis Papæ, & synodi Romanæ, cui Episcopi centumvigintiquinque subscripserant. Ea vero in Græcum translate lectæ fuerunt, quæ cum prolixæ admodum essent, multisque rationibus, & auctoritatibus confertæ, ad probandum catholicum dogma de duabus in Christo voluntatibus & operationibus, nil aliud in ea actione quarta tractari potuit, quare in sequentem sessionem dilata sunt ea, quæ a Macario suggesta fuerant de Patribus, quos dicebat, unius in Christo operationis, & voluntatis assertores fuisse, & propugnatores. Actio quarta | Agathonis Papæ litteræ in synodo lectæ.

10. Septima itaque die mensis Decembris, cum Patres, una cum Imperatore, & Magistratibus, ac judicibus cognitoribus convenissent, quinta sessio celebrata est, qua Macarius Antiochenus Episcopus, & Monothelitarum antesignanus & advocatus duos obtulit Codices, quibus Sanctorum Patrum testimonia contineri dicebat, ad probandam in Christo unicam adfuisse voluntatem & operationem, iisque lectis, cum alia Macarius obtulisset, ac ut legerentur, postulasset, in se- Actio quinta

JESU CHR. AN. 680. sequentem sessionem, & annum dilata sunt, quæ die 12. Februarii ejusdem indictionis nonæ habita est, ut ibidem dicturi sumus.

De peste, quæ in Italia grassata est. *Paul. Diac. lib. 6. 5.*

11. Hoc anno mense Julio post lunæ eclipsim, pestis ingens vastavit urbem, nonnullasque alias Italiæ civitates, de quibus hæc narrat Paulus diaconus. *His temporibus per Indictionem octavam Luna eclipsim passa est. Solis quoque eclipsis eodem pene tempore hora diei quasi decima, quinto Nonas Majas effecta est: moxque sequuta est gravissima pestis tribus mensibus, hoc est, Julio, Augusto, & Septembri. Tantaque fuit multitudo morientium, ut etiam parentes cum filiis, atque fratres cum sororibus, bini per feretra positi, apud urbem Romam in sepulchra deducerentur. Pari etiam modo hæc pestilentia Ticinum quoque depopulata est; ita ut cunctis civibus per juga montium, seu per diversa loca fugientibus, in foro & per plateas civitatis herbæ & fructeta nascerentur. Tuncque visibiliter multis apparuit, quia bonus & malus Angelus noctu per civitatem pergerent, & ex jussu boni Angeli malus Angelus, qui videbatur venabulum in manu ferre, quotiens de venabulo ostium cujuscumque domus percussisset, tot de eadem domo die sequenti homines interirent: Tunc per revelationem cuidam dictum est, quod pestis ipsa prius non quiesceret, quam in basilica, quæ beati Petri ad Vincula dicitur, S. Sebastiani martyris altarium poneretur. Factumque est, & delatis ab urbe Roma beati Sebastiani martyris reliquiis, mox ut in jam dicta basilica altarium constitutum est, pestis ipsa quievit*: Hucusque Paulus, eademque de peste habet Anastasius in Agathone Pontifice. Hinc certe Baronius erravit, dum Sancti Sebastiani altare hoc tempore in ecclesia S. Petri ad Vincula Romæ erectum fuisse scribit, quod in ecclesia S. Petri ad Vincula Ticini, factum fuisse adnotant Muratorius, & editor Pauli Diaconi ad hunc locum.

De obitu Hildæ Abbatissæ Pharensis in Anglia. *Beda hist. l. 3. 23.*

12. Hoc eodem anno 680., ut auctor est Beda, magni nominis fœmina, & regiæ stirpis Sancta Hilda Pharensis in Anglia Abbatissa, quintodecimo Kal. Decembris ad Deum abiit, anno ætatis suæ 66., quorum medietatem idest 33.. *In sæculari habitu nobilissime conversata complevit, & totidem sequentes nobilius in monachica vita domino consecravit*, ait Beda, qui de felici ejusdem ad Deum transitu hæc addit. *Se-*

Septimo suæ infirmitatis anno, converso ad intranea (seu interiora) *dolore ad diem pervenit ultimum, & circa galli cantum percepto viatico sacrosanctæ communionis, cum accersitis ancillis Christi, quæ erant in eodem monasterio de servanda inter eas invicem, immo cum omnibus pace Evangelica admoneret, inter verba exhortationis læta mortem vidit, immo, ut verbis domini loquar de morte transivit ad vitam. Qua videlicet nocte Dominus omnipotens obitum ipsius in alio longius posito monasterio, quod ipsa eodem anno construxerat, & appellatur Hacanes manifesta visione revelare dignatus est &c.* Sanctimoniali scilicet Regæ, dum e somno excitata Hildæ animam comitantibus ac ducentibus Angelis in Cœlum ferri vidit, ac sororibus e somno excitatis nunciavit, ut ibidem Beda supracitatus narrat. JESU CHR. AN. 680.

13. Hilvæ Abbatissæ ex regio sanguine Bathildem Francorum Reginam addimus, Clodovei secundi uxorem, ac Clotarii tertii, & Childerici Regum matrem, quæ cum plurima condidisset monasteria, Corbejense scilicet, & Calense, monasticam vitam in Calensi monasterio duxit, tanta virtutum fama illustris, ut Clotildi, Radegundæ, quin & Helenæ Imperatrici comparari meruerit. Hoc autem anno Iliorum dolore correpta, *ut vera monacha sub integra religione beatam vitam feliciter consumavit, atque tertio Kal. Febr. animam beatam benigno Jesu, qui eam dederat reconsignavit, humataque in pace requiescit in Eala monasterio.* Ait auctor anonymus vitæ ejusdem, qua die in sincero Usuardi martyrologio, & in Corbejensi Kalendario memoria ejus recolitur. At in Romano martyrologio, aliisque, natalis ejus septimo Kal. Feb. recolitur. De cujus beato exitu, ac miraculis ad ejus tumulum patratis plura auctor vitæ narrat, de qua etiam apud Mabillonium, & Pagium plura videri possunt. Bathildis Reginæ obitus. *Mabill. annal. Bened. pag. 554. Pag. not. 7. ad 13.*

14. Rem sane miram, & hactenus inauditam narrant Hispani historici, Vambam scilicet Regem invitum, aut saltem inscium, ex Rege Monachum evasisse, cum annos octo mensem unum regnasset, atque in ejus locum Ervigius pridie idus Octobris die Dominica, ut Vaseus in Chronico, & Mariana lib. 6. cap. 14. adnotant, Rex creatus est. Rem gestam ex Juliano Toletano, his fere verbis narrat Lucas Tudensis. *Tempore bonæ memoriæ Gridasvindi Regis, ex Græ-* Vamba Hispaniarum Rex monasticum vestem induit, eique Ervigius succedit.

cia

Jesu Chr. an. 680. *cia venit vir quidam nomine Andabaftus Græcorum genere nobilis, qui ab Imperatore fuo expulfus in Hifpaniam profectus eft, quem Recefvinthus Rex magnifice fufcepit, & ei in conjugium confobrinam fuam dedit, ex quo conjugio natus eft ei filius nomine Ervigius, qui cum effet in palatio regio enutritus, & honore comitis fublimatus, elatus fuperbia, callide adverfus Regem Bambanem* (feu Vambanem) *excogitavit, & potionem letiferam dedit ei, ex qua Rex officium memoriæ perdidit. Cumque Epifcopus civitatis, & optimates palatii, qui erant fideles Regis, quos potionis caufa latebat, vidiffent Regem jacentem abfque memoria, caufa pietatis commoti, pœnitentiam volentes illi perficere, unctionem fancti olei, & communionem Chrifti corporis obtulerunt &c.*, feu potius, ut ex Alphonfo Salmaticenfi Epifcopo adnotat Mabillonius, cum Regem vix mentis compotem inveniffent, *ftatim ei confeffionis & pœnitentiæ remedium contulerunt*, ideft in pœniteutium ordine adfcripferunt. Quo ritu id fieret, ex Toletanis conciliis tertio, & quarto conftat, ex quibus difcimus, eos, qui pœnitentiam infirmi profitebantur, tonfura accepta, & vefte mutata, perpetuæ & irrevocabili pœnitentiæ addicebantur. Is vero habitus, temporis tractu monachalis fuit, quo femel fufcepto in feculum reverti, nefas erat, ut multis exemplis conftat. Unde Petrus Damiani cum accepiffet Petrum quemdam Epifcopum, hanc in vulgus fententiam fpargere, eos fcilicet, qui monafticum habitum in extremo morbo poftulaffent, ad fecularem vitam, recuperata fanitate, reverti poffe, hanc fententiam, tamquam fcandali, & periculi plenam confutandam fufcepit fingulari opufculo ad Gislerium Auximanum Epifcopum, quod etiam canone fecundo Toletani concilii, anno fequenti celebrati confirmatum fuit, ea potiffimum ratione, quod ficuti infantes baptizati cum ad adultam ætatem perveniffent, chriftianam fidem, abnegare non poterant, ita etiam qui pœnitentiam nefcientes fufceperant, extremo morbo laborantes, aut monachalem habitum, eam abjicere, & ad fecularem vitam redire non poterant. Annuæ tamen excommunicationis pœnam iis facerdotibus, canon fecundus Toletani concilii 12. inflixit, qui nefcientibus, nec petentibus in extremo morbo ad pœnitentium ordinem delegaffent, ac canone primo ejufdem concilii conftat Vambam impofitam fibi nefcienti,

Petrus Damiani opufculo 16.

ac

ac morbo laboranti pœnitentiam ſponte ſuſcepiſſe, ac data ſyngrapha, Regno abdicato Ervigium ſibi ſucceſſorem delegerat Juliano Toletano Epiſcopo jubens, ut eum in Regem inungeret. Itaque ut a morbo convaluit Rex Vamba, & mentis compos iterum factus eſt, *intelligens ordinem ſibi impoſitum*, ait Alphonſus Salmaticenſis Epiſcopus, *monaſterium petiit, ibique quamdiu vixit, in religione permanſit*, quem non diu ſuperſtitem fuiſſe indicat Toletanum concilium 13. triennio poſt celebratum, quo Vamba Rex *Divæ memoriæ appellatur*, nec mirum, ſumpta etenim venenata potione, uno aut altero ab hinc anno vivere deſiit, Ervigius interea, etſi malis artibus Regnum obtinuiſſet, recte tamen adminiſtravit, de cujus geſtis ſermo infra redibit.

JESU CHR. AN. 681.

JESU CHRISTI AN. 681. AGATHONIS PAPÆ 4.
CONSTANTINI POGONATI IMP. 14.
BERTHARIDI REGIS ITALIÆ 11.

Sextæ ſynodi ſeſſio ſexta.

1. Annum Chriſti 681., ab actis ſextæ ſynodi, cujus quinque primas actiones anno elapſo expoſuimus, auſpicabimur. Itaque cum die duodecima Febr. dum adhuc indictio nona in curſu eſſet. Anno Imperii Conſtantini 27. poſtcoſſ. anno 13. fratrum vero ejus 22., cum in unum Epiſcopi cum Imperatore, magiſtratibus, & judicibus conveniſſent, per Paulum ſynodi ſecretarium, jubente ſynodo, & Imperatore, interrogatus eſt Macarius Antiochenus Epiſcopus, num alia teſtimonia, quibus unam in Chriſto voluntatem, & operationem probaret, proferre vellet. Is vero Codicillum, ſeu Codicem alterum protulit, quo alia, ut ajebat, ad ſuam hæreſim confirmandam ſanctorum Patrum teſtimonia continebantur, quæ cum uſque ad finem Antiochus lector & notarius eccleſiæ CP. legiſſet, tum oblatis ab Apoſtolicæ Sedis legatis Sanctorum Patrum teſtimoniis, quibus Monothelitarum hæreſis confutabatur, ac duas in Chriſto voluntates fuiſſe, ac operationes demonſtrabatur, eadem ſub ſigillo ſervari juſſit Imperator, ut cum authenticis Patriarchalis eccleſiæ Codicibus conferri poſſent; Legati vero Apoſtolicæ Sedis, poſt prolatam a Macario Antiocheno Epiſcopo hæretico tantam teſtimoniorum nubem, hæc ad Imperatorem dixerunt: *Piiſſime Domine adhuc aliquid de una voluntate,*

Jesu Chr. an. 681. Concil. to. 6. pag. 720.

& una operatione non ostenderant Macarius Deo amabilis Archiepiscopus Antiochiæ, & Stephanus ejus discipulus, & Petrus Deo amabilis Episcopus Nicomediæ, & Salamon Deo amabilis Episcopus Clanei in Incarnationis dispensatione Domini nostri Jesu Christi per testimonia ab eis prolata, quin addiderunt. Ipsa testimonia, quæ protulerunt coram vestra pietate, ac sancta Synodo, detruncaverunt, & quæ ad Trinitatis quidem pertinent rationem de una voluntate, pro incarnationis dispensatione Domini nostri Jesu Christi protulerunt, quæ vero conveniunt, & quæ proprie pro ejusmodi incarnationis dispensatione Domini nostri Jesu Christi posita sunt, tam sensum, quam verba detruncaverunt. Unde petimus vestram piissimam fortitudinem, authenticos codices prolatorum ab eis paternorum testimoniorum proferri ex venerabili Patriarchio hujus almæ civitatis, & conferri cum codicibus ab eis oblatis, & demonstramus, quæ ab eis in his facta est celatio &c. Jussu igitur Imperatoris in sequentem conventum dilata est collatio Codicum.

Actio septima.

2. Die itaque sequenti, idest 13. Febr. ut acta testantur, eodem in loco convenientes Episcopi cum Imperatore, & Magistratibus, Paulus synodi, & Imperialis secretarius dixit. *Meminit a Deo vestrum instructum Imperium, quod hesterno die polliciti sunt*. Legati scilicet Apostolicæ Sedis, se testimonia prolaturos, quibus duas in Christo operationes, & voluntates fuisse demonstrarent, ac Macarii, sociorumque Monothelitarum exhibita testimonia probaturos se adulterata, vel hæreticorum fuisse, quare Imperator dixit: *Proferant qui locum adimplent Agathonis sanctissimi Papæ urbis Romanæ memorata ab eis. testimonia*; cumque ea obtulissent, atque ad finem usque relecta fuissent; num alia proferre vellent, ad eos Imperator dixit; at illi: *Licet & plura alia nobis idoneum est proferre testimonia, sed ne fastidium ingeramus a Deo instructis vestris auribus, hæc sufficiunt nobis ad veritatem demonstrandam*, ac ab Imperatore postularunt, ut adstantes Episcopos interrogaret: *Si convenit eis tenor relectarum duarum suggestionum idest Agathonis sanctissimi Papæ Apostolicæ Sedis antiquæ Romæ, & concilii ei subjacentis*. Tunc Georgius urbis regiæ Episcopus, & Macarius Antiochiæ petierunt, ut oblata ab Apostolicæ Sedis legatis testimonia sibi traderentur, ut ea cum Codicibus vene-

nera-

nerabilis Patriarchii conferrent, atque addiderunt: *In subsequenti* (sessione) *competens dabimus responsum*; Imperator vero, ut sine dilatione traderentur, jussit, sicque ad octavam sessionem transierunt.

Sessio octava

3. Septima die mensis Martii, cum iterum convenissent Episcopi, Georgius CP. Episcopus retulit a se cognita loca singula sanctorum Patrum de duabus in Christo voluntatibus & operationibus citata in codice a legatis Apostolicæ Sedis in præcedenti sessione edito, & invenisse ea omnia in omnibus esse illis consentientia, quapropter & se profiteri testatus est cum sanctis Patribus duas in Christo voluntates & operationes: reliqui etiam Episcopi, qui interfuerunt, cum facta collatio fuit, id ipsum singuli professi sunt, & quidem non sine præconio Agathonis Romani Pontificis, ut cum Domitius Episcopus Prusiados ita dixit: *Directæ suggestiones a Patre nostro Agathone sanctissimo Archiepiscopo Apostolicæ & principalis Sedis antiquæ Romæ ad a Deo coronatum & mansuetissimum nostrum Dominum & magnum victorem Imperatorem, tamquam ex Spiritu Sancto dictatas per eos sancti ac beatissimi Principis Apostolorum Petri, & digito ter beatissimi Papæ Agathonis scriptas, suscipio & amplector, & ita credo &c.* Post omnes autem Theodorus Episcopus Melitinæ prætendens rusticitatem in dicenda sententia, libellum obtulit legendum in Synodo, quo continebatur, nihil in fide decernendum, præter id, quod in sanctis œcumenicis Synodis hactenus statutum fuerat, ac proinde tacendum de duabus in Christo voluntatibus; sed satis esse unum operatorem confiteri in duabus naturis. Interrogatus autem ab Imperatore, unde ea didicisset, dixit, se ab hæretico Monothelita socio Macarii Antiocheni Stephano Abbate accepisse. His cognitis, reliqui Episcopi contulere suffragia de duabus voluntatibus, ex Agathonis Pontificis scriptis editis, ita & reliqui omnes, Macario tantum cum suis excepto: Cum autem quæreretur a sancta Synodo de eo, quod dixerat, se a Stephano Abbate ea accepisse, quæ obtulerat pro Monothelitis, exurgentes Macarii discipuli contestati sunt, Theodorum Melitenum Episcopum esse mentitum, paratos autem se esse Catholicam fidem profiteri. Sed jussi sunt, scripto libello, fidem, quam tenerent, sequenti Actione in Synodo edere.

Nomen Vitaliani restitutum in dipticha.

4. Inter hæc autem interlocutus Georgius Constantinopoli-

JESU CHR. AN. 681. politanus Episcopus suggessit Imperatori, ut redderetur nomen Vitaliani Pontificis in diptycha, eo quod ea de causa plures se ab Ecclesia Catholica separassent: eoque restituto sequeretur, ut plurimi Ecclesiæ Catholicæ se conjungerent. Annuit Imperator; cujus rei gratia honorificæ dictæ sunt a sancta synodo acclamationes eidem Constantino Imperatori. Postea percontata est S. Synodus Macarium Antiochenum Episcopum, an consentiret litteris ab Agathone conscriptis; Refragatus est ipse, seque in Christo duas voluntates omnino negare, sed Episcopi Syriæ eidem subjecti, se omnes fidei Catholicæ assentire, publice professi sunt. Post hæc jussa sunt legi loca Patrum a Macario collecta, in quibus falsò affirmabat, unicam in Christo positam fuisse voluntatem, sed inter legendum detectæ sunt veternosi hæretici technæ: sive quia cum de unica voluntate divina Patres dixerunt, attribuerat ipse dictum de Christi persona: sive quod intercisas recitasset sententias, quibus sensus depravaretur auctoris. Sic itaque manifesta luce detectus, jussus est idem Macarius edere fidei professionem, quam quidem contrariam fidei Catholicæ inventam noluit retractare, & cum rogaretur ab Imperatore, ut duas in Christo confiteretur voluntates, in sua sententia obstinatus, respondit: *Non dico duas naturales voluntates, aut duas operationes naturales in incarnationis dispensatione Domini nostri Jesu Christi, nec si membratim incidar, & mittar in mare*. Tanta procacis hominis animi duritie patefacta, Constantinus Imp. jussit cum Synodo, ut libelli de Patrum sententiis a Macario oblati fieret cum aliis codicibus, e Patriarchio sumptis, collatio: sed (ut in aliis accidit) compertæ sunt Macarii sententiæ intercisæ, ea quippe dempserat ab illis, quibus sensus Catholicus auctoris cognosci integre potuisset.

Macarius Antioch. pallio nudatur.

5. Quibus omnibus probe perspectis, hæc sancta Synodus dixit: *Non congruit Orthodoxis ita circumtruncatas sanctorum Patrum voces deflorare; hæreticorum potius proprium hoc est. Macarius venerabilis Archiepiscopus dixit: Etiam dixi, quia quærens stabilire intentionem meam, hoc modo defloravi. Sancta Synodus exclamavit: Hæreticum se ipsum manifeste demonstravit: Novo Dioscoro anathema: Hujusmodi deponatur: Novum Dioscorum foras mitte: Novo Apollinario malos annos: Merito ab Episcopatu alienetur: Nudetur circumposito*

posito ei pallio, & denudato eo, atque in medio adstante una cum Stephano ejus discipulo, Theophanes venerabilis presbyter & Abbas monasterii Bajas (venerat hic cum legatis Apostolicæ sedis) *interrogavit eosdem, Macarium, & Stephanum scilicet: habuit voluntatem humanam Dominus noster &c..* Sed antequam disputatio longius traheretur, visum est Imperatori finem imponere Actioni eidem. — Jesu Chr. an. 681.

6. Convenit ergo iterum synodus octava die Martii, ac reliquis sanctorum Patrum locis a Macario citatis cum aliis exemplaribus collatis, cognitisque dolo malo ab eo detruncatis, corruptisque eorumdem sanctorum Patrum sententiis, in ipsum, atque Stephanum sententia damnationis lata est his verbis: *Sancta Synodus dixit: Tu Stephane, & tuus Magister Macarius non ostendistis unam in incarnationis dispensatione Domini nostri Jesu Christi veri Dei nostri, per codicillum a vobis oblatum: sed & duas voluntates in testimoniis in eodem Concilio positis invenimus aperte, clamante Athanasio laudabili, quamvis detruncata & obcelata sint, juxta quod soliti estis, eadem testimonia, quæ perverse interpretantes protulistis. Definimus igitur, postquam aperte probati estis ad subversionem divinorum dogmatum festinare, & sanctorum ac probabilium Patrum doctrinas corrumpere, & hæreticorum magis sensum assumere, & quæque ab eis dogmatizata sunt sectari ad contagium Orthodoxæ plebis, ab omni vos sacerdotali dignitate & ministerio alienos existere. Eos autem, qui jam pœnitentiam egerunt, & superius nominatos tam Episcopos, quam clericos, & nunc in medio assistunt, & recte una nobiscum confitentur, prævidimus quidem in propriis locis residere: libellos autem, quos promiserunt propriæ eorum fidei cum jurejurando, in subsequenti nobis offerent.* Hac lata sententia, dictæ sunt acclamationes Imperatori, & declamatum a Patribus: *Hæreticum foras mitte: Novo Eutichi malos annos: Novo Apollinari malos annos: Hæreticum foras mitte. Et impulsus est Stephanus discipulus Macarii, & foras missus est*: impositusque est finis ejus diei Collationi, in sequentem vero dilata oblatio libellorum eorum, qui detestati sunt errorem, simulque collatio sententiarum, quæ de duabus voluntatibus in litteris Apostolicæ Sedis citatæ invenirentur. — Sessio nona. Macarius & Stephanus excommunicantur.

7. Decima Actio Synodi, decimaoctava die ejusdem men- — Actio decima.

Jesu Chr. an. 681. mensis Martii habita est, qua primum facta est collatio sententiarum, quæ citata fuerant ex sanctis Patribus in litteris Apostolicæ Sedis, & Romani Concilii sub Agathone, cum codicibus Patriarchii, omniaqueinventa sunt in omnibus esse certa fide constantia & convenientia Græcis codicibus, prorsusque eisdem consentientia. Quibus cognitis, lecta est fidei confessio Petri Episcopi Nicomediæ, qui palinodiam recantarat, eademque inventa est in omnibus Catholicæ fidei consentire; tandem a legato Hierosolymorum Ecclesiæ Theodoro petitum est, ut legeretur Synodalis epistola Sophronii olim ejusdem Ecclesiæ Episcopi ad Sergium tunc Constantinopolitanum Antistitem data, sed ab eo minime suscepta, cujus lectio in sequentem dilata est Actionem.

Actio undecima.

8. Undecima sequitur Actio, eodem in loco a sancta Synodo celebrata, die vigesima mensis Martii; ibique primum omnium edita & lecta est epistola Sophronii Hierosolymorum Episcopi, quæ consentire Catholicis dogmatibus reperta, suggestum est ab Apostolicæ sedis legatis, ut scripta Macarii Antiocheni olim Episcopi, & Stephani ejus discipuli legerentur in Synodo, ut eorum hæresis magis perspecta omnibus fieret. Editi itaque sunt libelli ejusdem Macarii quorum alter hunc habebat titulum. Sermo acclamatorius piissimo & pacifico magno Imperatori Constantino, quem contra morem antea Romæ vulgaverat, & in Sardinia, aliisque in locis, Imperatori vero, cui inscriptus erat, nequaquam obtulerat. Lectus itaque in Synodo liber, inventus est totus confertus blasphemiis, de una voluntate & operatione hæresim firmans & roborans: itemque lectus liber ejusdem ad Lucam presbyterum & monachum in Africa, quem scripserat de nova hæresi Maximianorum, & pariter repertus est hæreticas continere blasphemias; adeo ut iterum a Synodo jussa sit lectio interrumpi, penitusque cessari, eo quod noxia admodum animabus esset ob hæresum portentosos errores, judicatumqne easdem simul jungi cum aliis blasphemiis hæreticorum, qui recensiti erant in litteris Agathonis ab Apostolicæ Sedis legatis in detestationem hæresis Monothelitarum oblatis.

Honorius Papa hæresis falso accusatus.

9. Quod cum fieri jussum esset, collectæ sunt ex recitatis scriptis Macarii blasphemiæ in illis insertæ, & inter alia excerptus locus, quo Honorius hæresis crimine accusabatur, dum

dum eædem Macarii blaſphemiæ recitantur his verbis: *Macarii hæretici de ſermone, qui dicitur acclamatorius ad piiſſimum Imperatorem, cujus eſt initium: Mirum quid, invictiſſime domine: Eos, qui contraria eis aſtruxerunt, ſanctos Patres noſtros condemnaverunt, & anathematizaverunt abſolute omnes, qui unam voluntatem Domini adſtruxerunt, quorum unus extitit Honorius Romanus, qui unam voluntatem manifeſtiſſime prædicavit.* Quod ſane falſiſſimum erat, nam ut ſupra ſæpius adnotavimus, numquam Honorius Papa unam in Chriſto voluntatem, aut operationem dixit, cum potius a Sergio de ea tunc mota quæſtione interrogatus, nihil de ea definiendum, ac ſilentio potius obruendam cenſuerit. Unde oſcitantiæ ac negligentiæ tantum accuſari ac redargui poterat, eaque de cauſa, uti hujus ſynodi acta exhibent, damnatus eſt, numquam vero hæreſis crimine inſimulari potuit. Unde in hac etiam ſynodo veriſſime ab Agathone Papa dictum eſt, in litteris ad ſynodum datis, ac ſeſſione quarta lectis, Romanam eccleſiam, aut ſuorum prædeceſſorum aliquem à recta, & catholica fide numquam defeciſſe, quæ ſane qua fronte dixiſſet Agatho, ſi Honorius Agathoni tam proximus catholicam fidem prodidiſſet, aut ab ea defeciſſet, ſed ad ſynodi acta redimus.

Jasu Chr. an. 681.

10. Duodecima itaque ſeſſio, die 22. Martii celebrata eſt, non vero 20., ut acta habent, qua die undecima actio, ut vidimus. celebrata fuit, huic autem ſeſſioni, & ſequentibus uſque ad 18. Imperator Conſtantinus Imperii negotiis intententus, præſens non adfuit, ac pro ſe in ſynodo reſidere voluit Conſtantium, & Anaſtaſium Patricios, nec non Polyeuctum, & Petrum exconſules, ad ſynodum itaque die 22. Martii congregatam chartas Imperator miſit, quas ſe a Macario accepiſſe in ſuperiori actione teſtatus fuerat, quarum aliquæ cum inventæ eſſent nihil præter ea continere, quam ſermonem illum acclamatorium, qui lectus antea fuerat, ejus eſt lectio prætermiſſa. Quod vero inter alias chartas ab Imperatore miſſas, inventa eſt epiſtola Sergii olim Conſtantinopolitani Epiſcopi ad Cyrum Epiſcopum Alexandrinum, ea in Synodo lecta eſt: ſed quæ ſimul in ea intexta erant Mennæ, & Vigilii Papæ nomine ſcripta de unica voluntate, commenticia eſſe, in ſuperioribus Synodalibus Actis fuerant judicata. Poſt hæc in eadem Actione ex altero codice a Joanne Patricio, nomi-

Seſſio duodecima.

JESU CHR. AN. 681. nomine Imperatoris oblato lecta est Sergii Episcopi Constantinopolitani ad Honorium Romanum Pontificem epistola, necnon alia ipsius Honorii ad eumdem Sergium reddita, quas nos suo loco superius, eodem quo sunt anno scriptæ, retulimus, atque exacte discussimus. Quibus collatis cum codicibus Patriarchii, inventisque simul consentientibus, in Macarium rursum acclamatum est a sancta Synodo, utpote indignum, qui amplius adesset cum Orthodoxis in Synodo Episcopis. Tunc Syriæ Episcopi, & clerici reliqui postularunt, ut in locum ejus alius subrogaretur Antiochenus Episcopus Orthodoxus. Quæ omnia in sequentem relata sunt Actionem.

Sessio decimatertia. 11. Die autem 28. ejusdem mensis martii, cum iterum in unum omnes convenissent, adversus Monothelitas hæreticos excommunicationis sententiam Episcopi tulerunt, his verbis conceptam. *Secundum promissionem, quæ a nobis ad vestram gloriam,* (idest ad adstantes judices) *facta est, retractantes dogmaticas epistolas, quæ a Sergio quondam Patriarcha hujus a Deo conservandæ regiæ urbis scriptæ sunt tam ad Cyrum, qui tunc fuerat Episcopus Phasidis, quam ad Honorium quondam Papam antiquæ Romæ: similiter autem & epistolam ab illo, idest Honorio, rescriptam ad eumdem Sergium: hasque invenientes omnino existere ab Apostolicis dogmatibus, & a definitionibus sanctorum Conciliorum, & cunctorum probabilium Patrum, sequi vero falsas doctrinas hæreticorum, eas omnino abjicimus, & tamquam animæ noxias execramur. Quorum autem* (*idest eorumdem*) *impia execramur dogmata, horum & nomina a sancta Dei Ecclesia projici judicavimus, idest, Sergii quondam Præsulis hujus a Deo conservandæ regiæ urbis, qui aggressus est de hujusmodi impio dogmate conscribere, Cyri Alexandriæ, Pyrrhi, Petri & Pauli, & qui ipsi præsulatu functi sunt in Sede hujus a Deo conservandæ civitatis, & similia eis senserunt, ad hæc & Theodori quondam Episcopi Pharan: quarum omnium suprascriptarum personarum mentionem fecit Agatho sanctissimus ac ter beatissimus Papa antiquæ Romæ in suggestione, quam fecit ad piissimum & a Deo confirmatum dominum nostrum, & magnum Imperatorem, eosque abjicit, utpote contraria recte fidei sentientes, quos anathemati submitti definimus. Cum his vero simul projici a sancta Dei Catholica Ecclesia, simulque anathematizari prævidimus & Honorium, qui fuerat Papa anti-*

antiquæ Romæ, eo quod invenimus per ſcripta, quæ ab eo facta ſunt ad Sergium, quia in omnibus ejus mentem ſequutus eſt, & impia dogmata confirmavit. Hactenus ſententia a ſynodo adverſus hæreticos lata; Sophronii deinde Hieroſolymorum olim Epiſcopi fidem patres commendarunt, ac ut in dypticis nomen ejus ab Monothelitis abraſum, reponeretur, juſſerunt; cumque Epiſcopi, & clerici, qui Antiocheno Patriarchatui ſuberant poſtulaſſent, ut in locum Macarii hæretici, quem ſynodus excommunicaverat, alter ab ipſa ſynodo in ejus locum ordinaretur Epiſcopus, res ad Imperatorem delata, id fieri juſſit Imperator. Quare ad ſynodum retulerunt judices, *decretum ſecundum ſolitum conſequentiam fieri a reverendiſſimis Epiſcopis, & clericis ſupraſcriptæ ſedis, & hoc offerri ejus manſuetiſſimæ fortitudini*; & in hac ſeſſione, Theophanem in Macarii locum Antiochenum Epiſcopum ordinatum fuiſſe, ex ſequenti actione conſtat, in cujus initio cum ceteris Epiſcopis Theophanem adfuiſſe acta referunt. Interea juſſum eſt ut reliquarum epiſtolarum, aliorumque ſcriptorum lectio fieret, eorum ſcilicet hæreticorum, quos ſynodus condemnaverat. Sic igitur lecta eſt primum epiſtola Cyri Alex. Epiſcopi ad Sergium Epiſcopum Conſtantinopolitanum, indeque alia ſcripta ejuſdem, & inter alia novem capitula, quibus latenter hæreſim promulgaverat: lectus eſt etiam liber dogmaticus Pyrrhi Epiſcopi Conſtantinopolitani, nec non Pauli ejuſdem Sedis Epiſcopi, ſicuti & Petri ejuſdem civitatis Antiſtitis item hæretici, necnon Thomæ, Joannis, & Conſtantini ejuſdem Eccleſiæ Epiſcoporum, ex quibus tres hi noviſſimi probati dicuntur orthodoxi. Deinde Honorii Papæ poſterior ad Sergium Patriarcham epiſtola recitata eſt, quæ ſola Honorium Papam ab hæreſis labe vindicare quodammodo poterat, uti ſuo loco ſupra, dum de ea actum eſt, adnotavimus; quæ ſane in mentem revocare lector debet, dum Honorium in hac ſextæ ſynodi ſeſſione 13. cum ceteris hæreticis Pyrro Paulo Cyro Sergio &c. condemnatum fuiſſe dicimus.

Jesu Chr. an. 681.

12. Ceterum graviori eum cenſura, quam mereretur, notatum fuiſſe vix dubitamus, cum tanta ejuſdem culpa, ob indictum ea de quæſtione ſilentium, non fuerit, ut perpetuo anathemati ſubjici mereretur. nullibique appareat, quod tamen confidenter aſſerunt, hujus ſynodi Patres, eum

Qua ratione excuſetur Honorius Papa.

JESU CHR. AN. 681. Sergii hæretici mentem in omnibus secutum fuisse, ac impia dogmata confirmasse, quod sine invidia tanti confessus, & coronæ Episcoporum, dictum sit. Nam ut in hanc rem adnotat Annalium Parens: *In iis, quæ ad fidem spectant, plane religio sit, vel latum unguem ab iis, quæ in sancta synodo sunt statuta, recedere; at in iis, quæ ad personas pertinent, & scripta ipsorum, non ita rigida reperitur custodita censura*, quod etiam synodi quintæ exemplo confirmat, ac tandem admonet. *In his, quæ facti sunt, unumquemque contingere posse falli nemini dubium est, & tunc illud Pauli ad Corinthios usurpari posfit. Non enim possumus aliquid contra veritatem, sed pro veritate*. Hæc de his Baronius, cujus sententiæ, in quæstionibus scilicet, quæ circa auctorum scripta agitantur, vel ipsa Oecumenica concilia falli posse Theologorum principes subscribunt, Bellarminus, Melchior Canus, aliique innumeri. Atque hæc sunt, ni mea me fallit opinio, quæ verosimilius pro Honorii Papæ excusatione afferri possunt, quin acta concilii sexti a Theodoro CP. Episcopo corrupta fuisse dicamus, quasi ipse inter hæreticos a synodo damnatos Honorii nomen furtim, & injuria intruserit, ut totis viribus probare conatur Baronius, quæ sane vix verosimilia sunt, ut demonstrant Combefisius in historia Monothelitarum differt. Apologetica pro actis sextæ synodi, Lupus differt. de sexta synodo ad actionem 18. Natalis Alex. differt. 2. seculi 7., Garnerius in appendice ad notas capitis secundi libri Diurni Rom. Pontificum. Qui fieri enim poterat, ut Theodorus non solum acta, quæ in archiviis Constantinopolitanæ ecclesiæ servabantur corrumpere potuisset, sed etiam ea, quæ Legati aliarum ecclesiarum secum ad sua redeuntes detulerant, & præcipue acta legatis Romanæ Sedis tradita, ac Romam delata. Quod etsi factum fuisse fingamus; quomodo Agatho Papa adversus infandum facinus, & suæ sedi injuriosum, ab legatis suis de impostura admonitus, conticere potuit, aut apud Imperatorem conquestus non est. Quomodo Leo secundus, Joannes quintus, Adrianus Papa primus, dum Honorium anathemate a sexta synodo percussum narrant, actorum corruptionem non sunt subodorati, vel saltem eadem acta in suspicionem non vocarunt, ita ut Leo etiam secundus eadem ex Græco in latinum transtulerit, Hispanisque pariter, ac Gallis Episcopis recipienda mise-

ad Corinth. 2. 13.

miserit, atque de hac quæstione hæc satis sint, qui plura cupit Pagii notas ad hunc annum adeat, vel supracitatos auctores: ad acta concilii redeundum est, & ad sessionem decimamquartam. Jesu Chr. An. 681.

13. Itaque die quinta mensis Aprilis, cum in Trullo synodus convenisset, Mennæ, & Vigilii Papæ scripta de unica in Christo voluntate lecta sunt, atque eadem supposititia esse probatum est, ac anathemati tradita. Post hæc Cypri Episcopi tomum S. Athanasii legendum obtulerunt, quo duas in Christo voluntates, & operationes fuisse probare conati sunt, eoque lecto & probato huic sessioni finis impositus est. Quare cum die 26. ejusdem mensis Aprilis Episcopi, & Magistratus convenissent, actio decimaquinta celebrata est, in qua Polychronii cujusdam Presbyteri & Monachi Monothelitæ causa pertractata est ex suggestione Donati Episcopi Plusiados, eo quod homo insanus suis stultiloquiis, atque falsis dæmonum illusionibus deceptus magnam ignari populi multitudinem per erroris devia traduxisset, dum ad corroborandam perfidiam, quam prædicaret, se divinitus per Angelos admonitum diceret, polliceretur que se eo nomine miracula editurum. Describemus hic inter seria ludum, quem vanus homo velut in scena non in Synodo tantum coram Patribus, sed universa spectante civitate, hac ipsa die exibuit: sic enim ista se habent: *Cum advenissent Patres, nunciatum est pro foribus ad stare Polychronium expectantem audiri. Jussus ingredi, & quid de fide sentiret rogatus a Judicibus cognitoribus, ita respondit: Ego expositionem fidei meæ do in opere mortui, rogans pro eo Filium Dei, ut suscitet eum. Sin autem non resurrexerit, ecce Concilium, & Imperator, quæ eis placuerint, in me faciant. Sanctum Concilium dixit: Qualem expositionem fidei vis supra mortuum ponere, ut resurgat, agnoscere volumus. Polychronius religiosus presbyter & monachus dixit: Ego pono expositionem meam supra mortuum, & tunc eam relegetis. Sanctum Concilium dixit: Ecce mortuus præparatus est. Expositionem ergo fidei tuæ profer, quæ debeat superponi mortuo, ut suscitet eum, sicut dixisti:* Actio 14. & 15.

14. *Et protulit idem religiosus Polychronius chartulam bullatam, bulla exprimente monogramnum Polychronii confessoris, quæ habebat hanc superscriptionem: Constantino a Deo coro-* Cartula Polychronii.

JESU CHR. AN. 681. *coronato & sapientissimo magno Principi Polychronius. Et dixit: In hoc est fides mea, & ita mihi ostendit Deus, ut ponam eam super mortuum: & si non surrexerit, ut prædixi, ecce, qui Imperator est, & Concilium, & quomodo jusserint, judicent. Sanctum Concilium dixit: Chartula, quæ prolata est a Polychronio religioso monacho, disbulletur ac relegatur. Et disbullata est hujusmodi chartula, quam accipiens Antiochus religiosus lector & notarius sanctissimi Patriarchæ Constantinopoleos, relegit prædictam chartulam habentem his verbis ita. Constantino a Deo coronato ac mansuetissimo magno Principi. Ego Polychronius tamquam præsens saluto & adoro. Et quia vidi multitudinem virorum & candidatorum, & in medio virum, cujus virtutem narrare non valeo, dicentem mihi: Quia novam fidem componis, festina, & dic Imperatori Constantino: Non facias novam fidem, neque aquiescas. Et veniente me ab Haracleo Chrysopolim, & stante me in solario (hora erat quasi septima diei) vidi virum terribilem, candidatum valde, & stetit coram me, dicens: Quia qui non confitetur unam voluntatem, & Deivirilem operationem, non est Christianus. Ego autem dixi: Hoc & Constantinus sapientissimus Imperator prefinivit unam voluntatem & deivirilem operationem. Ille autem dixit: Multum bene, & Deo placite.* His lectis, interloquutum est Concilium verbis istis:

Concedit Synodus periculum fieri.

15. *Edicat Polychronius religiosus Monachus, si litteræ, quæ in præsenti continentur chartula, propriæ ejus manus existunt, & si ipsa est chartula, quæ debeat super mortuum poni, & resuscitare eum. Polychronius religiosus monachus dixit: Ita est, domini: propriæ meæ manus existunt, & ista est chartula, quæ debeat a me superponi mortuo, eumque resuscitare. Gloriosissimi Judices, & sanctum Concilium dixerunt: Prævidimus, ut chartula, quæ relecta est, super mortuum poni debeat ab eodem Polychronio juxta propositionem, quæ ab eo facta est, extra hoc sacrum palatium, in loco publico, in præsentia nostra, & plebis, quæque inventa fuerit, ad satisfactionem Christo amabilis populi, qualiter Deus veritatem demonstret.*

Spectaculum de resuscitando mortuo editur.

16. *Et egredientibus tunc gloriosissimis Judicibus, & sancto Concilio, & plurimo populo congregato in atrio publici lavacri, quod dicitur Zeuxippus, appositus est ei in argenteo*

teo exequiali feretro mortuus; similiter coram gloriosissimis Judicibus, & iis, qui erant ex sancto Concilio, & plurimo Christo amabili populo ibidem invento, superassistens idem Polichronius, posuit supra ipsum mortuum ejusmodi fidei suæ chartulam: perque plures horas perseverans, & insusurrans ei, nihil horum, quæ ab eo stolide ac blasphemè promissa fuerant, valens peragere, idem Polychronius dixit, nullatenus se posse mortuum suscitare. Populus itaque, qui ibidem aderat, exclamavit, dicens: Novo Simoni anathema: Polychronio seductori populi anathema. Et iterum ingredientes & gloriosissimi Judices, & sanctum ac universale Concilium in secretario sacri palatii, quod appellatur Trullus, præsente eodem religioso presbytero & monacho, dixerunt: Edicat iterum Polychronius monachus, si confitetur duas naturales voluntates, & duas naturales operationes in incarnationis dispensatione Domini nostri Jesu Christi veri nostri, qui unus est de sancta Trinitate. Polychronius religiosus monachus dixit: Sicut continet chartula, quam obtuli, & posui supra mortuum, ita credo unam voluntatem, & Dei-virilem operationem, & alterum, quod non dico. Gloriosissimi Judices & sanctum Concilium dixerunt: Chartam quam obtuli, quis scripsit; Polychronius dixit: Propria mea manus existit. Sanctum concilium dixit:

Sententia in Polychronium.

17. *Postquam Polychronius monachus in proprio errore usque in senium perseveravit; nunc autem etiam a nobis commonitus, quomodo sentiat de humanatione domini nostri Jesu Christi veri Dei nostri, conatus est tentare Spiritum sanctum, & blasphemam componens chartulam, obstinanter affatus est ponere eam super mortuum, & ad firmitatem blasphemiæ, quæ in ea fuerat scripta (ut non dicamus fidei) hujusmodi mortuum resurrecturum: nos, juxta quod dictum est a sancto Paulo Apostolo anathemati jam hunc secundum animam* (in interitum carnis scilicet) *submisimus: sed ad satisfactionem Christo amabilium populorum, quorum plurimos præteritis temporibus tam ipse, quam ejus consentanei deceperant, permisimus talem ejus præsumptionem, dæmoniacamque ac temerariam propositionem publice fieri, & mortuum, quem quæsierat, in medium deduci in præsentia nostra, & gloriosissimorum Judicum, & multitudinis Christo amabilis populi. Ille proposuit tale ejus impium scriptum superponens, & plurimam horam, quantum ipse voluit, superassistens eidem mortuo, & supersus-*

sur-

JESU CHR. AN. 681. *surrans intra semetipsum quæque putavit, donec dixit, non se posse facere. Quomodo namque esset possibile, blasphemantem in Deum virtutes operari? Unde prævidimus, hunc tamquam seductorem populi & deceptorem, & manifestum hæreticum, omni sacerdotali ordine & officio denudari. Et deposito eo, sanctum Concilium exclamavit: Polychronio hæretico, & consentaneis ejus anathema: Macario, & Stephano similibus Polychronio anathema: Trinitas istos tres deposuit*: Hactenus spectaculum de Polychronio.

Quæ utilitas ex repræsentato spectaculo.

18. In quo quidem, sicut evenire solet, ut in iis, quæ exhibentur populo, compositis jocis plurima contineantur seria, ipsique populo maxime utilia: Ita plane accidit in Polychronii facto. Etenim evenit secundum illud Davidicum: *Mentita est iniquitas sibi*, siquidem etsi permisit Deus deludi hominem inanibus phantasmatibus, falsis stultisque visionibus ac revelationibns; ubi tamen causa fidei in examen venit, haud sivit divina sapientia præstigiis decipi homines experimentoque probatum est, quod Apostolus Galatis ingerit: *Etsi Angelus de cœlo annunciaverit vobis præter id, quod annunciatum est, anathema sit*. Ceterum eam, indignam licet, sancta Synodus coacta est conditionem subire, ne fidei sacramentum, levissimi hominis petulantia, in discrimen adduceretur, ex eo, quod nefandus impostor falsorum miraculorum promissione populum decepisset, & secum in errorem pariter induxisset, quo casu scimus Eliam Prophetam ejusmodi de miraculis non oblatam subiisse, sed obtulisse conditionem Baal Prophetis, ne videlicet populus Dei, persuasionibus ipsorum deceptus, contineretur in impietatis errore. Illud præterea de iis, quæ accidisse Polychronio dicta sunt, consideratione dignum esse videtur; simul ac quis aversione contentiosa (ut Propheta ait) a Deo recedit, eumdem mox tradi nequissimis spiritibus illudendum, secundum illud, quod adversus apostatam Achab a Domino dictum scimus: *Quis decipiet Achab Regem Israel?*

Actio 16.

19. Quæ sequitur actio 16. die nona Augusti celebrata est, in qua procax hæreticus Monothelita, licentia accepta dicendi, hæc præfatus est, *Constantinus dicor, Presbyter sum sanctissimæ Dei Apamaensis ecclesiæ secundæ Syrorum provinciæ, ordinatus ab Abrahamio Episcopo Arethusio. Veni ad Sanctum Dei nutu congregatum vestrum concilium, ut in-*

instruam vos, quia si auditus essem, hoc anno non habuissemus perpeti hoc quod passi sumus in prælio, ita plane homo arrogans, ac docendam synodum se advenisse testatus, ac modum se invenisse, ac temperamentum addidit, quo catholici cum Monothelitis convenire possent, ut scilicet, duæ in Christo dicerentur operationes, at unica tantum voluntas, Interrogatus autem a synodo, qua ratione id dici posset, respondit, humanam voluntatem deseruisse Christum cum carne & sanguine dum Cruci affixus est, sed explosa atque damnata fuit hæc assertio utpote Manichæorum propria, eodemque tempore temerarius Presbyter eandem anathematis sententiam subiit, ac foras ejectus est. Hisque peractis secutæ sunt ex more acclamationes Imperatori, Agathoni Papæ, & universo concilio, dictumque anathema singulis nominatis hæreticis, iisque gestis sessio hæc finem habuit.

Constantini in fratres suos soevitia

20. Cur autem hæc sessio tamdiu dilata fuerit, ex die scilicet 26. Aprilis, qua prædecens celebrata fuerat, ad diem nonam Augusti, qua 16. habita est, hanc ut plurimum rationem afferunt eruditi, quod scilicet domesticis dissidiis aula exarserit: Imperii etenim sui initio Constantinus fratres suos Tiberium, & Heraclium Imperii consortes fecerat, ut acta publica testantur, ita tamen Augustea eos exornaverat dignitate, ut solo nomine & dignitate contenti, nullam in Imperii administratione partem haberent, quod cum temporis tractu iidem, eorumque amici ægre ferrent, accidit ut quadam die, teste Theophanes, ut milites in Circo exclamarent. *In Trinitatem credimus. Imperatores tres coronemus.* Quare Constantinus his vocibus exasperatus, quasi coronam Imperii ei abstulissent, ira dissimulata. *Primores eorum, &* clamoris auctores in urbem transire jussit, *ut postulatis eorum fieret satis Senatus-consultum expetere persuasos*; at eos *trans portam in Sicæna regione patibulis affixos, sceleris pœnam ferre Imperator decrevit*. Neque hic Imperatoris vindicta stetit, sed etiam fratres suos Tiberium, & Heraclium Augustea dignitate spoliatos: *Naribus mutilari edixit*, ac paulopost, ut ait idem auctor. *Hoc anno Constantinus fratres suos Heraclium, & Tiberium, ab Imperii dignitate removit, solusque cum Justiniano Filio Imperavit*. Hinc factum, ut eorum nomina in ultima etiam synodi actione non legantur, solusque etiam synodo subscripsit, seu potius consensit, his ver-

Tiberius & Heraclius naribus mutilati, Augustea dignitate privantur.

Jesu Chr. an. 680. verbis. *Constantinus in Christo Deo Rex ac Imperator Romanorum legimus, & consensimus*, solus quoque litteris post synodum datis subscripsit. Unde patet domesticam dissensionem, ac fratrum exauctorationem, & narium mutilationem hoc anno contigisse.

Sessio 17. & 18. 21. Ad synodum nunc redimus, ac die undecima Septemb. cum jam indictio decima in cursu esset, in unum congregati Patres fidei confessionem obtulerunt, qua Nicænum, CPolitanum, Ephesinum, Chalcedonense, & Quintum universalia concilia confirmata sunt, eorumdemque symbola inserta, ac demum apposita est Monothelitarum hæreticorum damnatio, prout in sua epistola Agatho Papa jusserat, atque synodus ab eo Romæ coacta, quam fidei professionem in sessione sequenti & ultima lectam fuisse acta exhibent, qua inter cetera, Agathonis Papæ, & synodi Romanæ sententiam sequi synodus his verbis testata est. *Præsens sancta & universalis synodus fideliter suscipiens, & expansis manibus amplectens tum suggestionem, quæ a sanctissimo atque beatissimo Agathone Papa antiquæ Romæ facta est ad Constantinum piissimum atque fidelissimum nostrum Imperatorem, quæ nominatim abjecit eos, qui docuerunt, vel prædicaverunt, sicut superius dictum est, unam voluntatem, & unam operationem in incarnationis dispensatione D. N. J. Christi veri Dei nostri, eamdemque amplexa est & alteram synodalem suggestionem, quæ missa est a sacro concilio, quod sub eodem sanctissimo Papa centumvigintiquinque Deo amabilium Episcoporum &c.* qui Romæ scilicet ad synodum anno 679. convenerant. Sicque suam ut decebat, erga Romanam sedem, Romanumqne Pontificem Agathonem reverentiam & obedientiam testati sunt.

Episcoporum acclamationes, & subscriptiones. 22. Cum itaque ultimam synodi actionem celebraturi adessent Episcopi die 16. mensis Septembris, unaque cum iis Imperator Constantinus, qui post undecimam actionem a synodo abfuerat, iterum præsentiam suam commodasset, cum fidei professio in proxima sessione oblata, lecta & approbata fuisset, eidem Episcopi omnes subscripserunt, ac primo Theodorus, & Georgius Presbyteri, & Joannes Diaconus Romanæ sedis legati, & Agathonis Papæ vices gerentes, deinde Georgius CP. Episcopus, postea Presbyteri legati ecclesiæ Alexandrinæ, Antiochenæ, & Hierosolymitanæ, ac tandem ceteri

ceteri Episcopi numero circiter 170. His secutæ sunt Episcoporum de sectanda catholica fide obtestationes, & iterata in hæreticos Monothelitas anathemata, ac ad Imperatorem faustæ acclamationes his verbis. *Multos annos Imperatori. Integritates duarum naturarum Christi Dei nostri tu declarasti, luminarium pacis Domine conserva: Marciano novo, Constantino æterna memoria, novo Justiniano, Constantino æterna memoria, omnes hæreticos tu fugasti &c.*. His respondit Imperator se catholicæ fidei zelo incitatum eos congregasse, ac sine favore & invidia synodi actis interfuisse, iisque libenter se scripsisse testatus est, cumque sermo acclamatorius ad ipsum Imperatorem directus, petita venia in synodo coram Imperatore lectus fuisset, inter cetera, synodus iterum testata est, se in fidei definitione, Agathonis epistolam, & synodales Romanæ synodi litteras secutam esse. *Proinde inspiratione sancti Spiritus conspirantes, & ad invicem omnes consonantes, atque consentientes, & Agathonis sanctissimi Patris nostri & summi Papæ dogmaticis litteris ad vestram fortitudinem missis consentientes &c.*. Rursumque inferius de eodem Agathone ita magnifice: *Summus autem nobiscum concertabat Apostolorum Princeps, illius enim imitatorem & Sedis successorem habuimus fautorem, & divini sacramenti mysterium illustrantem per litteras, confessionem tibi a Deo inscriptam illa Romana antiqua civitas obtulit, & dogmatum diem a vespertinis partibus extulit; charta & atramentum videbatur, sed per Agathonem Petrus loquebatur*. Cumque Episcopus quidam Sardiniæ nomine Cironatus, a synodo hactenus exclusus remansisset, quasi contra Imperium attentasset, at innocentem se esse comprobasset, ut is quoque synodo subscriberet, pro eo Imperator intercessit, quod & factum est, deinde synodalibus actis Imperator ipse subscripsit, ac synodi acta quinque Patriarchalibus sedibus transmitti, ac Legatis tradi præcepit.

Synodalis epist. ad Agathonem Papam. Rom. Pontifex

23. Antequam vero solveretur synodus, per honorificam ad Agathonem Pontificem epistolam Patres dederunt, cui quinquaginta circiter subscripti sunt, cujus hæc est inscriptio. *Sanctum & universale concilium, quod per Dei gratiam, & piam sanctionem piissimi, ac fidelissimi magni Imp. Constantini congregatum est in hac a Deo conservanda & regia*

JESU CHR. AN. 681. *gia CPoli novæ Romæ in secreto sacri Palatii dicto Trullo, Sanctissimo ac Beatissimo Papæ senioris Romæ Agathoni in Domino salutem. Maximi morbi, majoribus indigent auxiliis, ut scitis, beatissime; atque idcirco Christus verus Deus noster, virtus vere rerum omnium conditrix & gubernatrix, sapientem dedit medicum, vestram a Deo honoratam sanctitatem, contagia hereticæ luis fortiter propulsantem remediis, Orthodoxiæ, ac valetudinis robur membris Ecclesiæ largientem. Itaque tibi ut primæ sedis Antistiti universalis Ecclesiæ largientem, quid gerendum sit, permittimus, stanti supra firmam fidei petram, acquiescentes veræ confessionis litteris, a vestra paterna beatitudine ad piissimum Imperatorem missis, quas ut a summo Apostolorum vertice divinitus scriptas agnoscimus: per quas exortem nuper multiplicis erroris hæreticam sectam depulimus, Constantino nobis ad decertandum hortatore, qui divine imperat, sceptraque clementissime regit, quo adjutore, impietatis errorem evertimus, hæreticorum nefariam doctrinam quasi obsidione adorti. Inde fundamenta execrandæ eorum hæreseos prorsus convellentes, eosque armis spiritualibus, paternisque aggredientes, & linguas eorum, ne inter se accommodate loquerentur, confundentes, extructam ab iis impiissimæ hæresis turrim subruimus, ac ipsos, ut lapsos circa fidem ac peccatores extra castra atriorum Dei (ut Davidice loquamur) anathematibus interfecimus ex sententia per sacras vestras litteras de eis lata, videlicet Theodorum Episcopum Pharan; Sergium, Honorium, Cyrum, Paulum, Pirrum, Petrum. Ad hos autem & post eos anathematibus hæreticorum juste subjecimus, & eos, qui vivunt suscepta illorum impietate, vel (ut apertius dicatur) Apollinarii, & Severi, & Themistii exosorum Deo: Macarium, qui fuit Antiochensium magnæ urbis Episcopus, quem & pastoritia pelle merito ipsius denudavimus propter impœnitentiam ejus circa Orthodoxam fidem, & obstinatam pervicaciam: & Stephanum ejus ad amentiam discipulum, & ad impietatem doctorem: item Polychronium, qui in dogmatibus hæreticis nomini suo respondens, inveteravit, & fuit πολυχρόνιος: eos demum, qui similia, atque hi impœnitenter docuerunt, aut docent, aut sentiunt. Hactenus igitur mœror nobis & tristitia & multæ lachrymæ fuere: non enim adjutavimus proximorum ruinas, aut eos præcipitantes impu-*

impulimus, nec effrenato eorum furore læti exultavimus, nec idcirco sumus elati, ut eam ob rem gravius caderemus. Non sic in his, o venerabile & sacrum caput, edocti sumus, qui universitatis Dominum Christum humanum ac summe bonum & benignum habemus, qui & hortatur nos, ut, sicut bonos decet, sacerdotalium ipsius legum simus imitatores, formamque obtineamus pastoralis ejus & conciliatricis gubernationis. Sed & ad pœnitentiæ conversionem tum serenissimus Imperator, tum nos eos varie adhortati sumus, omniaque gessimus religione & diligentia singulari, non commoti gratia, non odio, quemadmodum ex iis cognoscere potestis, quæ in unoquoque negotio sunt pertractata, & relata in commentarios, & in præsentia ad vestram beatitudinem mittuntur, ac intelligetis a Vicariis sanctitatis vestræ Theodoro, ac Georgio dilectis Deo Presbyteris, & Joanne religiosissimo Diacono, & Constantino venerabili hypodiacone, vestris spiritualibus filiis, nostrisque dilectis fratribus; tum ab iis, qui a sancta vestra Synodo missi sunt, sanctis Episcopis, qui recte ac probe ex vestra disciplina in primo fidei capitulo una nobiscum decertarunt &c. Ac hactenus a se in synodo gesta paucis exponunt, ac *duas naturales operationes indivise, inconvertibiliter, inconfuse, impartibiliter* in Christo confitendas esse testantur, atque ut iis quoque subscriberet, his verbis excitant. *Orthodoxæ autem fidei splendidam lucem vobiscum clare prædicavimus, quam etiam, ut per honorabilia vestra rescripta confirmetis, vestram oramus paternam sanctitatem &c.*, ac tandem *Universam, quæ cum vestra est beatitudine in Christo fraternitatem, nos, & qui nobiscum sunt plurimum salutamus.*

Jesu Chr. an 681.

Constantini Imp. epist. ad Episcopos qui in Romana synodo convenerant

24. Synodali epistolæ alteram ab ipso Imp. Constantino ad Episcopos, qui in Romana synodo convenerant, addimus datam decimo Kal. Januarii indictionis decimæ, cujus hæc est inscriptio. *Omnibus ubique sanctissimis conciliis spectantibus ad synodum Apostolicæ sedis.* Eaque eorum in tuenda catholica fide, una cum Romano Pontifice studium commendat. Ac inter cetera hæc habet: *Interfuistis namque & vos cum universali Principe pastorum, simul cum ipso divinitus loquentes, tum in spiritu quam littera. Suscepimus enim non tantum ex beatitudine ejus,* (idest Agathonis Papæ) *verum etiam a sanctitudine vestra directas nobis litteras,*

 quæ

Jesu Chr. an. 681. *quæ prolatæ lectæ ſunt, & veritatis verum ſtylum declaraverunt, orthodoxamque fidem depinxerunt*, & paulopoſt, *tamquam ipſius divini Petri vocem, Agathonis relationem ſupermirati ſumus; nemo enim diſcrepavit, niſi unus &c.*, ideſt unus ex Patriarchis Orientis, Agathonis, & Occidentalium Epiſcoporum ſententiæ, & definitioni reſtitit, Macarius ſcilicet Antiochenus Epiſcopus, cujus in hæreſi tuenda obſtinationem exponit, & deteſtatur; quem ideo cum aſſeclis ejus, *Communi ſententia de ſacerdotali dignitate repulſi ſunt, & probationi ſanctiſſimi Papæ traditi ſunt*.

Damnati Epiſcopi ad Rom. Ponticem appellant.

25. Cur autem damnati in Oecumenica ſynodo Epiſcopi Romam miſſi ſint, cum nulla in dicta epiſtola afferatur cauſa, ex alia Imperatoris epiſtola ad Leonem Papam Agathonis ſucceſſorem anno proximo ſcripta ſcimus, nempe quod ipſi damnati Epiſcopi id petierint, appellantes Romanum Pontificem, a quo audiri petierant: Anaſtaſius tamen eoſdem in exilium Romam miſſos fuiſſe his verbis innuit: *Macarius vero cum ſuis amatoribus, ideſt, Stephano, Anaſtaſio expresbytero, Leontio exdiacono, Polychronio, Epiphanio, & Anaſtaſio alio expresbyteris & incluſis, in exilio in Romanam directi ſunt civitatem*. Hæc de his ipſe. Cæterum appellationem præceſſiſſe, litteræ ejuſdem Conſtantini Imper. ad Leonem docent his verbis, dum agit de Macario, & aliis damnatis hæreticis. *Ipſi autem ſcriptis precibus ſerenitatem noſtram communiter omnes deprecati ſunt, ut ſe ad veſtram beatitudinem mitteremus. Sic igitur fecimus, eoſque ad vos miſimus, veſtro paterno judicio omnem ipſorum cauſam permittentes*. Hæc Imperator; quibus cum judicio Romani Pontificis omnes ipſorum cauſam remittere ſe teſtetur, pendere adhuc eorum judicium ob appellationem interpoſitam oſtendit; alioquin in Oeſenam ſolitudinem potius, uti Neſtorio contigerat, hi deportandi fuiſſent, non autem Romam mittendi.

Hæreticorum nomina e dypticis abraſa.

26. Recenſitis jam ſynodi ſextæ actis, expoſitiſque ſeſſionibus; nonnulla ex Anaſtaſio addimus, qui eadem acta in ſex actiones diſtinxit, ac poſt condemnationem Macarii, & ſociorum ejus, hæc addit. *Deinde abſtulerunt de dypticis eccleſiarum nomina Patriarcharum, vel de picturis eccleſiæ figuras eorum, aut in foribus, ubi eſſe poterant auferentes, ideſt Cyri, Sergii, Pauli, Pyrri, Pe-*

Petri, per quos error orthodoxæ fidei usque nunc pullulavit, De honore autem legatis Apostolicæ sedis exhibito, hæc etiam addit. *Tanta autem gratia divina Omnipotentis concessa est missis sedis Apostolicæ, ut ad lætitiam populi, vel sancti concilii, qui in regia urbe erant, Joannes Episcopus Portuensis, Dominica die octavarum Paschæ in ecclesia sanctæ Sophiæ publicas Missas coram Principe, & Patriarcha latine celebraret, & omnes unanimes in laudes & victorias piissimorum Imperatorum idem latinis vocibus exclamarent &c.*. Jesu Chr. an. 681.

27. His vero addit Anastasius, per Agathonis legatos, scriptam ac eodem Imperatore fuisse epistolam, quam sanctam vocant, ad Agathonem Romanum Pontificem, qua significavit, liberare se Romanam Ecclesiam a pensitatione illa pecuniæ, quam primum impii Gothorum Reges Ariani persolvendam recens creatis Romanis Pontificibus indixerant, quæque post illos extinctos ab Orientalibus Imperatoribus exigi solita erat, ut superius sæpius dictum est, præsertim vero, cum de ea querelas sancti Gregorii Papæ recensuimus. Ejusmodi igitur iniquissimam exactionem, cum Constantinus Imperator penitus abrogandam censuisset, retinere tamen voluit jus confirmationis, antiqnitus (ut superius dictum est) tyrannice usurpatum. Unde ait: *Hinc suscepit divalem jussionem secundum suam postulationem, ut suggessit, per quam revelata est quantitas, quæ solita erat dari pro ordinatione Pontificis facienda* (quod scilicet non sineretur electus ordinari, nisi ea quantitate soluta pecuniæ) *sic tamen, ut si contigerit post ejus transitum electionem fieri, non debeat ordinari, qui electus fuerit, nisi decretum generale introducatur in regiam urbem secundum antiquam consuetudinem, ut cum earum jussione, & scientia deberet ordinatio provenire*. Hæc Anastasius. Huic tamen juri, confirmandi scilicet electum Pontificem, paulopost renunciasse Constantinum indicat Anastasius hæc de Benedicto secundo adnotans. *Hic suscepit divales clementissimi Constantini magni Principis ad venerabilem clerum, & populum, atque felicissimum exercitum Romanæ civitatis, per quas concessit, ut persona, qui electus fuerit ad sedem Apostolicam e vestigio absque tarditate Pontifex ordinetur*. Diu tamen hanc in ordinando Pontifice libertatem non viguisse, diuturna, ut plurimum, Romanæ sedis vacatio indicat, quando vero ab ea ser-

Ecclesia Rom a solutione pecuniæ pro ordinatione Rom. Pontificis liberatur.

Anast. pag. 144.

vitute

Jesu Chr. an. 681. vitute liberata fuerit Romana ecclesia, suo loco dicturi sumus.

Rom. ecclesiæ beneficio fides in Oriente penè extincta revivifcitur.

28. His autem dictis, gestorum in sexta synodo finem imponimus, hoc unum adnotantes, quod cum catholica fides in Oriente extincta pene esset, dum præcipuæ Patriarchales ecclesiæ, Alexandrina, Antiochena, & CPolitana Monothelitarum hæresi jamdiu pollutæ, & ab hæreticis Patriarchis sibi invicem succedentibus prostratæ jacerent, non aliunde iis subventum est, atque ad resurgendum manus porrecta fuit, nisi a Romana ecclesia, Romanoque Pontifice, cui ex Petri persona Christus dixerat. *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos*. Constat enim pullulanti vix Monothelitarum hæresi, eidem Romanum Pontificem Martinum verbo & exemplo eo usque restitisse, ut pro catholicæ veritatis defensione martyrium subire non recusaverit, ejusdemque vestigia sectantes Vitalianus, Adeodatus, Donus, & Agatho, effecerunt, ut Agathonis litteris excitati Orientales Episcopi, tandem resipiscerent, ac catholicam fidem Oecumenicæ synodi decreto confirmarent.

Luc. 22. 32.

Toletanum concilium 12.

29. Cum diu nos Orientalis ecclesiæ gesta, & sextæ synodi acta detinuerint, de gestis hoc eodem anno in Occidente nonnulla addimus, ac primo Toletanum concilium duodecimum se offert, anno primo Ervigii Regis celebratum, ut in præfatione legitur, cui etiam Rex ipse interfuit, ac Episcopos convocasse testatur, atque hæc de conciliorum utilitate præfatus. *Non dubium est, sanctissimi Patres, quod optima conciliorum adjutoria ruenti mundo subveniant, si officiosis, quæ corrigenda sunt studiis peragantur &c.* libellum deinde seu tomum congregatis Episcopis obtulit, in quo quæcumque emendatione in Hispaniarum ecclesiis occurrebant, Episcopis examinanda, & corrigenda proposuit, iisque gestis, benedictione ab Episcopis accepta, recessit; congregati autem Episcopi numero 35., præter tres, qui per vicarios suos subscripserunt, & Abbates quatuor cum plurimis illustribus viris, qui ejdem synodo adfuerunt, & subscripti leguntur, Episcopi itaque ibidem congregati, quibus Julianus Toletanus Antistes præerat, cum tomum a Rege oblatum perlegissent. *Pro tam salubri invitamento copiosas gratias retulimus Domino Jesu Christo*, dixerunt Patres, *& etiam benediximus Principi glorioso. Post egressum igitur ejusdem sere-*

sereniſſimi Principis, *hæc jam in dicto tomo comperimus probatis*, ac primum, ut ſuam in Regem inaugurationem confirmarent, totaque Hiſpania vulgarent, Rex rogavit, deinde ut ſacros ubique in Hiſpania canones obſervari juberent, eos præcipue qui alias, in præcedentibus ſcilicet Toletanis conciliis editi fuerant, longa gravique oratione adſtantes Epiſcopos hortatus eſt. *Ob hoc*, ajebat, *venerabilem paternitatis veſtræ cœtum*, *cum lacrymarum effuſione convenio*, *ut zelo veſtri regiminis purgetur terra a contagio pravitatis*. *Exurgite quæſo*, *exurgite*, *culpatorum ſolvite nodos*, *ac tranſgreſſorum mores corrigite inhoneſtos & exerite zeli diſciplinam*, *ponderibus ſubvenite*, *& quod plus in his omnibus eſt*, *Judæorum peſtem*, *quæ in novam ſemper recrudeſcit inſaniam*, *radicibus extirpate &c.* Hæc, & alia in eamdem rem, quæ longum eſſet exſcribere, atque hic libellus, cui propria manu Ervigius ſubſcripſit, die quinto Idus Januarias datus eſt, ſynodus vero octavo Kal. Februarii finem habuit. Jesu Chr. an. 681.

30. Primo autem hujus concilii capitulo, poſt editam fidei profeſſionem, ejuſdem Regis Ervigii electionem, quam ſuo ſcripto Vamba ſignificaverat, conſenſuque ſuo probaverat, Epiſcopi confirmarunt. Sequenti vero canone de iis egerunt patres, qui conſentientes acciperent in extremis pœnitentiam, mutatione habitus facta, tonſuraque & veſte religioſa ſuſcepta, ne ejuſmodi poſſit violari utcumque facta profeſſio. Hæc antem idcirco Synodus, ne Regis Ervigii poſſet labefactari creatio, eſſetque ſpes ulla, ut Vamba iterum repeteret regnum, pœnam tamen unius anni excommunicationis ſtatuerunt ſacerdoti, qui cuilibet non petenti, neque ſentienti hujuſcemodi tribueret pœnitentiam. Quarto deinde canone novæ ſedes Epiſcopales, juſſu Vambæ Regis erectæ in diverſis Hiſpaniarum locis, ſublatæ ſunt. Redarguti poſt hæc fuere in Synodo, qui plures una die Miſſas celebrantes, in ultima tantum, non in ſingulis communicarent. Actum præterea in eodem Concilio, ut Toletanus Antiſtes ordinaret, quem Rex nominaret Epiſcopum, qui ordinatus ſuo deberet ſe præſentare Metropolitano. Hæc ut evidentius pateant, illud non ignorandum, Gothorum Reges in Hiſpania nominationem ſibi vendicaſſe creandorum Epiſcoporum, quorum nominatio referebatur ad Concilium, ut de perſona, qualis eſſet, inquireret, digna ne ſede haberetur Epiſcopali, Canones concilii Tolet. 12. eorumque summa.

JESU CHR. AN. 681.

li, ut ex veterum scriptorum monumentis constat. Quoniam autem longæ moræ solerent intercedere in his omnibus curandis atque perficiendis, ob idque contingebat, ut vacantes sedes diutius absque Episcopo permanerent, id sancitum est in hoc Concilio, ut quem Rex nominaret, unus Toletanus Episcopus posset, de persona habita investigatione, illico ordinare. Insuper præter alia, reperiuntur in eodem Concilio nono Canone adversus Judæos plurima cumulata, & inter cætera, ne Judæi libros legere audeant, quos fides Christiana repudiat: insuper & ne seculares Judices de Judæorum excessibus absque sacerdotum consensu judicare præsumerent. Indulsit pariter sancta Synodus spatium triginta passuum foras progrediendi confugientibus ab Ecclesiam: Hæc & alia in Synodo sunt statuta, quæ ibidem lector consulere potest.

Fames in Anglia grassatur. *Beda lib. 4. pag. 12. 13.*

31. Hoc tempore fame, & peste afflictas fuisse Angliæ provincias, non uno loco narrat Beda, ac Vilfridii Episcopi gesta exponens, adnotat, cum Roma discedens, postquam Romanæ synodo ab Agathone Papa celebratæ interfuisset, ut suo loco diximus, ac in Angliam rediisset, cum sedem suam Eboracensem tyrannice occupatam recuperare non potuisset, ad Australium Saxonum conversionem se transtulisse, iisque oratione sua, opportunam pluviam impetrasse, ne omnes fame perirent: *Evangelizans autem genti Episcopus Vilfridus, non solum eam ab ærumna perpetuæ damnationis, verum & a clade infanda temporalis interitus eripuit: siquidem tribus annis ante adventum ejus in provinciam, nulla illis in locis pluvia ceciderat; unde & fames acerbissima plebem invadens, impiam nec prostravit: denique fertur, quia sæpe quadraginta simul aut quinquaginta homines inedia macerati procederent ad præcipitium aliquod, sive ripam maris, & junctis misere manibus pariter omnes aut ruina perituri, aut fluctibus absorbendi deciderent. Verum ipso die, quo baptisma fidei gens suscepit, illa descendit pluvia serena & copiosa, refloruit terra, rediitque viridantibus arvis annus lætus & frugifer*: inferius vero narrat eosdem Saxones arte piscandi, quam a Vilfrido didicerant, famem depulisse, eodemque in loco monasterium quoque a Vilfrido fuisse ædificatum, quem locum Eddius in vita Vilfridi capite 39. Selasiam vocat; Beda vero: *Seolaseu, quod dicitur latine Insula vituli marini,*

Conversio ad fidem Australium Saxonum.

ni, qualis locus a latinis penisula a Græcis solet Chersoneseos vocari. Jesu Chr. an. 681.

32. De peste vero, quæ famem iis in regionibus, ut fieri solet, subsecuta est. Hæc idem Beda addit: *Eodem ferme tempore, quo ipsa provincia* (Australium Saxonum) *nomen Christi susceperat, multas Britanniæ provincias mortalitas sæva corripiebat, quæ cum præfatum quoque monasterium, a Vilfrido scilicet ædificatum, cui tunc regendo reverendissimus ac religiosissimus Christi Sacerdos vocabulo Eappa præfuit, nutu divinæ dispensationis attingeret, multique sive de his, qui cum Antistite illo venerant, sive de illis, qui de eadem provincia Saxonum nuper ad fidem fuerant vocati, passim de hac vita raperentur; visum est fratribus triduanum jejunium agere, & divinam suppliciter obsecrare clementiam ut misericordiam sibi dignaretur impendere, sive periclitantes hoc morbo a præsenti morte liberaret, seu raptos a Mundo a perpetua animæ damnatione liberaret &c.*. His addit, quod cum puer quidam de natione Saxonum nuper ad Christi fidem vocatus, in eodem monasterio graviter decumberet, ei apparuerunt Sancti Apostoli Petrus, & Paulus, admonentes eum, ut Presbyterum Eappam ad se vocatum ab eo viaticum corporis & sanguinis Domini acciperet, quo munitus ad Regna cœlestia, eadem die transiturus erat, certioremque iidem Apostoli fecerunt, quod cum eorum oratio exaudita esset, nullus imposterum ex eodem monasterio, aut ex monasterii possessionibus, eadem luc obiturus erat, ut revera exitus comprobavit, uti eodem loco pluribus, refert Beda, ex eoque Baronius ad hunc annum, nos vero brevitati consulentes hæc, aliaque multa, quæ monasteriorum fundationes, monachorumque gesta spectant, aut consulto præterimus, aut in iis enarrandis parciores sumus; etsi copiosam messem, vel ipsi Annales Benedictini a Mabillonio summa cum diligentia editi, & eruditione referti, suppeditarent.

Pestis in Anglia grassatur.

33. Hoc etiam anno Sanctus Lantbertus, qui anno 667. ex monacho Fontanellensi Abbas ejusdem monasterii electus fuerat, ex Abbate Episcopus Lugdunensis est ordinatus, post mortem S. Genesii illius urbis Episcopi, ut ex fragmento vitæ ejus a Mabillonio, & Henschenio ad diem 14. Aprilis, qua Lantberti memoria celebratur, conjicit Pagius, eique in præfecturam monasterii Fontanellensis successit sanctus Ans-

S. Lantbertus Episcopus Lugdunensis ordinatur.

Jesu Chr. an. 681. bertus, qui postea Rothomagensis Episcopus fuit. Cum sancto Lantberto Abbate Fontanellæ vixere Erembertus Episcopus Tolosanus, Candidus Presbyter & Anachoreta, & Hemerlandus, aliique sanctitate celebres.

Ebroini majoris domus Theodorici Regis obitus

34. Hoc etiam anno Ebroinus, qui primum sub Clotario tertio, deinde sub Theodorico ejus fratre Præfecturam Palatii gesserat, Majordomus dictus, vir crudelis, rapax, iræque ac vindictæ deditus, qui inimicos suos, aut sibi suspectos non semel jugulare jusserat, sanctosque viros persecutus fuerat, ac præcipue Leodegarium, qui ejusdem jussu interfectus fuerat, triennio a sancti viri obitu, vix elapso ipse Ebroinus interfectus est, ut in vita Leodegarii narrat auctor anonymus his verbis cap. 17.. *Transacto spatio trium pene annorum in semper lugendo Ebroino, qui hanc lucernam nisus fuerat extinguere, sermo divinus impletur, nam qui multos gladio interemit, percussus gladio & ipse periit, infelix ac miser, qui tantis honoribus sublimatus, in tribus mundi partibus dilata fama industriæ suæ pollebat inter homines, quoniam noluit suis inimicis Dei mandatum implendo indulgentiam tribuere, ulciscendo eos, multos ad Regna Cælorum fecit abire*. His vero addit post Ebroini obitum, S. Leodegarii corpus in novam basilicam cum magna pompa translatum fuisse. *Postquam infelix Ebroinus vitæ finem dedit, quod invidia Ducis de Dei servo absconderat, magnis laudibus longe lateque percrebuit*, quem etiam Rex Theodoricus uti martyrem venerari cœpit. *Quem per accusationem tyranni prius crediderat fuisse culpabilem*. Ac tandem *in ipsius martyris honore, jussu Pontificis Domini Ansoaldi* Pictaviensis Episcopi, *opera Abbatis Andulphi patris monasterii*, Sancti Maxentii, *miræ magnitudinis fabricata est domus, & quidem cum magnis laudibus sanctum sepelivit corpus Beati martyris*. Hanc autem translationem anno 684. contigisse adnotat Pagius ad hunc annum nota 28.. Post Ebroini necem, Varathonem quemdam Neustrasii seu Burgundi maiorem domus regiæ constituerunt. Is vero cum Pippino majore-domus Regis Austrasiæ pacem iniit, atque ad aliquot tempus inter Francorum Reges pax & concordia viguit.

J E-

JESU CHRISTI annus 682. Leonis Papæ 1.
Constantini Pogonati Imp. 15.
Berthariddi Italiæ Regis 12.

1. Cum annos tres, menſes ſex, & dies aliquot Romanam eccleſiam Agatho Papa ſanctiſſime adminiſtraſſet, ac de proſtrata Monothelitica hæreſi, in concilio CP. damnata, triumphum egiſſet, hoc anno vivere deſiit, cujus memoria quarto idus Januarii Martyrologio Rom recolitur, quem certe egregiis virtutibus exornatum fuiſſe, tum geſta ejuſdem, quæ ſuperius expoſuimus, cum Epitaphium ejus ſepulchro inſcriptum indicat his verſibus. Agathonis Papæ obitus, & elogium.

Pontificalis Apex virtutum pondere fultus.
Ut jubaris radiat, perſonat ut tonitrus.
Quæ modo hoc peragit doctrinæ fomes & auctor.
Format enim geſtis quos docet eloquiis,
Dum ſimul æquiparat virtus, & culmen honoris
Officium decorat moribus, arte gerit.
Præditus his meritis Antiſtes ſummus Agatho
Sedis Apoſtolicæ fœdera firma tenet.
En pietas, en priſca fides inſignia Patrum
Intemerata manent niſibus alma tuis.
Quis vero numeret morum documenta tuorum,
Formula virtutum, dum tua vita foret &c..

De eodem Agathone hæc etiam Anaſtaſius adnotat. *Hic diviſit omni clero rogam unam*, ideſt ſtipendia Romano clero auxit, roga dicta, ab erogando, *Et ad luminaria Apoſtolorum, & Sanctæ Mariæ ad Præſepe ſolidos duo mille centum & quadraginta. Fecit autem ordinationem unam, creavit Presbyteros decem, Diaconos tres, Epiſcopos per diverſa loca numero octodecim, qui ſepultus eſt ad B. Petrum ſub die quarto Idus Januarii, & ceſſavit Epiſcopatus eius annum unum menſes ſeptem dies quinque*. Hæc ibi: At ut ad hunc annum adnotat Pagius in annis Pontificatus Agathonis, ſicuti in die obitus, & vacationis ſedis inter ipſum & Leonem ſecundum ejuſdem ſucceſſorem, mendum in Anaſtaſio irrepſiſſe patet. Hinc inextricabiles in chronologia Leonis ſecundi *Pag. not. 2. ad 7.*

Jesu Chr. an. 682.

difficultates exoriri ait Papebrochius in conatu chronico historico ad catalogum Rom. Pontificum, ac cum Baronio ordinationem Leonis 2., Agathonis successoris ad annum sequentem cum Baronio distulit. Cum tamen hos chronologiæ inextricabiles nodos præ ceteris explanare, etsi non semper extricare conatus sit Pagius, ejusdem sententiam sequi tutius & commodius est, ait ad hunc locum Muratorius, cui nos quoque libenter subscribimus.

Leo secundus Papa ordinatur.

2. Itaque cum per menses aliquot, post Agathonis obitum, Romana vacasset sedes, Leo hujus nominis secundus Romanus Pontifex est ordinatus. Is Siculus ex patre Paulo ab Anastasio dicitur. *Sedit menses decem, dies septem & decem*. De ejusdem vero ordinatione addit. *Suprascriptus sanctissimus vir ordinatus est a tribus Episcopis, idest, Andrea Ostiensi, Joanne Portuensi, & Placentino Veliternensi, pro eo, quod Ecclesia Albanensis Episcopum minime habuit*. Hæc ipse, qui & de ejus doctrina atque moribus hæc addit: *Leo natione Siculus, ex patre Paulo, vir eloquentissimus, in divinis Scripturis sufficienter instructus, Græca, Latinaque lingua eruditus, cantilena & psalmodia præcipuus, & in earum sensibus subtilissima exercitatione limatus, lingua quoque scholasticus, eloquendi majori lectione polita, exhortator omnium bonorum operum, plerisque florentissimam ingerens scientiam, paupertatis amator, & erga inopum provisionem non solum mentis pietate, sed & studii sui labore sollicitus*. Hæc de ejus moribus atque scientia Anastasius. Jam vero reliqua prosequamur.

Constantini Imp. epist. ad Leonem Papam.

3. Post absolutam anno proximo sextam synodum, cum moram adhuc Apostolicæ sedis legati CPoli hoc anno facerent, illucque de Agathonis obitu, deque Leonis electione nuncius perlatus esset, cum jam ad sua, cum actis sextæ synodi, redituri essent, epistolam iis ad Leonem in Romanum Pontificem electum, sed nondum ordinatum deferendam, Constantinus Imperator dedit, cujus hæc est inscriptio. *Exemplar sacræ, piissimi & Christum diligentis Imp. Constantini ad Leonem sanctissimum, & Beatissimum Papam senioris Romæ, missum per eos, qui illuc directi fuerant a superstite Agathone sanctæ memoriæ. Missa est mensis Decembris* 13. *indict.* 10. idest desinente hoc anno. Leoni autem Pontifici tradita anni proximi initio, cum jam Ponti-

fica-

ficalem ordinationem suscepisset, cui adfuit Joannes Portuensis Episcopus, unus ex legatis sextæ synodi, uti Anastasius testatur his verbis. *Ordinatus est a tribus Episcopis, Andrea Ostiensi, Joanne Portuensi, & Placentino Veliternensi, pro eo quod Albanensis ecclesia Episcopum minime habuit*, qui unus ex ordinatoribus Romani Pontificis esse solebat. In ea autem epistola narrat Imperator, quod cum moleste ferret ecclesiam, ob excitatas de una, vel duabus in Christo voluntatibus, & operationibus quæstiones, vexari, ac dissentionibus scindi, apud Agathonem egisse, ut CPoli Oecumenica synodus ageretur, quo cum ejusdem pervenissent legati; *Perpensis*, inquit, *Evangelicis & Apostolicis vocibus, comparatisque cum ipsa iis, quæ a sanctis & universalibus Conciliis statuta ac definita sunt, collatis præterea testimoniis, quæ asserebat, cum paternis libris, nihil non concinens inventum est, ac nihil immutata veræ confessionis ratio in ea perspecta. Ac veluti principem Apostolici chori, primique loci Antistitem Petrum contuiti sumus mentium nostrarum oculis, totius dispensationis mysterium divinitus eloquentem, verbaque hæc per eas litteras Christo facientem: Tu es Christus Filius Dei vivi. Nam ipsum totum Christum nobis sacræ ejus litteræ differendo exprimebant: quod omnes libentibus animis sincereque accepimus*. Hæc, & alia Constantinus, quibus suum erga Romanam ecclesiam obsequium, & obedientiam satis aperte indicat. His addit solum fere Macarium Antiochenum Episcopum catholicæ fidei definitioni restitisse, qui faciem suam veluti meretricem obduruerat, quem una cum aliis paucis ejusdem impietatis, & hæresis sociis, prout ab iis scripto rogatus fuerat, ad eum Romam miserat, atque ut Apocrysarium Rom. sedis CPolim mittere dignaretur, enixe rogavit. *Hortamur porro*, ait, *vestram sacratissimam summitatem, ut quamprimum mittat designatum ab ea Apocrysarium, ut is in Regia, & a Deo conservanda nostra urbe degat, & in emergentibus sive canonicis, ac prorsus in omnibus ecclesiasticis negotiis, vestræ sanctitatis exprimat ac gerat personam; vale in domino beatissime, pro potestate nostra majori studio orare intende. Deus te in multa tempora custodiat sanctissime ac beatissime Pater*. Hactenus Constantini epistola ad Leonem Pontificem.

Leonis 2. Papæ epistola ad Constantinum Imp.

4: Leo autem Papa, his acceptis ab Imperatore litteris, una

Jesu Chr. an. 682. una cum synodalibus gestis, ad eum hoc eodem anno rescribens, quammaximas, pro suscepta ab eodem catholicæ fidei defensione, proque felici Synodi sextæ exitu, & legatorum suorum reditu, retulit gratias, pietatemque ejus eximio præconio celebravit, ut vel ipsa epistolæ præfatio his verbis concepta testatur. *Regi regum*, inquit, *in cujus potestate sunt regna Mundi, pusilli cum magnis gratias agimus, qui ita in vobis terrenum contulit regnum, ut cælestia vos magis ambire concederet &c.*. Hæc & alia plura in eamdem rem, quibus de legatorum reditu addit. *Denique legatos hujus Apostolicæ Sedis matris vestræ Romanæ Ecclesiæ, pietatis vestræ famulos, id est, Theodorum, & Georgium presbyteros, & Joannem Diaconum filios nostros, atque Constantinum subdiaconum Regionarium sanctæ nostræ Ecclesiæ, una cum personis, quæ cum eis profectæ fuerant, quæ a prædecessore meo Apostolicæ memoriæ Agathone Papa per octavam indictionem pro causa fidei, vestra pietate jubente, illuc directæ fuerant, per nuper elapsam decimam Indictionem, mense Julio, cum divalibus clementiæ vestræ apicibus, & Synodalibus gestis, cum magno jucunditatis gaudio in Domino exultantes suscepimus.*

Synodi sextæ acta se confirmare Leo 2. Papa testatur.

5. Synodi autam sextæ gesta se recepisse, iisque libentissime subscribere his verbis testatur. *Igitur gestorum synodalium seriem recensentes, curiosaque diligentia singula quæ gesta sunt flagitantes, eadem quæ apostolicæ sedis legati narraverant, scriptis consonantibus convenire reperimus. Cognovimus enim, quod sancta & universalis & magna sexta synodus, quæ per Dei gratiam imperiali decreto in regia urbe nuper congregata est, eadem, quæ & universum concilium assidens huic sanctæ sedi apostolicæ, cujus ministerio fungimur, senserit, atque decreverit sub orthodoxæ fidei integritate, regulisque majorum, atque concorditer nobiscum confessa est, unum esse de sancta & inseparabili Trinitate nostrum Jesum Christum, ex duabus, & in duabus naturis inconfuse, inseparabiliter, indivise consistentem, ut vere Deum perfectum, & hominem perfectum eumdem ipsum, salvaque proprietate uniuscujusque in eo convenientium naturarum, eumdem ipsum divina operatum ut Deum, & humana inseparabiliter operatum ut hominem, absque solo peccato: & duas idcirco naturales voluntates, duasque naturales operationes eum habere veraciter prædicavit, per qua principaliter & naturarum ejus veri-*

veritas demonstratur, usque ad cognoscendam profecto differentiam, quarum sunt naturarum, ex quibus unus idemque Dominus noster Jesus Christus consistit, per quæ revera probavimus, hanc sanctam & laudabilem, atque prædicabilem sextam synodum per misericordiam Dei, qui Christianæ fidei veritatem suis fidelibus referat Apostolicam prædicationem inoffenso pede fuisse secutam, sanctorumque, & universalium quinque conciliorum definitionibus in omnibus consentientem, & horum regulas amplectentem, nihil super statuta orthodoxæ fidei augentem aut minuentem, sed regiam & evangelicam semitam rectissime gradientem, & in his, atque per eos sacrorum dogmatum lima, & probabilium catholicæ Christi ecclesiæ patrum doctrina servata est, & regularis lima ad omnium ædificationem prolata. Quinque etiam Oecumenica concilia se suscipere, ac venerari, una cum sexto nuperrime celebrato testatur, omnesque hæreticos, qui olim catholicam fidem corrumpere conati sunt, quorum cathalogum ibidem recenset, ac tandem novi erroris inventores, vel propagatores, idest Monothelitas se quoque cum universali synodo anathematizare his verbis testatur, *Pariterque anathematizamus novi erroris inventores, idest Theodorum Pharanitanum Episcopum, Cyrum Alex., Sergium, Pyrrum, Paulum, Petrum CPolitanæ ecclesiæ successores magis quam Præsules, nec non & Honorium, qui hanc Apostolicam ecclesiam, non Apostolicæ traditionis doctrina lustravit, sed profana proditione, immaculatam fidem subvertere conatus est,* & omnes, *qui in suo errore defuncti sunt.* Eodemque anathematis vinculo subjacere ait, quotquot ejusdem erroris participes fuerant, vel in eo perseverabant, nominatim vero a synodo sexta damnatos, idest Macarium Antiochenum Episcopum, *cum sui erroris discipulo immo magistro Stephano, & cum eis Polychronium novum, ut vere dictum est, Simonem, qui hæreticæ pravitatis delusus phastasmate, mortuos suscitare pollicitus, dum vanam ejus præsumptionem effectus non sequitur, fallax & in hoc omnibus comprobatus est, & qui similia eorum sapuerant, vel sapiunt, qui unam videlicet voluntatem, & unam operationem dicere præsumpserunt, vel præsumunt in duabus naturis Domini nostri Jesu Christi, quos & sancta universalis supramemorata sexta synodus abdicavit &c..* Hæc, & alia plurima de felici synodi sextæ exitu, exultans ibidem S. Leo addi-

Jesu Chr. an. 682.

addidit, ac per Constantinum Subdiaconum regionarium, Rom. ecclesiæ, qui nuper Romam redierat, quemque iterum CPolim S. Leo redire jusserat, hanc epistolam ad Imperatorem misit, quem etiam eidem commendat, ac nonis Maii indictionis decimæ data dicitur, quæ sane nota a librariis corrupta est, ac ut adnotat Pagius in textu Græco desideratur.

Pag. not. 7. an. 683.

S. Leo nonnullos a sexta synodoRomam missos absolvit.

6. Leonem autem secundum Pontificem synodi sextæ acta, sibi a legatis suis, dum CPoli rediissent tradita confirmasse, ac Macarium a synodo cum hæresis sociis condemnatum, ad Romanum Pontificem appellasse, ac Romam missos fuisse, ut in sua ad eumdem Leonem epistola narrat Constantinus Imperator, Anastasius his verbis adnotat. *Hic suscepit sanctam sextam synodum, quæ per Dei providentiam nuper in regia urbe celebrata est, Græco eloquio conscriptam, exequente, ac residente piissimo ac clementissimo magno Principe Constantino intra regale palatium ejus, quod appellatur Trullus. Simulque cum eo legati Sedis Apostolicæ, & duo Patriarchæ, idest, Constantinopolitanus, & Antiochenus, atque centumquinquaginta Episcopi, in qua & condemnati sunt Cyrus, Sergius, Honorius, & Pyrrus, Paulus, & Petrus, nec non & Macarius cum discipulo suo Stephano, sed & Polychronius novus Simon, qui unam voluntatem, & operationem in Domino Jesu Christo dixerunt, vel prædicaverunt, aut qui denuo prædicaturi fuerint, aut defensaverint. Sed nunc & ut duæ voluntates, & operationes ipsius dispensatoris Christi, & salvatoris Dei nostri dicantur, sicut eadem Synodus studiosissime in Latinum translata declarat. Verumtamen suprascripti defensores malorum hæreseos, dum nollent a suo recedere proposito, per diversa Monasteria sunt retrusi. Qui prædictus sanctissimus vir absolvit duos viros in percipienda communione, qui de regia urbe cum suprascripto Macario, & ceteris in Romanam directi sunt civitatem, qui necdum a Synodo anathematizati erant, idest, Anastasium Presbyterum, & Leontium Diaconum Ecclesiæ Constantinopolitanæ in die sancto Theophanie, exponentes videlicet per propria scripta fidem suam, juxta & sancta Synodus determinavit; anathematizantes videlicet omnes hæreticos, sed & suprascriptos viros complices, quos sancta Synodus, vel sedes Apostolica anathematizavit.* Leo itaque Papa Macarium, & socios in hæresi obstina-

Anast. to. 1. pag. 141.

ſtinatos in monaſteria detruſit, Anaſtaſium vero presbyterum, & Leontium Diaconum CP. eccleſiæ, cum oblata fidei profeſſione, ſe catholicam fidem amplecti probaſſent, ac anathema in hæreticos Monothelitas cum ſexta ſynodo dixiſſent, in eccleſiæ communionem die Theophaniæ recepti ſunt. Quod vero inter hæreticos a ſynodo ſexta condemnatos, Honorium quoque Rom. Pontificem Anaſtaſius recenſeat, mirum non eſt, cum eadem Leo quoque Papa non ſemel in ſuis epiſtolis narret, non ſolum ad Imperatorem ſcribens, ut ſupra adnotavimus, ſed in iis etiam, quas in Hiſpaniam eo de argumento miſit, quarum prima ad omnes Hiſpaniæ Epiſcopos inſcripta eſt, ſecunda ad Quiricum in Hiſpania Epiſcopum, tertia ad Simplicium Comitem, quarta demum ad Ervigium Hiſpaniarum Regem, quas etſi ſuſpectas, quinimmo & ſuppoſitias demonſtrare totis viribus, una cum actis ſextæ ſynodi conatus ſit Baronius, ne Honorium Papam a ſynodo ſexta damnatum fuiſſe fateri cogeretur, uti Leonis litteræ teſtantur; attamen, ſicuti a viris doctis Pagio, Natali Alexandro, Combefiſio, aliiſque adnotatum eſt, de harum litterarum ſuppoſitione conjecturis locus vix remanet. Cum vero hæ quatuor epiſtolæ ejuſdem ſint argumenti, earum compendium exponere ſat erit, in prima itaque ad Hiſpaniæ Epiſcopos S. Leo eorum in tuenda catholica fide ſollicitudinem commendat, eoſque de geſtis in concilio ſexto, deque fidei catholicæ confirmatione, & de anathemate in hæreticos Monothelitas dicto certiores reddidit, eoſdemque rogat, ut hæc in ſingulis provinciis pervulgari faciant, iiſque, ſi non integra ſynodi acta, quæ nondum limate e Græco in latinum translata fuerant, eorum tamen partem maximam tranſmiſit, ut his verbis teſtatur *Et quia quæque in CPolitana urbe univerſali concilio currente celebrato geſta ſunt, propter linguæ diverſitatem, in Græco quippe conſcripta ſunt, & necdum in noſtrum eloquium examinate translata, definitionem interim ejuſdem ſancti ſexti concilii & acclamationem, quod Proſphoneticus dicitur, totius concilii factam ad piiſſimum Principem, pariterque edictum clementiſſimi Imperatoris, ad omnium cognitionem ubique directam in latinum de Græco translatum, per latorem præſentium Petrum Notarium regionarium ſanctæ noſtræ eccleſiæ veſtræ dilectioni direximus; etiam acta totius venerandi concilii directuri*, JESU CHR. AN. 682.

 dum

Jesu Chr. An. 682. *dum fuerint limate transfusa, si hoc & vestra bonis studiis fervens charitas delectatur*; interea ut his singuli Episcopi subscriberent, jubet, sicque sua subscriptione, gestis in sexta synodo se subscribere, ac probare testarentur.

Leonis 2. epistolæ ad Quiricum Episcopum Hispaniæ ad Simplicium Comitem & ad Ervigium Regem.

7. In epistola autem ad Quiricum in Hispania Episcopum narrat Leo, se ad universos Hispaniæ Episcopos sexti concilii nuper per indictionem nonam CPoli celebrati, & ad Ervigium Hispaniarum Regem, per Petrum Rom. ecclesiæ notarium actorum summam misisse, idest fidei definitionem cum synodica epistola, seu tractoria ad omnes ubique ecclesiarum Antistites, cum sermone acclamatorio ad Imperatorem directo, hisque subdit: *Providentiam & concursum omnem exhibeat vestra in Christo dilectio, ut pro flagrantibus studiis evangelicæ, atque Apostolicæ fidei æternæ beatitudinis cum beatis Christi Apostolorum Principibus habere consortium mereamini, &c.* cui etiam clavem *habentem de sacris vinculis auctoris nostri B. Petri Apostoli*, se eidem misisse addit. Eademque fere tum in epistola ad Simplicium Comitem, cum ad Ervigium Hispaniarum Regem enarrat; de quibus nil addimus, hoc unum ex hac ultima ad Regem scripta adnotare juvabit, S. Leonem cum de condemnatione hæreticorum, & anathemate in eos dicto, qui jam defuncti erant, ageret, Honorium Pontificem ab iis distinxisse, quod etiam in Epistola ad Hispaniæ Episcopos fecerat; primos quippe ob hæresis patrocinium damnatos fuisse adnotat, Honorium vero prædecessorem suum, ob id tantum condemnatum fuisse ait, eo quod *immaculatam Apostolicæ traditionis regulam, quam a prædecessoribus suis accepit, maculari consensit*, seu ut clarius in epistola ad Episcopos Hispaniæ ait; eo quod *flammam hæretici dogmatis, non ut decuit Apostolicam auctoritatem, incipientem extinxit, sed negligendo confovit*. Quare ex his manifesto patet, Honorium quidem ejusdem cum hæreticis pœnæ participem fuisse, etsi ejusdem criminis particeps nequaquam fuerit; nam ceteri sive mortui, sive superstites, scilicet Macarius Antiochenus Episcopus, Stephanus, Policronius, aliique, hæresim Monothelitarum aperte docuerant, in eaque obierant, vel obstinate perseverabant. Honorius vero Romanus Pontifex ab hæresis labe alienus omnino fuerat, etsi gliscenti hæresi, qua, Apostolicæ sedis Antistitem decebat, fortitudine non restitit. Unde ommissionis

sionis quidem, & conversationis accusari poterat; nequaquam vero hæresis, uti jam alias, nec semel adnotavimus; unde plura non addimus. JESU CHR. AN. 683.

JESU CHRISTI AN. 683. LEONIS II. PAPÆ 2.
CONSTANTINI POGONATI IMP. 16.
BERTHARIDI ITALIÆ REGIS 13.

1. Hoc anno Toletanum concilium, quod tertiumdecimum inscribitur, celebratum est, anno quarto Ervigii Hispaniarum Regis, ut in titulo legitur, cui ex toto Hispaniarum Regno Episcopi 48. convenerunt; Vicarii vero Episcoporum absentium 27., quod etiam concilium generale in sequenti Toletana synodo dictum est, eique Julianus Toletanæ ecclesiæ Episcopus & Metropolitanus præfuit, cui etiam Ervigius Rex adfuit, qui congregatos Patres hortatus est, ut ecclesiasticam disciplinam sartam tectamque servarent, ac libellum Episcopis, seu tomum obtulit, quo indulgentiam iis concedebat, qui Vambæ Regis tempore tyrannum sectati fuerant, ac tributorum relaxationem, usque ad aunum primum regni sui concedebat. Hisque gestis, e concilio discessit, liberam Episcopis agendi potestatem tribuens. Toletanum concilium 13. resque in eo gestæ.

2. Post Regis discessum, emissa prius fidei professione canones duodecim congregati Episcopi ediderunt, ac primo concessam Regis indulgentiam, & tributorum relaxationem confirmarunt: incolumitati, & securitati ejus canone secundo consuluerunt, 3. ne quisquam ante latam sententiam vapularetur, bonis privaretur, aut arcta teneretur custodia, quarto canone regiæ familiæ incolumitati consultum est, anathematis pœna indicta iis, qui quocumque modo vitæ, famæ, aut patrimonio uxoris Regis, liberorum, vel aulicorum damnum attulissent, vel dantibus consensissent. Quinto canone cautum est, ne relictam a Rege viduam, quisquam conjugio sibi copulare audeat, aut sordibus contactibus maculare. Canon sextus servos ab officiis palatinis, & fiscalibas arcet. Septimus canon eorum temeritatem arguit, *Qui cum aliqua eos molestia fraternorum jurgiorum pupugerit, insana illico temeritate abrepti, altaria nudantes, sacratis vestibus exuunt, luminaria subtrabunt, ac divinorum sacrifi-* Toletani concilii canones.

 cio.

ciorum cultum malitia intercedente subducunt, & quod in hominibus vindicare non possunt, injuriam Deo, quod pejus est inferunt &c. Quæ quidem etsi aliquando a sanctis etiam viris, ob gravem ecclesiæ illatam injuriam peracta sint, pro privatis tamen injuriis fieri, aut passim usurpari illicitum esse Toletani Patres merito dixerunt. Octavo canone cautum est, ut Episcopi a Metropolitano ad concilia, aut ad festivitates solemnes vocati, aut a Principe, sine mora aut excusatione adesse festinent, nisi infirmitas, aut urgens necessitas prohibuerit; nono canone præcedentis concilii canones confirmati sunt. Decimus statuit, ut Episcopus, aut sacerdos, qui in infirmitate constitutus per manus impositionem pœnitentiæ legibus se se subjecerat, dum convalesceret, consueta officii sui munera explere, & sacrificium offerre posset, cum præsertim pravum crimen confessus non fuerat; *Pœnitens enim abstinere a peccatis pariter & negotiorum secularium tumultibus debet, non ab iis, quæ sancta videntur, & summa se abstrahere, quæ operantem plus expiant, quam commaculando deturpant.* Undecimo ne quis alienum clericum, vel monachum fugientem excipiat, 12. Episcopis eos excommunicare prohibet, qui ad Metropolitanos causas suas deferebant. Ultimo tandem cautum est, ut omnes vulgatis canonibus subscriberent, gratias Deo primum agentes, deinde Ervigio Regi, ut ibidem videre est. Subscriptionibus vero Episcoporum, & eorum, qui pro absentibus subscripserunt, & virorum illustrium, qui synodo interfuerunt: subditur Regis Ervigii edictum, quo tributa fisco debita, usque ad annum primum Regni sui relaxabat, deinde ejusdem Ervigii Regis edictum, quo canones hujusce concilii, sua auctoritate confirmavit. Ex his autem, aliisque, quæ hujus sæculi historiam excurrentes, exposuimus, id notatu præceteris dignum occurrit, quod vel ipsi Gothorum in Hispania Reges, non solum ab Episcopis vulgatos pro ecclesiastica disciplina canones, auctoritate sua confirmarunt, sed etiam, quæ sui juris erant, sicuti indulgentia in eos exhibita, qui tyrannos sectati fuerant, & tributorum condonatio, Episcoporum judicio reservabant, contra id, quod nostra infelix fert ætas, qua nihil sollicitius ac vehementius a Præsidis provinciarum agitur, quam ut ecclesiasticum tribunal solitarium reddant, ac quovis prætextu ecclesiasticas cujuscum-

que

que generis causas ad seculare forum trahant.

3. Cum Romanam ecclesiam *menses decem dies septem & decem* administrasset Leo Papa secundus hoc anno vivere desiit, & sepultus est *ad B. Petrum sub die quinto nonas Julias*, ait Anastasius, successoremque habuit Benedictum secundum anno sequenti, nam ut idem subdit auctor. *Et cessavit Episcopatus menses undecim, dies* 22.. Quare cum S. Leo die 17. mensis Augusti anni elapsi ordinatus fuerit, die tertia mensis Julii anni labentis vivere desiit, cujus tamen memoria martyrologio Romano die 28 Junii recolitur. At de die, qua S. Leo obiit, qua ejus memoria celebratur, pluribus agit Pagius in notis ad Baronium, nota prima ad octavam anno 684., sicuti etiam de ordinatione ab eodem mense Junio facta, in quibus diu immorari non juvat, hoc unum adnotantes, Romanos Pontifices pro summa, qua in tota ecclesia gaudebant potestate, etiam extra quatuor anni tempora ordinationes celebrasse, uti diserte Alexander tertius Baroniensi Episcopo scribens testatur his verbis. *Subdiaconos nulli nisi Romano Pontifici licet diebus Dominicis*, (extra tempora) *ordinare*, & in litteris ad Episcopum Herefordensem. *Ad Subdiaconatum nisi in quatuor temporibus, aut in Sabbato sancto, vel in Sabbato ante Dominicam de passione, nulli Episcoporum, præterquam Romano Pontifici licet aliquos ordinare*. Quare ut adnotat Pagius, nulla occurrit necessitas, ut in Anastasii textu cum Baronio mensis Junius cum Majo commutetur, ut Leonis Papæ ordinatio cum sabbato Pentecostes concurrere possit: Benedicti autem ordinatio anno sequenti facta fuit, postquam per menses undecim Romana sedes vacasset, de ea ibidem sermo fiet.

Jesu Chr. an. 683. Leonis secundi obitus.

Rom. Pontifices extra tempora, ordinationes celebrarunt.

4. Tribus a sexta synodo exactis annis, Georgius CP. Patriarcha, qui eidem synodo adsuit, vivere desiit, ait Theophanes, cum tres alios ante synodum eam ecclesiam gubernasset, ut idem adnotat auctor. In ejus vero locum Theodorus, qui eam sedem ante Georgium tenuerat, ex eaque utpote Monothelitarum fautor & patronus, ejectus fuerat, iterum restitutus est, cum catholicam se fidem a synodo sexta confirmatam profiteri testatus esset, aut saltem ut Regiæ urbis thronum recuperaret, verbo vel scripto simulavit, de cujus gestis per annos tres, quibus eam occupavit sedem, nil memoria dignum annales referunt.

Georgii CP. Episcopi obitus, Theodorus in eam sedem restituitur.

Theoph. chron. pag. 302.

5. Ea-

Jesu Chr. an. 684. Iziti Seracenorum Kalifæ obitus, cui Abimelech succedit.

5. Eodem Theophane testante, hoc quoque anno die nona Novembris Igitum Seracenorum Principem sive Kalifam obiisse scimus, post cujus obitum graves diuturnique inter Seracenos tumultus exorti sunt, quos paucis his verbis describit Theophanes. *Hoc anno Igid fato extinctus est. Ex quo Arabes ad Ethribum positi tumultuati sunt: tandem uno impetu moti Abdelam quemdam filium Zuber ducem sibi præfecerunt. Qui vero Phœnciam, & Palestinam incolunt in unum convenientes, Damascum, deinde Gabetham ad Asan Palestinæ Ameram proficiscuntur, manusque dextras Marvam dantes ducem constituerunt, qui etiam Ameræ dignitatem menses novem sustinuit, eoque mortuo Abimelech ejus filius Principatum assequitur declaratus Ameras annos viginti, & unum, tyrannosque subjecit, & Abdalum Zuper filium & successorem potestatis occidit.* Hæc Theophanes, quæ hoc, & sequenti anno contigerunt, nam post Igiti obitum, filius ejus Moavias Damasci Kalifa electus est. Is vero cum tanto ferendo oneri, & tyrannis comprimendis impar esset, utpote infirmus corpore, fortasse & mente, honori & oneri post dies quadraginta circiter, sponte cessit. Interea Mervam, & Abdala de Kaliphatu inter se contendentes, variaque fortuna certantes, cum Merva Abdalamum, ejusque Ducem Solimanum vicisset, paulopost vivere desiit, quem etiam veneno extinctum fuisse Arabes historici tradunt, post ejus obitum Abimelech ejus filius, Arabum, Seracenorumque Principatum, seu Kalifatum anno 684. obtinuit, de cujus gestis, & legatione ad Justinianum Constantini Pogonati filium infra sermo fiet. De quibus plura in Arabum historia ab Abbate de Marigni gallice scripta videri possunt, aut apud Derbellotium in bibliotheca Orientali.

JESU CHRISTI an. 684. Benedicti 2. Papæ an. 1.
Constantini Pogonati Imp. 17.
Bertharidi Italiæ Regis 14.

Benedictus 2. Rom. Pontifex ordinatur. Quis esset.

1. Post Leonis secundi obitum, cum per menses undecim, dies vigintiduo Romana sedes vacasset, ut ait Anastasius, hoc anno die 26. mensis Junii, quæ in Dominicam cadebat Benedictus, ejus nominis secundus ordinatus est, cujus egregias dotes his verbis celebrat Anastasius. *Fuit iste natione Romanus ex patre Joanne. Hic ab ineunte ætate sua Eccle-*

Ecclesiæ militavit, atque se sic in divinis Scripturis, & cantilena a puerili ætate, & in presbyterii dignitate exhibuit, ut decet virum suo nomine dignum, in quo vere supernæ benedictionis gratia redundavit, ut nomine pariter & operibus dignus ad Pontificii regimen perveniret, paupertatis amator, humilis, mansuetus, patientiam habens, atque manu largissimus. Et paulo inferius: *Hic suscepit divales jussiones elementissimi Constantini magni Principis ad venerabilem clerum, & populum, atque felicissimum exercitum Romanæ civitatis, per quas concessit, ut persona, quæ electa fuerit in sedem Apostolicam, e vestigio absque tarditate Pontifex ordinaretur*. Hucusque Anastasius. Quod enim nuper post Agathonem, & alias sæpe ante longissimi temporis vacationes Sedis Apostolicæ contigissent, non clerus tantum, sed etiam Senatus populusque Romanus ab Imperatore obnixe expetierunt, ut libere tandem sineret Romanam Ecclesiam electum a se Pontificem consecrare, nulla expectata confirmatione Imperatoris, quam (ut vidimus) usurpatam primum a Gothorum Regibus, illis expulsis, Orientales sibi vendicaverant Imperatores. Meruit itaque Benedictus Pontifex obtinere, quæ nullus antea prædecessorum Pontificum consequi potuerat, ut scilicet Romana Ecclesia in pristinam libertatem rediret. An hæc libertas, diu viguerit, in Cononis electione videbimus.

Benedicti Papæ epist. ad PetrumRom ecclesiæ Notarium.

2. Benedicti Papæ nomine duæ circumferuntur epistolæ ab eo scriptæ, cum in Romanum Pontificem electus quidem esset, sed nondum ordinatus, quarum prima ad Petrum Rom. ecclesiæ notarium a Leone secundo cum actis sextæ synodi & litteris suis in Hispaniam missum data est, qua eum admonet, ut sexti concilii acta ab Episcopis Hispaniæ subscribi curet, cujus hæc est inscriptio, *Benedictus Presbyter, & in Dei nomine electus sanctæ sedis Apostolicæ, Petro notario Regionario*. Epistola altera ad Ervigium Regem Hispaniarum inscripta est, eademque est ac ea, quam Leo 2. ad eumdem Regem scripserat, ut supra anno 682. adnotavimus, utrasque Benedicto suppositi tias esse contendit Baronius, & sane quoad hanc ultimam ad Ervigium Regem, ut hæc Benedicto inscribatur, nulla ratio occurrit, cum eam a Leone missam fuisse constet. Altera tamen quin Benedicto inscribatur, nil obstat, qua Petrum notarium a Leone in

Jesu Chr. An. 684. in Hispanias missum cum actis sextæ synodi, ad opus injunctum diligenter exequendum excitat, idest, ut ab Hispaniarum Episcopis subscriptionem actorum sextæ synodi exigeret, sicuti totius epistolæ textus demonstrat, quam Benedicto inscribendam esse probat Pagius nota nona, & decima ad hunc annum.

Toletana synodus decimaquarta.

3. Hoc anno, qui quintus Ervigii Hispaniarum Regis numeratur, æra Hispanica 722. Toletana synodus decimaquarta celebrata est, cui Episcopi 17. interfuerunt, decem per vicarios, Abbates vero sex, cœptaque est 18. Kal. Decemb. absoluta vero 12. Kal. ejusdem mensis, ut acta præseferunt. Huic autem celebrandæ hæc præcesserat causa, quod cum absoluta præcedenti synodo 13., in Hispanias acta sextæ synodi a Leone secundo missa pervenissent, iis in unum congregati Hispaniæ Episcopi subscribere nequaquam potuerunt. Quare ut obsequii sui, & obedientiæ erga Romanum Pontificem specimen ederent, ad Episcopos acta synodi interea missa sunt, & a singulis probata; opportunitatem expectantes, ut in unum congregati, omnes simul eadem subscriptione sua confirmarent, interea vero, *illo tunc tempore Apologeticæ defensionis nostræ responsis satisfacientes Romano Pontifici, ea ipsa gesta firmare, nostræque fidei sensum purissima verborum enodatione depromere*. Congregati vero in unum generale concilium ob ingruentes turbas, nequaquam celebrare potuisse præfati sunt Patres: Quare ut saltem Carthaginensis provinciæ Episcopi Toletum convenirent Ervigium Regem jussisse testantur, & quidquid ibidem decretum fuisset, reliquarum provinciarum synodales conventus, eadem de causa celebrandi, confirmarent. Quæ autem hanc præcesserint synodum, eique causam dederint, capite secundo, & tertio his verbis exponunt Toletani Patres: *Clara omnes notio populos Hispaniæ implet, quod decurrentis evoluti temporis serie per Romani præsulis bajulum gesta synodalia societati nostræ advecta sunt, quibus Constantinopolim, Constantino pio & religioso principe mediante, magna & sublimi copia aggregata Pontificum, Apollinaris dogma comperimus fuisse destructum. Cum quibus etiam gestis, Leonis quoque antiquæ Romæ pontificis invitatoria epistolaris gratiæ consulta suscepimus, per quæ omnis ordo gestorum, gestaque ordinum dilucide, ut acta sunt nostris sensibus patuerunt.*

runt. In cujus etiam gratioso epistolæ tractu ad hoc omnes præsules Hispaniæ invitati sunt, ut prædicta synodalia instituta, quæ miserat, nostri etiam vigoris manerent auctoritate suffulta, omnibusque per nos sub regno Hispaniæ consistentibus patescerent divulganda. Et hæc siquidem totius allegationis illatio exhibita nobis est, temporis infesti urgente pressura, quo non solum tellus omnis hyemali stricta gelu, glaciali nivium immensitate duruerat, sed & tunc, quando ex generali concilio nos absolutos jam esse constabat. Quo gemino obsistentis causæ obice præpediti, generaliter iterato tunc non quivimus aggregari, quos & vicina concilii absolutio propriis sedibus reddiderat imminutos, & procellosi temporis adversitas non sinebat iterum adunari dispersos. Sed licet in unum generaliter colligi per idem tempus Hispanorum omnium præsulum societas nequivisset; sparsis tamen sedibus atque locis, præfatas gestorum regulas pertractandas suscepimus, susceptas perlegimus, approbantes in his de utrarumque Jesu Christi Filii Dei differentia naturarum, quo gemina in eo voluntas, & operatio prædicatur, recti dogmatis sensum, inculpandæ disputationis edictum, Apostolicæ traditionis stylum. Deinde capite quarto. *Placuit proinde illo tunc tempore Apostolicæ defensionis nostræ responsis satisfacientes Romano Pontifici, ea ipsa gesta firmare. nostræque fidei sensum purissima verborum enodatione depromere.* Hæc de gestis ab Hispaniarum Episcopis, cum soluto jam præcedenti concilio, synodalia acta synodi sextæ recepissent.

Jesu Chr. an. 684.

4. Tunc vero in unum iterum congregati, eadem acta synodalia sua auctoritate, & subscriptione confirmarunt, ac in singulas provincias missa, ut ubique in provincialibus conciliis reciperentur, eisque ceteri quoque Episcopi subscriberent, quin etiam *salubri divulgatione in agnitionem plebium transeant*, ac tandem subdunt: *Post Chalcedonense igitur concilium, hæc debita honore, loco, & ordine collocanda sunt, ut cujus glorioso themate fulgent, ei & loci & ordinis coaptentur honore*. Post Chalcedonensem vero synodum, huic sextæ locum dederunt, quintam prætereuntes, non quod eam abjicerent, sed eo quod, uti supra non semel adnotavimus, in quinta synodo de personis præcipue actum est, nullumque fidei decretum vulgatum fuit; de proposita deinde quæstione capite 8. 9. & 10. agentes, synodi sextæ sen-

Hispaniæ Episcopi synodi acta confirmant.

JESU CHR. AN. 684. tentiam de duabus in Christo operationibus & voluntatibus, secundum duarum in ipso naturarum proprietates, subscriptione sua Toletani Patres confirmarunt, quorum primus, & synodi præses Julianus urbis regiæ, seu Toleti Metropolitanus subscripsit, deinde ceteri Episcopi, & absentium legati; & Abbates, ut ibidem videre est, pag. 1284.

Justinianus & Heraclius Constantini Imp. filii, a Benedicto Papa adoptati.

5. Hoc etiam anno, Constantini Imp. ultimo, de Benedicto Pontifice hæc narrat Anastasius: *Hic una cum clero & exercitu suscepit mallones capillorum dominorum Justiniani, & Heraclii filiorum clementissimi Principis, simul & ejus jussionem, per quam significabat eosdem capillos direxisse*. Hæc Anastasius, per mallones cincinnos intelligens capillorum: μαλλός enim Græce, idem quod Latine, vellus. Quid autem hoc significaretur symbolo, ex Pauli diaconi loco possumus intelligere, qui hæc ait: *Circa hæc tempora Carolus Princeps Francorum Pipinum filium suum ad Luidprandum direxit, ut ejus (juxta morem) capillum susciperet. Qui ejus cæsariem incidens, ei pater effectus est, multisque eum ditatum regiis muneribus genitori remisit*. Hæc ipse, ex quibus eam his temporibus videas consuetudinem viguisse, ut per ejusmodi exhibitionem capillorum quis alicui offerretur in filium, & qui eos acciperet, patris nomen consequeretur. Sic igitur pius Imperator voluit, ut filii sui scirent, se Romanum Pontificem peculiarem habere parentem, cujus monitis impensius parere deberent, eumdemque ut patrem diligere, ac revereri. De ritu tondendi pueros & adultos, nonnulla adnotat Mabillonius in præfatione ad partem primam seculi 3. benedictini, & Ducangius differt: 22. ad Sumvillum, qui sane mos ab ethnicis ad christianos transiit, ii etenim tum primam barbæ rasuram, cum capillorum primam tonsuram Diis suis offerebant. Francos vero usque ad hæc tempora intonsam detulisse comam ex Agathia eodem loco adnotat Mabillonius. Extantque in ordine Romano plures orationes ad capillaturam incidendam, & ad puerum tonsurandum, ab iis diversæ, quæ in clericorum tonsura adhibebantur.

Hiberni ab Anglis vexantur. Beda lib. 4. 26.

6. Hoc etiam tempore, quin hoc eodem anno Dominicæ Incarnationis 684. ut narrat Beda: *Ecgfridus Nordhumbrorum Rex, misso in Hiberniam cum exercitu duce Berto, vastavit misere gentem innoxiam, & nationi Anglorum semper*

per amicissimam, ita ut nec Ecclesiis quidem, aut monasteriis manus parceret hostilis. At insulani & quantum valuere armis arma repellebant, & invocantes divinæ auxilium pietatis, cœlitus se vindicari continuis diu imprecationibus impostulabant: Et quamvis maledici regnum Dei possidere non possint, creditum tamen est, quod hi, qui merito impietatis suæ maledicebantur, ocyus Domino vindice pœnas sui reatus luerent. Siquidem anno post hunc proximo, idem Rex, cum temere exercitum ad vastandam Pictorum provinciam duxisset, multum prohibentibus amicis, & maxime beatæ memoriæ Cutberto, qui nuper fuerat ordinatus Episcopus, introductus est (simulantibus fugam hostibus) in angustias inaccessorum montium, & cum maxima parte copiarum, quas secum adduxerat, extinctus, anno ætatis suæ quadragesimo, regni autem quintodecimo, die decimotertio Kalendarum Juniarum. Et quidem (ut dixi) prohibuerunt amici, ne hoc bellum iniret, sed quomodo anno præcedente noluerat audire reverendissimum Patrem Ecgbertum, ne Scotiam nil se lædentem impugnaret, (vocat auctor Scotiam Hiberniam) *datum est illi ex pœna peccati illius, ne nunc eos, qui ipsum ab interitu revocare cupiebant, audiret. Ex quo tempore spes cœpit & virtus regni Anglorum fluere, ac retro sublapsa referri. Nam & Picti terram possessionis suæ, quam tenuerunt Angli, & Scoti, qui erant in Britannia, & Britonum quoque pars nonnulla, libertatem receperunt, quam & hactenus habent per annos circiter quadraginta sex.* Hæc de his quæ in Anglia, & Hibernia, hoc & sequenti anno contigerunt, ex quibus patet anno 731. Anglorum historiam eum scripsisse, nam ab anno proximo 685, ad annum 731. quadraginta sex anni intercurrunt.

Jesu Chr. an. 684.

7. Dum hæc in Northumbriæ Regno agerentur: Cuthbertus Lindisfarniensis Episcopus ordinatus est, etsi Vilfridus, ut alias supra diximus, inde ejectus, a Romana synodo absolutus in Angliam rediisset, at tantum absuit, ut eum in Eboracensem sedem redire permiserit Ecgfridus Rex, ut etiam decedentibus, qui substituti fuerant, Episcopis, vocato in Northumbriam Theodoro Dorovernensi alios substituere jusserit. Hinc Theodorus Regis voluntati obsequutus, synodum hoc anno coegit, de qua Beda de Sancto Cuthberto verba faciens, hæc adnotat. *Contigit ut congregata synodo non parva, sub præsentia Regis Ecgfridi, juxta fluvium*

Cuthbertus Lindisfarnensis Episcopus ordinatur.

Beda lib. 4. 28.

 Alnæ

JESU CHR. AN. 684. *Alnæ &c. cui beatæ memoriæ Theodorus Archiepiscopus præsidebat, uno animo omniumque consensu ad Episcopatum ecclesiæ Lindisfarnensis eligerentur*: Nempe Sanctus Cuthbertus, qui tunc in suo monasterio vivens, vix inde abstrahi passus est, collum tamen oneri & honori submittere compulsus ait Beda, *peracta hyeme, quæ imminebat, in ipsa solemnitate Paschali, completa est Eboraci* (Cuthberti ordinatio) *sub præsentia præfati Regis Ecgfridii*, eademque in vita Cuthberti, idem narrat Beda.

S. Audoenus Rothomagensis Episc. pacem inter Francos, & Austrasios conciliat. *Pag. not.* 18. *&* 19. *an.* 684. *Mabill. Annal. Bened. tom.* 1. *pag.* 568.

8. Hoc vel elapso anno 683. ut Pagius, & Mabillonius adnotant, Audoneus, cujus supra mentionem fecimus, vivere desiit, cum ecclesiæ Rothomagensi annos quadraginta tres, menses aliquot, magna cum laude præfuisset. Hoc tempore, cum pacem inter Francos, & Austrasios, quæ interrupta fuerat, reintegrasset, Clipiacum transierat, Dheodorico legationis suæ rationem redditurus, ubi febre correptus nono Kal. Septemb. decessit. *Orta erat discordia inter Francos & Austrasios*, ait auctor vitæ Audoeni. *Vir beatus componendæ pacis causa Coloniam venit. Ubi cum martyrum monumenta perlustrasset, atque suo more reliquias ex eorum monumentis ablatas secum cum magno honore asportaret, obvium habuit mutum quemdam, qui jam annis undecim nullum cuiquam verbum fudisset. Permisit autem Dominus tot annis illum sic permanere in famuli sui Audoeni honorem, ut per eum facultas ei loquendi restitueretur, & diu tacens lingua in Christi laudes erumperet. Ille autem muto vir Dei signum Crucis impressit, caput ejus consignans, moxque loquutus est lingua diu tacens. Tum vero inter discordes populos instaurato pacis fœdere, inde discedens in Austriam, Virdunum pervenit. Cum autem in ejus urbis Ecclesiam ingrederetur, mulier quædam dæmoniaca vexari cœpit miserabiliter, frendensque dentibus in virum Dei rapido cursu invehebatur. At vir beatus manu caput ejus stringens, illico dæmonium ejecit, sanamque illam parentibus reddidit.* Hæc sunt, quæ proxime ejus præcessisse obitum Deus voluit, post alia multa antea miracula edita, quibus ejusdem transitus, veluti divinis sanctitatis testibus, illustraretur.

S. Audoeni obitus, cui Ansbertus succedit.

9. De ejusdem autem obitu, ejusque in sede Rothomagensi successore, hæc vitæ auctor addit. *Res palatii administrante Varatone subregulo* (seu majore domus) *apud Vil-*

Villam Clipiacum ubi tam vir beatus de pace inter Francorum populos constituta nuncium attulerat, jam longevæ ætatis senio confectus, in morbum incidit. Appropinquabat enim dies optatus, quo cupiebat dissolvi, & esse cum Christo, terraque relicta, penetrare cælos, & videre jam facie ad faciem, quod in ænigmate jampridem vidisset. Cumque febribus corpus attenuaretur, & obitum suum jam imminere cerneret, obsecrabat Dominum, ut suas oves idoneo pastori committeret. Denique hortabatur Regem, ut Abbatem Ansebertum sibi faceret successorem, quod & factum est. Postremo fusis ad Dominum precibus, gregem sibi creditum illi devote commendavit, atque ita spiritum reddidit in manus Creatoris, cælestibus choris sociandum, & gloria sempiterna paradisi fruiturum. Hactenus de Audoeni transitu idem auctor, qui de funere ejus, & miraculis tunc editis plura addit. Inter cetera cum corpus ejus efferebatur: *Rex cum Regina, & Episcoporum conventus, atque Major domus, seu priores Palatii pariter congregati virum in feretro deportantes sanctasque reliquias celebrantes . . . cumque usque ad pontem Inisæ* (seu Isaræ) *vigilias celebrantes pervenissent, noctem totam in Domini laudibus peregerunt*; iis vero ad propria reversis, *conventione facta plurimorum Episcoporum, unacum venerabilium Sacerdotum, & clericorum multitudine, seu illustrium virorum, beatum corpus humeris deportantes, apud civitatem suam Rothomagum, in basilica B. Petri Apostoli sepelierunt*. De die obitus Audoeni, aut quo ejusdem reliquiæ translatæ sunt, multa quidem post Cointium adnotat Pagius; Diu tamen in his chronologicis tricis inmorari instituti nostri ratio, & brevitatis propositum non patitur, adnotare nobis sufficit Audoeni memoriam die 24. Augusti singulis annis renovari, eique Ansbertus Fontanellensis Abbas, sicuti Audoenus exoptaverat, successit, vir genere, moribus, & sanctitate præcessori suo æqualis, aut vix dissimilis.

JESU CHR. AN. 684.

Pag. not. 20. 21. 22. *an.* 684.

Martyrolog. Ro. 24. *Aug.*

JE-

Jesu Chr. an. 685.

JESU CHRISTI an. 685. Joannis V. Papæ 1.
Justiniani Imp. 1.
Bertharidi Italiæ Regis 15.

Benedicti 2. gesta, & scripta ad Hispaniæ Episc.

1. Benedicti Pontificis, & Constantini Imperatoris obitus, hunc Christi annum 685. lugubrem reddidit, de reliquis tamen Benedicti 2. Pontificis gestis, & scriptis nonnulla adnotanda sunt, quem hoc anno ad Episcopos Hispaniæ scripsisse constat, eosque admonuisse, ut quædam corrigerent, quæ in eorum scriptis litteris Romam missis legerat, in quibus quæ decreta fuerant de fide catholica in sexta CP. synodo confirmabant, qua de re in actis synodi Toletanæ decimæquintæ æra 726. idest anno 688. hæc leguntur. *Post hujus igitur piæ confessionis prolatam devotis vocibus regulam, ad illa nos illico convertimus contuenda capitula, pro quibus muniendis, ante hoc biennium, beatæ memoriæ Romanus Papa Benedictus, nos litterarum suarum significatione monuerat. Quæ tamen non in scriptis suis annotare curavit, sed homini nostro, verbo renotanda injunxit, ad quod illi, jam eodem anno sufficienter congrueque responsum est*. Cum etenim, ut supra adnotavimus, Leo secundus acta sextæ ad Hispaniæ Episcopos misisset, ut iis subscriberent, ac per Hispaniam vulgarent, ii vero soluta jam synodo Toletana 13. propter hyemis acerbitatem in unum tunc convenire non possent. *Illo tempore Apostolicæ defensionis responsis satisfacientes Romano Pontifici ea ipsa gesta firmare*, satis habuerunt, ut in Toletana synodo 14. anno proximo celebrata testati sunt Patres, Julianus interea Toletanus Episcopus post Toletanam synodum 13. Leonis litteris acceptis cum actis sextæ synodi *Apologeticæ defensionis responsum* vulgavit, quod a synodo Toletana 14. probatum fuit, ac per omnes Hispaniæ provincias vulgatum, ac ad Benedictum Pontificem miserunt, in quo cum Benedictus Papa nonnulla subobscure dicta, aut minus caute de perdificili, de qua agebatur quæstione de duabus in Christo voluntatibus, & operationibus invenisset, non arguendo, sed admonendo, neque scripto, sed per ejusdem Apologetici latorem, seu *homini nostro verbo renotanda injunxit*, idest ut eadem clarius exponerentur, Hispaniæ Episcopos rogavit, cui Julianus Epi-

Episcopus Toletanus alterum digessit Apologeticum librum, quo subobscuras in altero edito apologetico sententias explicavit. Quæ autem essent theses, quæ explicatione indigebant, in synodo Toletana numero 16. anno 688. habita congregati Episcopi, his verbis referunt. *Nos tamen nunc eamdem renotationem hominis nostri studiosius relegentes invenimus, quod in libro illo responsionis fidei nostræ, quem per Petrum regionarium Romanæ ecclesiæ miseramus, id primum capitulum jam dicto Papæ incaute visum fuisset a nobis positum, ubi nos secundum divinam essentiam diximus, voluntas genuit voluntatem, sicut & sapientia sapientiam, quod vir ille incuriosa lectionis transcursione præteriens existimavit hæc ipsa nomina, idest relativum, aut secundum comparationem humanæ mentis nos posuisse. Et ideo ipsa renotatione sua ita nos admonere jussus est, dicens: Naturali ordine cognoscimus, quia verbum ex mente originem ducit, sicut ratio, & voluntas: & converti non possunt, ut dicatur: quia sicut verbum, & voluntas de mente procedit, ita & mens de verbo aut voluntate: & ex ista comparatione visum est Romano Pontifici voluntatem ex voluntate non posse dici. Nos autem non secundum comparationem hanc humanæ mentis: nec secundum relationem, sed secundum essentiam diximus: Voluntas ex voluntate, sicut & sapientia ex sapientia: hoc enim ex Deo esse, quod velle, hoc velle, quod sapere. Quod tamen de homine dici non potest. Aliud quippe est homini id quod est sine velle, & aliud velle etiam sine sapere. In Deo autem non est ita, quia simplex ita natura est, & ideo hoc est illi esse quod velle, quod sapere. Quapropter qui potest capere voluntatem ex voluntate secundum essentiam nos dixisse, non de hujusmodi laborabit proposita quæstione: quod etiam in jam dicto responsionis & fidei nostro opusculo legentibus & intelligentibus claret &c.*. Atque in ejusdem rei confirmationem multa addunt, quæ in scholis tractari solent.

JESU CHR. AN. 685.

JulianiTolet. Episc. apologia ad Benedictum.

2. In expositione autem secundi capituli, fusiores adhuc sunt Toletani Patres, cum etenim tribus substantiis Christum constare dixissent, utpote Deum, & hominem, humanamque quoque in duas substantias, quibus homo constat, anima scilicet, & corpore, distinxissent, ne forte inde, juxta numerum substantiarum tres quoque in Christo, voluntates, & operationes nu-

Secundi capituli de tribus in Christo substantiis explicatio.

Jesu Chr. an. 685.

numerarentur, ut hæc etiam dilucidius exponerent, Benedictus Papa eos admonuerat. Quare Hispaniæ Episcopi, hæc adnotarunt. *Ad secundum quoque retractandum capitulum transeuntes, quo idem Papa incaute nos dixisse putavit, tres substantias in Christo Dei filio profiteri, sicut nos non audebit, quæ sunt vera defendere, ita forsitan quosdam pudebit, quæ vera sunt ignorare &c.*, ut qua ratione hæc a se dicta fuerint, pluribus persequuntur, ac sacræ Scripturæ auctoritatibus, & sanctorum Patrum, Augustini præcipue, & Cyrilli testimoniis recte se loquutos fuisse probant, ut ibidem videre est. His duo alia capitula fuisse adnotant, quæ exactiori explicatione Benedicto Pontifici indigere visa fuerant, at quænam ea fuerint, ignoramus, hoc unum Toletani Patres observare contenti, quod eadem, *Non solum sensum, sed & ipsa pene verba ex libris beatorum Ambrosii, atqua Fulgentii nos prælibasse monstravimus, quibus ea prædictos viros dogmatizasse scimus*. Eorumque auctoritate securos se esse profitentur, sed de his hactenus.

Theophanes Episc. Antioch. moritur.

3. Ad extrema quoque Benedicti Pontificis gesta hæc spectant, quæ acta concilii Nicæni secundi de eodem referunt: Eum scilicet egisse, ut Macarius Antiochenus olim Episcopus, ac ob Monotheliticam hæresim in ordinem redactus, ac Romæ exul, in eam sedem, post Theophanis Episcopi obitum, hoc anno restitueretur, si tamen hæresim ejurare voluisset; at pertinax homo contempsit: *Petrus studiosissimus Presbyter & Apostolicæ sedis Hadriani Papæ vicarius dixit; & Romæ quoque extorris erat Macarius, a sancta synodo sexta damnatus, verum piæ memorationis pater noster Benedictus deliberandi spatium per triginta dies illi concessit, & quodam tempore Bonifacium consiliarium ad eum misit, quo verbis admonitione plenis ex sacra scriptura illum instrueret, verum ad meliorem mentem haudquaquam perduci potuit. Id autem Pater beatus ob id egit, quo illum rursus in pristinum statum reciperet.* Hæc acta Nicænæ synodi secundæ de Benedicti 2. Pontificis gestis.

Benedicti Papæ obitus & epitaphium.

4. Exactis vero in Pontificatu mensibus decem, cum diebus duodecim, Benedictus Papa, hoc anno e vivis abiit, sepultusque est ad Beatum Petrum *die octava idus Maii*, ait Anastasius, qua die Martyrologio Rom. memoria ejus reco-

recolitur, utpote qui *consummatus in brevi*, *explevit tempora multa*, qui etiam ut idem Anastasius narrat, ecclesiis Romæ plurima donavit, donariisque exornavit: *clerum quoque diversis ordinibus in die sancto Paschæ* honoribus ampliavit; *& dimisit omni clero*, *& monasteriis*, *Diaconiis*, *& mansionariis auri libras triginta*; cujus etiam laudes epitaphium ejusdem sepulchro sculptum celebrat his versibus.

Magna tuis Benedicte Pater monumenta relinquis
Virtutum titulos o decus atque dolor
Fulguris in speciem mentis splendore coruscas,
Plura sed exiguo tempora cœpta fluunt.
Cuncta Sacerdotum præstantia munia comples,
Et quo quisque bono claruit unus habes &c.

Joannes Papa quintus ordinatur.

5. Post Benedicti obitum *cessavit Episcopatus menses duos, dies* 15., ait Anastasius, in ejusque locum Joannes hujus nominis quintus ordinatus est, cujus laudes his verbis Anastasius commemorat. *Joannes natione Syrus*, *ex provincia Antiochia*, *ex patre Cyriaco*, *vir fuit valde strenuus*, *ac scientia præditus*, *& in omnibus modis moderatus*. *Hic post multorum Pontificum tempora*, *vel annorum*, *juxta priscam consuetudinem*, *a generalitate in Ecclesia Salvatoris*, *quæ appellatur Constantiniana*, *electus est*, *atque exinde in Episcopium introductus*. *Hic*, *dum esset Diaconus*, *missus est a sanctæ memoriæ Agathone Papa in regiam urbem cum aliis sacerdotibus*, *repræsentans locum Apostolicæ sedis in sancta sexta Synodo &c.* Paulo post vero: *Secum*, inquit, *detulit præter alia etiam divales jussiones*, *revelantes annonæ capita patrimoniorum Siciliæ & Calabriæ non pauca*, *sed & præceptum frumentum similiter*, *vel alia diversa*, *quæ Ecclesia Romana annue minime sufficiebat persolvere*. *Hic consecratus est a tribus Episcopis*, *Ostiense*, *Portuense*, *Veliternense*, *sicut prædecessor ejus Leo Papa*. Hucusque Anastasius, reliqua de eodem Pontifice inferius.

Constantini Imp. obitus, cui Justinianus succedit.

6. Non multo post Benedicti Pontificis obitum, Constantinus Pogonatus dictus Imperator vivere desiit, hoc anno indictione 14. ait Anastasius, cum annos septemdecim imperasset, ut narrant historici, Imperiique successorem re-

Jesu Chr. an. 685.

liquit Justinianum filiorum maximum, cujus Imperii initia fausta fuerunt; temporis tamen lapsu in deterius cuncta abierunt, ut Theophanes Cedrenus, & Nicephorus adnotant, *Reliquit Imperii successorem Justinianum filium*, ait Nicephorus in historia, *qui jam sexdecim annos attigerat, atque hic Imperium nactus, quæ a parente suo de pace, ac reliqua Reipublicæ ordinatione constituta fuerant, omnia pervertit.* Initio Imperii sui cum Seracenis pacem Justinianus firmavit, quam Romano Imperio infaustam fuisse cum Theophane adnotant historici Græci, de qua ad annum sequentem hæc narrat Theophanes. *Abimelech firmandæ pacis ergo ad Justinianum legatos misit.* His autem conditionibus pax inita est, ut Imperator Mardaitarum agmen e Libano prorumpens comprimeret, & impediret eorum excursiones: Abimelech vero in singulos dies mille nummos aureos, & equum, & servum Imperatori penderet, & uterque Princeps justa & æquali portione Cypri, Armeniæ, & Iberiæ vectigalia inter se dividerent. Imperator Paulum Magistrianum confirmandæ pacis causa ad Abimelech delegavit, cautioque in scriptis coram testibus facta est. Quare Magistrianus honorifice exceptus ad Imperatorem revertit, & misso edicto Mardaitas ad duodecim millia Imperator, Romanam potentiam eo facto mutilaturus, alibi transferendos jussit; quas enim civitates in montium cacuminibus sitæ, quæ ab Arabibus occupatæ sunt a Mopsuestiæ termino ad quartam usque Armeniam cunctæ munimentis infirmæ & habitatoribus vacuæ existebant. Mardaitas porro eosdem ac Maronitas fuisse supra adnotavimus. Unde innumeræ calamitates, & adversa quævis in Romanam ditionem ab ea die in hanc usque horam *Arabum opera inundaverunt*, ait idem Theophanes.

Justiniani pax cum Seracenis Romanis noxia.

Alcfridus Ecgfrido Regi succedit. Cantuariorum Rex Lotherus moritur.

7. Anno proximo Egfridii Northumbriæ Regis bellum adversus Pictones, seu Hibernos susceptum narrantes, diem ultimum ibidem clausisse diximus, cui Alcfridus frater ejus successit. *Quo anno*, ut ait Beda, *qui est ab Incarnatione Dominica 685 Cloteri Cantuariorum Rex, cum post Ecgbertum fratrem suum, qui novem annis regnaverat, ipse duodecim annis regnasset, mortuus erat, octavo idus Febr., vulneratus namque est in pugna Australium Saxonum, quos contra eum Edrir filius Ecberti adgregarat, & inter medendum defunctus est, ac post eum idem Edric anno uno, & dimidio*

midio regnavit, quo defuncto Regnum illud per aliquod temporis spatium Reges dubii, vel externi disperdiderunt, donec legitimus Rex Victred, idest filius Ecberti confortatus in regno, religione & industria gentem suam ab extranea invasione liberaret. Hæc Beda de Regum in Anglia successione usque ad annum 690. quo Victred regnare cœpit. JESU CHR. AN. 686.

8. Hoc etiam anno Kentuinus Occidentalium Saxonum Rex mortuus est, ut ex Anglis historicis probat Pagius, quem tum ob virtutem bellicam, christianamqne pietatem illustrem fuisse scimus, eòque defuncto, *venit Cedwalla ad Regnum*, ait Hantindoniensis pag. 318. Cedwallam, porro, ut Regnum occuparet adjuvit Vilfridus Cantuariensis Episcopus, de quo supra sæpe sermonem fecimus, ut in ejus vita capite 40. narrat Eddius. At de Cedwalla, qui hoc anno patri successit, ejusque gestis infra redibit sermo. Kentuini Regis obitus, eique Cedvualla succedit. *Pag. not. 12. an. 685.*

JESU CHRISTI AN. 686. CONONIS PAPÆ 1.
JUSTINIANI IMP. 2. BERTHARIDI REGIS ITALIÆ 16.

1. Cum Joannes Papa quintus Romanam sedem annum unum, dies novem vel decem tenuisset, hoc anno, die secunda Augusti mortuus est, eademque die sepultus est apud B. Petrum Apostolum, *& cessavit Episcopatus menses duos, dies decem octo*, ait Anastasius, qui ad ea, quæ de Joanne Papa supra adnotavimus, hæc etiam refert. *Hic post multorum annorum curricula propter transgressionem ordinationis Ecclesiæ Turritanæ in Sardinia, quam sine auctoritate Pontificis fecerat Citonatus Archiepiscopus Calaritanus, pro eo, quod antiquitus ordinatio fuit sedis Apostolicæ, & ad tempus concessa fuerat ipsius ordinatio eidem Ecclesiæ, postmodum protervia faciente Archiepiscoporum, præcepto Pontificum ab eadem ordinatione suspensi sunt juxta determinationem sanctæ memoriæ Martini Papæ, & facto Concilio sacerdotum, novellum Episcopum, qui ab eodem Archiepiscopo ordinatus fuerat, sub ditione sedis Apostolicæ reintegravit, atque firmavit: quorum chirographum archivio ecclesiæ retinetur. Qui sanctissimus vir diutina infirmitate detentus est, ut etiam vix ordinationem sacerdotum explere potuisset. Hic dimisit omni clero, monasteriis, Diaconiis, & mansionariis solidos* Joannis quinti Papæ obitus. *Anast. to. 1. pag. 146.*

 mille

JESU . CHR. AN. 686. *mille nongentos: Fecit autem Episcopos por diversa loca numero tredecim.*

Conon Pontifex eligitur & ordinatur. 2. Cum autem post Joannis quinti obitum Romana sedes mensibus duobus, diebus decem & octo viduata remansisset, die vigesimaprima Octobris, quæ Dominica erat, Conon Pontifex electus, aut ordinatus est, in cujus electione clerum, & populum, & exercitum in diversas abiisse sententias refert Anastasius. Cononem porro patria Thracem, ac in Sicilia educatum fuisse, postremo Romanæ ecclesiæ Presbyterum adnotat is auctor, in cujus electione: *Dum ad Episcopatum quæreretur, non minima contentio facta est, eo quod Clerus in Petrum Archipresbyterum intenderet, exercitu insequente ejus Presbyterum Theodorum. Et Clerus quidem adunatus ante fores basilicæ Constantinianæ sustinebat, eo quod qui missi fuerant de exercitu ad custodiendas regiæ basilicæ valvas observabant, & neminem ingredi permittebant. Exercitus autem omnes in basilica sancti Stephani protomartyris similiter fuerant adunati, & neque illi clero consentiebant, neque clerus exercitui acquiescebat pro supradictis Presbyterorum personis. Sed dum missa ab utrisque partibus responsa irent diutius & redirent, & nihil proficerent ad concordiam, sacerdotes & clerus unanimiter ingrediuntur in Episcopium Lateranense, & elegerunt, & demonstraverunt tertiam personam suprafati Pontificis Cononis, in quo vere aspectus Angelicus, veneranda canities, sermo verus, provecta ætas, simplex animus, quieti mores, religiosa vita, qui numquam se in causis, actibusque secularibus immiscuerat. E vestigio autem omnes Judices una cum primatibus, exercitus pariter ad ejus salutationem venientes, in ejus laudem simul omnes acclamavere. Videns autem exercitus unanimitatem cleri, populique in decreto ejus subscribentium, post aliquot dies & ipsi flexi sunt, & consensere in personam prædicti sanctissimi viri, atque in ejus decreto devota mente subscripserunt; & Missos*, nuncios videlicet, *pariter una cum clericis & ex populo ad excellentissimum Theodorum Exarchum (ut mos est) direxerunt*: Hæc Anastasius.

An Exarchi consensus in electione Rom. Pontificis fuerit exquisitus. 3. Cum autem nuncios ad Theodorum Exarchum de Cononis electione, ut mos erat, missos fuisse narrat Anastasius, an pro consensu exquirendo in Romani Pontificis electione missi fuerint, vel potius honoris gratia, ut ipse quo-

quoque electum a Romano clero, & populo Pontificem agnosceret, ac veneraretur, inquiri solet, cum etenim Constantinus Pogonatus, paucis ab hinc annis, liberam esse voluerit Romani Pontificis electionem, eumque non expectato Imperatoris consensu ordinari permiserit, Justinianum ejus filium, datam libertatem tam cito revocasse, ita ut Exarchi saltem consensus ante ordinationem Pontificis expectandus esset, vix verosimile redditur. Hinc nequaquam ad consensum expetendum ad Theodorum Exarcham, Ravennam missos fuisse nuncios post Cononis electionem, sed ad eam tantummodo significandam, adnotat Cennius; Baronius tamen, Pagius, aliique plurimi, ad Exarchum Ravennæ degentem, electi Romani Pontificis confirmationem ab Justiniano delegatam fuisse scribunt, quæ sane sententia, sua probabilitate non caret, ac ex gestis in electione Romanorum Pontificum hujus, & sequentis seculi vero propior redditur. Hinc ad rem adnotat Baronius, factum, ut schismata facile conflarentur, cum dissentiente sæpe Romano clero in Pontificis electione, Pontificatum ambientes muneribus, aliisque officiis Exarchum sollicitabant, ut ambitioni eorum faveret, sicuti in Cononis Pontificis electione accidisse anno proximo diximus. Inter Cononis gesta, hæc quoque recitat Anastasius. *Hic suscepit divalem jussionem Domini Justiniani Principis, per quam significat reperisse acta sextæ synodi, & apud se habere, quem piæ memoriæ Dominus Constantinus genitor ejus Deo auxiliante fecerat: quam synodum promisit ejus pietas illibatam & inconcussam perenniter custodire, atque conservare*. Hoc quidem Justiniani decretum Conon accepit, at Joanni, quem adhuc CPoli superstitem esse credebat Imperator, anni proximi initio, inscriptum erat, eoque a se ipso, a Metropolitis, & Episcopis qui in urbe Regia erant, a Senatu, & Palatinis, ac militaribus officialibus per totum Orientalem etiam orbem sparsis, eamdem sextam synodum iterum subscriptam fuisse narrat. Data vero est Imperialis jussio 13. *Kal. Martias CPoli in Imperiali Domo, piissimoque & perpetuo Augusto Justiniano Imp. anno secundo*, & post CSS. ejus anno secundo indict. 15.

Justinianus Imp. synodum sextam confirmat.

4. Diu tamen in veritate non stetit Imperator Justinianus, si vera narrat Nicolaus Papa primus in epistola ad Michaelem Imp., Orientalibus Imperatoribus exprobrans, quod

Justinianus fidei proditor evadit.

Jesu Chr. an. 686. quod Romanis Pontificibus sæpe adversati fuerint, quorum legatos, aut in prævaricationem impulerant, aut in exilium ejecerant, aut supplicio affecerant. Ac Antecessores ejus, *per tot curricula diversarum hæreseon morbis languentes, medicinale remedium non quæsierunt, quin potius medicinam sponte sibi porrectam, quasi desperati, vel quasi cor impœnitens gerentes, ab ipsis faucibus projecerint, dum tantæ salutis oblatos ministros duplici modo interemerunt, quoniam aut participes illos sui erroris effectos occiderunt, sicut tempore reverendæ memoriæ Cononis Papæ contigit, qui post sextam synodum extitit*, aut occiderunt, sicuti legatis Gregorii secundi accidisse refert, quos in exilio obiisse addit. De hac tamen legatorum Cononis Papæ prævaricatione, neque apud Anastasium, aut aliunde mentio occurrit. At Nicolai Pantificis tanta est auctoritas, ut in dubium hæc revocari vix possint.

Conon Papa Constantinum Rom. ecclesiæ Diaconum, Antiochenæ ecclesiæ Episcopum ordinat.

5. Inter plurima a Canone Papa præclare gesta, id tamen reprehensione dignum in eo fuisse adnotat Anastasius, dum præter consuetudinem, *absque consensu cleri Romani, ex immissione malorum hominum* Constantinum Rom. Ecclesiæ Diaconum, & rectorem patrimonii Siciliæ, in Antiochenum Episcopum ordinavit, *hominem perperam*, seu perversum, *& tergiversutum*, seu tergiversorem, *cui Pallio od caballicandum uti licentiam concessit*, contra receptum scilicet morem, ut pallio in solemnioribus tantum festis, & dum divina celebrantur mysteria, Patriarchæ uterentur, at cum factiosus homo omnia turbaret, a judice provinciæ in arctam custodiam retrusus est, ait Anastasius: Antiochenam ecclesiam ob Theophanis obitum pastore viduatam fuisse, anno proximo diximus, ad eam vero regendam Macarium Antiochenum anteà Episcopum, & a synodo sexta damnatum, ac Romæ exulem, restituere cogitaverat Benedictus Papa secundus, dummodo Monothelitarum hæresim ejurare voluisset, at cum is obstinatus in hæresi tuenda persisteret, in eam redire non potuit. Quare Conon Constantinum Diaconum ad eam ecclesiam regendam misit, meliora de eo fortasse sperans.

Kilianus in Franconia evangelium prædicat.

6. Cononis vero Pontificatum Kiliani Apostolatus illustravit, qui accepta ab eodem evangelium ad gentes prædicandi potestate, in Franconiam transiens, eam gentem cum Rege eorum ad fidem convertit, & Virtburgensem, seu Herbipolensem ecclesiam instituit, Kiliani vitæ duæ circumferun-

runtur, primam eamque fusiorem, qua usus est Baronius, Canisius edidit, alteram breviorem, & ut verosimile est, sinceriorem, Mabillonius vulgavit; ex hac, ut paucis rem complectamur, scimus Kilianum Scotia seu Hibernia natum & educatum fuisse, qui cum humanis divinisque litteris excelleret, fidei dilatandæ zelo incensus, cum sociis aliquot, ex Scotia in Franciam Orientalem, seu Franconiam transiit, ac oppidum Virtzburg, seu Herbipolis ingressus, ubi Lozbertus Dux cum populo suo Idolis adhuc serviebat. Quare Kilianus cum sociis Romanum iter ingressus, Cononem Joanni successisse invenit, ab eoque honorificentissime exceptus, evangelium in Franconia prædicandi potestatem accepit, quem etiam Episcopum ordinatum fuisse narrat interpolator vitæ ejus. Herbipolim itaque reversus, ibique multo cum gentis ejus fructu evangelium prædicans, Gosbertum Ducem, unacum populi maxima multitudine baptizavit, ac ut in suscepta fide perseverarent, hortatus est; At non multo post, idest anno 689., ut ibidem dicturi sumus, pro eadem fide Kilianus sanguinem fudit, ac martyr occubuit.

Jesu Chr. an. 686. *Canis. antiq. lect. tom. 4. Mabill. acta ord. Bened. secul. 2.*

7. Cum non parvus Hæbreorum numerus in Hispaniarum provinciis hac ætate esset, antiquam perfidiam non solum sequentes, sed etiam non sine aliquali fidelium christianorum scandalo, aut periculo tuerentur, ad eorum temeritatem retundendam, aut ad Christi fidem revocandos, Julianus Toletanus Episcopus tres adversus Judæos libros edidit, eosdemque hoc anno editos fuisse, in fine libri tertii his verbis indicat. *Nunc*, inquit, *acclamatur æra*, Hispanica, *septingentesima vigesima quarta*, *emensis igitur* 38. *annis*, *ex quo æra inventa est*, *usque ad nativitatem Christi*, *residui sunt* 686. *anni*, & iterum paulopost. *Ab initio Mundi usque ad Christum computatos diximus quinque mille tercentos vigintiquinque annos*, *quibus si addantur anni ab Incarnatione Domini* 686. *usque ad præsentem diem*, *idest quando serenissimus Princeps Ervigius Imperii sui videtur habere annum septimum*, *computati sunt sex mille & undecim anni*. Hæc Julianus Dionysianam æram sequens, quam in Hispaniis hoc tempore in usu fuisse patet, quam etiam in Anglia usurpatam fuisse hac ætate, Bedæ historia, si cetera deessent, demonstrat, atque inde paulopost, & octavi seculi initio in Galliis quoque receptam fuisse scimus.

Julianus Tolet. Episc. libros tres adversus Hæbreos vulgat

8. Etsi

Jesu Chr. an. 686.

Vectis insula in Anglia Christi fidem suscipit. Cedvalla Australium Saxonum Regnum recuperat.

8. Etsi christiana fides in insulis Britanniæ longe lateque diffusa esset, nonnulla tamen alicubi idolorum superstitio adhuc vigebat, in montibus præcipue asperitate sua imperviis, aut insulis a continenti remotis, cujusmodi erat Vectis insula, quæ hoc tempore, dum a Cedvvalla Rege subjugata est, Christi fidem suscepit. Qua ratione id acciderit, Beda his verbis narrat; Cedvalla Regii sanguinis princeps, qui post patris obitum factiosorum conspiratione in exilium actus fuerat, *Gevisorum Ethelvaldum Regem Australium Saxonum improvise cum exercitu superveniens, interfecit, sed mox expulsus est a Ducibus Regis Bertuno, & Aethelhuno, qui deinceps Regnum provinciæ tenuerunt*, paulopost, cum Regnum iterum occupasset Cedvalla, non solum retinuit, sed etiam novis insulis auxit, unde iterum Beda: *Postquam Cedvalla Regno potitus est Gevisorum cœpit & insulam Vectam, quæ hactenus erat tota idolatriæ dedita, ac tragica cæde omnes indigenas exterminare, ac suæ Provinciæ homines pro his substituere contendit, voto se obligans, quamvis nondum regeneratus (ut fertur) in Christo, quia si cepisset insulam, quartam partem ejus, simul & prædæ, Domino daret. Quod ita solvit, ut tam Vvilfrido Episcopo, qui tunc forte de gente sua superveniens aderat, utendam pro Domino offerret &c. Hoc ergo ordine, postquam omnes Britanniarum Provinciæ Christi fidem susceperant, suscepit & insula Vecta*.

Vilfridus Episcopus a Cedvalla Rege honorifice exceptus.

9. Atque in ejusdem insulæ conversionem, non modicam operam locasse Vilfridum Episcopum, sua sede adhuc exulem, ab Cedvalla honorificentissime exceptum, ejusdem vitæ auctor Edius his verbis narrat. *Regnante Cedvalla, occisis & superatis inimicis ejus, totam Vexeisenam*, (seu Saxoniam Occidentalem) *regionis monarchiam tenens, statim sanctum Vilfridum Episcopum nostrum, gentilem populum Southsexum* (idest Australium Saxonum) *bene ad Dominum convertentem, & nomen Domini per se magnifice glorificantem, patrem suum venerabilem, & super omnes charissimum ad se venire humiliter accessivit, jam jamque sancto & venerabili patre nostro veniente, Rex Cedvalla in omni regno suo excelsum consiliarium mox illum composuit*. Rex autem Cedvalla paucis ab hinc annis Romam profectus, baptismate suscepto, ibidem mortuus est, ut anno 689. dicturi sumus.

10. An-

Theodorus Cantuar. Episc. cum Vilfrido reconciliatur.

10. Antequam vero Britannia excedamus, de Vilfridi cum Theodoro Cantuariensi Episcopo reconciliatione agendum est, quam hoc eodem tempore factam fuisse, in Vilfridi vita narrat Eddius Stephanus: Vilfridum porro Anglia & Episcopatu exulem supra vidimus, atque in suam sedem ab Agathone Pontifice, & Romana synodo restitutum fuisse diximus, ad suam nihilominus ecclesiam, resistente sibi Alfrido Rege, & Theodoro Cantuariensi, redire nequaquam potuit; at stimulante tandem conscientia, Theodorus cum jam ætate grandævus esset, mortique appropinquaret, cum eo reconciliatus est, ut his verbis narrat supracitatus auctor vitæ Vilfridi capite 41.: *Eodem quoque tempore Theodorus gratia Dei Archiepiscopus auctoritatem Apostolicæ Sedis, a qua missus erat, metu agitante honorificans, cum Beato Vilfrido Episcopo nostro diu exule spoliato, vere amicitiam inire diutius moratus non distulit. Nam cum Theodorus Archiepiscopus in senecta uberi* (annum scilicet agens LXXXV.) *frequenti infirmitate anxiatus est, ad Lundoniam Civitatem Vilfridum & Ereenvvoldum* (seu Erchenvvaldum, vel Earchonvvaldum Londoniensem Antistitem) *suos Episcopos ad se invitavit. Venientibus autem illis, Archiepiscopus sapienter totius vitæ suæ cursum cum confessione coram Domino pure revelavit dicens: Et hoc maxime scrupulum me premit, quod in te, Sanctissime Episcope, commissi, consentiens Regibus, sine causa peccati propriis substantiis spoliantibus te, & mærentibus subjectis tuis in longum exilium exterminantes (heu prob dolor) omnis mali. Et nunc confiteor Domino, & Sancto Petro Apostolo. Et vos, Sancti Episcopi mei, testes estote, ut cunctos amicos meos Regales & Principes eorum ubique ad amicitiam tuam, pro remissione peccati mei, per omnem modum volentes nolentesque constringens attraho. Scio enim post hunc annum appropinquantem vitæ meæ terminum secundum Domini revelationem, & ideo adjuro te per Dominum & Sanctum Petrum mihi consentire, ut in sedem meam Archiepiscopalem superstitem & hæredem vivens te constituam, quia veraciter in omni sapientia & in judiciis Romanorum eruditissimum te vestræ gentis agnovi.* Litteras etiam dedit Theodorus ad Alfridum Northumbriæ Regem, & ad Ethelredum Regem Merciorum, & ad alios, quos antea adversus Vilfridum excitaverat, eos adjurans, ut *propter timorem Domini,*

Jesu Chr. An. 687.

ni, præceptaque Apostolicæ sedis Præsulum, Agathonis scilicet, Benedicti, Sergiique Rom. Pontificum, Vilfridum in suam reciperent amicitiam, suæque sedi & dignitati restituerent, quod & factum fuisse tum ab Ethelredo Merciorum Rege, cum ab Alfrido Northumbriæ, idem Eddius in ejus vita narrat; Theodori quippe litteris ad Ethelredum recensitis addit: *Quid plura dicam; postquam Ethelredus Rex propter auctoritatem beatissimorum Pontificum, Agathonis scilicet, & Benedicti, Sergiique præcipientium dignitatem Apostolicæ sedis, canonice libenter Pontificem nostrum suscipiens, multa monasteria, & regiones proprii juris reddens, habensque illum in summo honore dignitatis, usque ad finem vitæ fidelis amicus indesinenter perseveravit*. Eademque fere capite sequenti 42. de Alfrido Rege adnotat, quod etiam Beda confirmat. Eddius vero ait: *Sanctum Vilfridum Episcopum nostrum de exilio, secundo anno Regni sui, secundum præceptum Archiepiscopi*, (idest Theodori) *ad se invitavit, & primum cœnobium cum possessionibus adhærentibus in Hagustardense indulgens, & post intervallum temporis, secundum Beatissimi Agathonis Apostolicæ Præsulis, & sanctæ synodi judicium, propriam sedem Episcopalem in Eborica civitate, & monasterium in Rypis cum redditibus suis reddidit, expulsis de eo alienis Episcopis &c.* Quare uno aut altero ab hinc anno, cum jam Sergius Romanam sedem teneret, Eboracensem ecclesiam recuperasse Vilfridum, manifestum est; at quinquennio exacto, iterum exulare coactus est, subdit Eddius. *Quod tantum quinque annis in gaudio subjectorum suorum de exilio, sicut* Joannes *Apostolus & Evangelista Ephesum rediens, secure possedit.*

Beda lib. 5. 20.

JESU CHRISTI ANNUS 687. SERGII PAPÆ I.
JUSTINIANI IMP. 3. BERTHARIDI ITALIÆ REGIS 17.

Theodori Exarchæ obitus, cui Joannes succedit.

I. Cum Theodorus Exarcha hoc anno Ravennæ obiisset, ibique, teste Agnello in vitis Ravennatensium Episcoporum, sepultus esset, ad Italiæ administrationem Joannem Plathin Justinianus Imp. misit, ut in Sergio Pontifice ait Anastasius. Is vero Italiam ingressus, auri promissione corruptus, schisma in Romani Pontificis electione conflatum fovit, ac nonnisi ingenti centum librarum auri summa soluta, Ser-

Sergii Pontificis electionem confirmavit, ut in Cononis Papæ, & Sergii vita adnotat Anastasius, de quibus nunc agendum.

2. Cum itaque menses undecim, dies vigintitres Romanam sedem tenuisset Conon hoc anno vivere desiit. *Ad B. Petrum Apostolum die vigesimaprima mensis Septembris sepultus*, ut ait Anastasius, *& cessavit Episcopatus menses duos, dies* 23. moriens eamdem auri summam clero, & monasteriis donavit, quam Benedictus Papa reliquerat, post cujus obitum inter Theodorum Archipresbyterum, & Paschalem Archidiaconum, qui malis artibus ad Pontificatum viam sibi paraverat, schisma conflatum est, ut in Conone narrat Anastasius. *Cujus Archidiaconus videns eumdem Pontificem infirmitate constrictum, atque cupiditate ductus prædicti legati*, idest auri Clero, monasteriisque a Conone relicti, *quod necdum esset persolutum, scripsit Ravennam Joanni glorioso novo Exarcho atque promittens ejus dationem, si ad Pontificatum eligeretur*. Cononis Papæ obitus. Paschalis Archidiaconi improbi conatus.

3. Hac esca captus Joannes Exarcha, seu potius obcæcatus, *Demandavit suis judicibus, quos Romæ ordinavit, & direxit ad dispensandam civitatem, ut post mortem Pontificis, ejusdem Archidiaconi persona eligeretur*, cum itaque mortuus esset Conon Papa, *Romanus Populus urbis in duas partes divisus est, & una quidem pars elegit Theodorum Archipresbyterum, alia vero pars Paschalem Archidiaconum. Et quidem Theodorus Archipresbyter cum populo, qui ei favebat, præventens, interiorem partem Patriarchii tenuit: Paschalis vero exteriorem partem ab Oratorio sancti Silvestri, & basilica domus Juliæ, quæ super campum respicit, occupavit. Cumque nulus alteri locum cederet, sed utrique immaniter perdurarent, ut unus alium superaret, inito consilio primates Judicum, & exercitus Romanæ militiæ, & cleri plurima pars, & præsertim sacerdotum, atque civium multitudo ad sacrum Palatium perrexerunt, & diu pertractantes quid fieri deberet, qualiterve duorum altercantium electorum sopiretur contentio, Deo annuente, in personam denominati Sergii venerabilis tunc Presbyteri concordantes se contulere, eumque de medio populi tollentes, in Oraculum beati Cæsarii martyris Christi, quod est intra sacrosanctum suprascriptum Palatium, introduxerunt, & exinde in Lateranense Episcopium cum laudum acclamationibus deduxerunt. Et quamvis fores Pa-* Schisma inter Theodorum & Paschalem.

Jesu Chr. an. 687. *triarchii intrinsecus essent munitæ & clausæ, tamen pars, quæ prædictum venerabilem virum elegerat, quia & validior erat, prævaluit & ingressa est.*

Sergius Rom Pontifex eligitur.

4. Sergio itaque tanto consensu in Pontificem electo & in Patriarchium introducto, *Unus e duobus electis, idest Theodorus Archipresbyter illico quievit, ac se humiliavit, & ingressus denominatum sanctissimum electum salutavit, ac osculatus est. Paschalem vero nullo modo cordis duritia id facere sinebat, donec coactus & confusus, volens, nolens, suum dominum & electum ingressus salutaret. Qui etiam Paschalis clanculo non cessavit Ravennam suos mittere Missos, promissaque pecunia, vel aliis diversis donis, Joannem Patricium, & Exarchum cognomento Platyn, cum suis Judicibus, nemine sciente, Romam venire persuadere. Qui sic abdite venit, ut nec signa, nec banda cum militia Romani exercitus occurrissent ei juxta consuetudinem in competenti loco, nisi e propinquo Romanæ civitatis. Qui dum venisset, & omnes in personam Sergii sanctissimi invenisset consensisse, illi quidem suffragari non valuit: Ecclesiæ tamen beati Petri Apostoli idem Exarchus per ejusdem Paschalis miseriam, dispendium, & damnum intulit, quod ab eodem Paschale suprascripto Exarcho promissum fuerat, id est, centum auri libras a parte Ecclesiæ expetente, Sergio sanctissimo electo proclamante, quod neque promisisset dare, neque possibilitas suppeteret, & ut ad compunctionem animos videntium commoveret, cantharos, & coronas, quæ ante sacrum altare & Confessionem beati Petri Apostoli ex antiquo pendebant, deponi fecit, & pignori tradi, sed nec in hoc flexa est ejusdem Exarchi duritia, donec centum (ut dictum est) auri libras accepit. At licet (ut prædictum est) Ecclesiæ Christi adeo miserrimus Paschalis dispendium, & damnum inflixerit, tamen, Christo favente, Sergius Presbyter & electus in sede beati Petri Apostoli Pontifex ordinatus est, prædictus vero Paschalis non post multum tempus ab officio Archidiaconatus pro aliquibus incantationibus, & lucis, quos colebat, vel sortibus, quas cum aliis inspectoribus tractabat, Dei, beatique Apostolorum Principis Petri interveniente judicio, privatus est, & in monasterium retrusus, & post quinquennium præ cordis duritia impœnitens defunctus est.* Hucusque Anastasius de ingressu Sergii, atque diffidentium ejectione, quibus plane apparuit, haud levem esse eam sancta

ctæ Romanæ Ecclesiæ Apostolicæque Sedis persecutionem, quam a domesticis pati consuevit; Nam qui semel cœpit ipsius Redemptoris adhuc tempore cribrare discipulos Satanas, numquam dimisit amplius cribrum, quo simul collidens justos cum improbis, magna agitatione ipsam Ecclesiam turbare conatus est, sed malorum damno, lucro vero justorum; etenim ejusmodi ministerio, qui probati sunt, manifesti fiunt, reprobis seorsum ut purgamentis ejectis.

JESU CHR. AN. 687.

5. De Sergii autem vitæ institutione, & moribus, hæc Anastasius adnotat. *Sergius natione Syrus Antiochiæ regionis, ortus ex patre Tiberio, in Panormo Siciliæ; Hic veniens Romam a sanctæ memoriæ Adeodato Pontifice inter clerum Romanæ Ecclesiæ connumeratus est. Et quia studiosus erat & capax in officio cantilenæ piorum cantorum pro doctrina traditus est, & Acolytus factus, per ordinem ascendens, a sanctæ memoriæ Leone Pontifice in titulo sanctæ Susannæ, quæ ad duas domos vocatur, Presbyter ordinatus est. Hic tempore presbyteratus sui impigre per cæmeteria diversa Missarum solemnia celebrabat*. Hæc Anastasius de Sergio, quem hoc anno vigesima sexta mensis Decembris creatum esse Romanum Pontificem, ejusdem assertione manifestum est, quem etiam annos tredecim, menses octo, dies 23, Romanam ecclesiam administrasse addit, de cuius gestis infra dicturi sumus.

Sergii Papæ primordia, & vitæ institutio.

6. Hoc eodem anno 13. Kal. Aprilis mortuus est Cudbertus sanctitate in Anglia celeberrimus, Lindisfarnensis Episcopus, cujus vita ab infantia ad senectutem virtutibus micans, illustrata miraculis, nec obitu obscurari potuit, cujus gesta, & miracula prosequutus est Beda in historia Anglorum, & copiosius cum ejusdem vitam descripsit, seculo secundo benedictino insertam, sicuti apud Bollandum, ceterosque, qui Sanctorum vitas collegerunt: Gudberti corpus, curante Eadberto successore, *transactis sepulturæ ejus annis* undecim elevatum est, ait Beda, idest anno 698., & corpus ejus, quasi adhuc viveret integrum inventum est, *& non multo post, idest pridie nonas Maii* Eadbertus ad Dominum migravit, ait idem Beda in Cudberti vita capite duodecimo.

De obitu S. Cudeberti Episcopi, cui Eadbertus succedit.

7. Ex funeribus in funera revocamur, nam hoc quoque anno Ervigius Rex Hispaniarum, exactis in Regno annis septem, & diebus aliquot e vivis ereptus est, successoremque Ergicam generum suum habuit, cui filiam suam Cixilonem

Ervigii Hispaniarum Regis obitus.

Jesu Chr. an. 687. lonem in uxorem dederat; Sibi quippe timens Ervigius, qui Vamba vivente Regnum invaserat, Ergicam arcta cum Vamba cognatione conjunctum, tradita ei filia sua, sibi demereri curaverat, hisque gestis obiit. At Ergicas in Regem inauguratus, & die nona more majorum in Regem unctus, octavo Kal. Decemb. die Dominica, contra fidem datam, & juramento firmatam, Cixilonem Ervigii Regis filiam uxorem suam, ex qua Vitiza natus erat, repudiavit, & de Proceribus, quorum opera Vambas de Regno dejectus fuerat, supplicium sumsit, ait Mariana libro sexto capite 17.

Textriciana pugna, & Pippini Principatus, seu Majordomatus.

8. Ad hunc vero annum pugnam Textricanam, unde Pippini Principatus seu Majordomatus in tota Galliarum Monarchia, initium ducit, alligandam esse demonstrat, ac probat Pagius, aliique chronologi. Hanc pugnam, adversus Theodoricum Austrasiæ Regem, seu potius adversus Bertharium ejusdem Regis Majoremdomus Pippinus habuit, qua ad internecionem deletis Theodorici copiis, cum eorum Duce Berthario, totius Monarchiæ Galliarum Principatum, obtinuit, quod in successores etiam suos transmisit, ac Regibus relicto Regio nomine, ipse ejusque successores, sub nomine & dignitate Majoris domus, pro arbitrio omnia administrarunt, usque dum sequenti seculo, Pippinus alter, seu hujus nepos, cum regia potestate, nomen etiam invasit, exclusis omnino ab Regni successione Merovingiorum successoribus, ut suo loco dicturi sumus. De gestis hoc anno a Pippino, Erchambertus sequentis sæculi scriptor, qui Regum Francorum seriem, ac Majorum domus conscripsit, hæc adnotat. *Eo occiso*, idest Berthario, *Pippinus junior filius Andegisilli, veniens de Austrasiis, successit in Principatum Majordomus. Exin Regis nomen, non honorem habere cœperunt: Quibus tamen uti constitutum fuerat, victus erat exuberans, custodiaque jugis erga illos habebatur, ne aliquid jure potestatis agere possent.* Hinc factum est, ut ex hoc tempore regia potestas, non solum imminuta fuerit, sed penitus extincta.

JE-

JESU CHRISTI an. 688. Sergii Papæ 2.
Justiniani Imp. 4. Gvniberti Italiæ Regis:

Concilium Toletanum 15.

1. Sequitur Christi annus 688., quo in Hispania Toletanum concilium ordine decimumquintum celebratum est. Cui Episcopi numero 61. adfuerunt, per vicarios vero quinque, Abbates undecim, & Comites decem & septem. Cum etenim Ergicæ Regis causa tractanda in eo esset, frequens conventus adfuit. Cum igitur Rex pius, & religionis tenacissimus custos, ante susceptum regnum, duplici se obligatum intelligeret juramento, altero dato Ervigio de filiorum, atque uxoris ejus defensione, nec in eos quicquam damni inferri ab aliquo se passurum, altero, quod populo ex debito præstitisset de administranda illi justitia absque aliqua personarum acceptione, cum utrumque simul implere impossibile existimaret, neque alteri absque alterius dispendio satisfacere posse, consulendam Synodum statuit, quid esset sibi faciendum. Sic igitur hoc anno, qui & primus ejusdem Regis numeratur, Era septingentesima vigesima sexta, quinto idus Majas, cum in unum dicti convenissent Episcopi in Ecclesia Apostolorum Petri & Pauli, ipse Rex ingressus est in Synodum, petitionemque suam scriptis conceptam legendam tradidit. Sed antequam de ipsa agamus, qualis fuerit religiosissimi Regis ingressus in locum, ubi consessus aderat Episcoporum, ex ejusdem Synodi Actis hic describamus in exemplum Orthodoxorum Principum, hæc enim ibi leguntur.

Eginacis Regis digna sententia.

2. *Adfuit idem serenissimus Egica Princeps placida devotionis arce sublimis, & strenua culminis reclinatione laudabilis*; *quique in medio Pontificum positus, humoque prostratus, sacerdotum Dei se commendat orationibus. Deinde surgens, & sufficienti exhortatione Concilium allocutus, innexa tomo sui culminis vota Dei sacerdotibus tradidit relegenda*; erat ejus exordium: *Ecce beatissimi Patres*, &c. habetur integer ipse tomus Actorum initio positus. His acceptis, ex more Patres de iis, quæ ad fidem Catholicam spectant agere aggressi sunt, præmissaque ex sacrosanctis œcumenicis Conciliis Catholica confessione, ea, quæ ante biennium a Benedicto Romano Pontifice fuerant in suis ipsorum litteris adno-

JESU CHR. AN. 688.

adnotata examinantes, recte pieque atque ex Patrum sententia esse prolata docuerunt; uti jam supra anno 685., cum primum eadem agitata est quæstio, ut ad Benedicti Papæ dubia satisfecerent adnotavimus, quod iterum in hoc concilio plenius, atque enucleatius satisfacere conati sunt, uti ibidem videre est.

Juramentum Egicæ Ervigio Regi præstitum.

3. His porro a concilio gestis, ad dubia explicanda, quæ Egica Rex libello oblata, congregatis Patribus obtulerat, Patres transierunt. Duobus quippe juramentis sibi invicem adversantibus, se illigatum fuisse Egica conquerebatur. Itaque ad exactam cognitionem, juramenti verba Ervigio Regi, ab Egica præstiti lecta sunt, cujus hæc erat formula. *Circa cognatos meos, filios vestros, quos de gloriosa conjuge vestra, domina mea Leubigitone Regina progenitos habere videmini, tam charum me amicum in sincera mentis dilectione sine fraudulenta calliditate exhibere & esse polliceor, & ita cum eis in affectu dulcedinis & charitatis omnibus diebus vitæ meæ vivere spondeo, ut nec ipsos, nec partem eorum pro quibuslibet capitulis, aut ordinibus, vel occasionibus quoquolibet tempore inquietare aut stimulare debeam, nec ullum dolorem, ullamque malitiam in corde vel animo meo contra eos amodo & deinceps quandoque retinebo, aut excogitabo, neque aliquam occasionem aut argumentum enutribo, per quod aut præfata ancilla vestra, sponsa mea, sive jam nominati filii vestri, quod de toties dicta clementissima conjuge vestra domina mea Leubigitone Regina progeniti sunt, aut in maximum, aut in modicum conturbentur vel stimulentur, excepto propter justissimas causas, unde legalis mihi veritas patuerit, quas ut cum charitatis affectu ad eosdem cognatos meos quærere debeam, mihi licentiam reservo, & tam de promptissima dilectione & charitate eorum numquam recedam. Nam & pro causis eorum, quas aut ipsi contra quaslibet personas habuerint, aut si quicumque contra eos pro quibusdam rebus intenderint, ita usque quoad vixero, in eorumdem filiorum vestrorum adjutorium cum omni mentis meæ intentione, in quantum valuero, & Deus mihi dederit posse, exurgebo & intendebo, veluti si pro causa propria mea, ut nec illi damnum aut perditionem quamcumque sustineant, & negotia eorum cum Dei auxilio, me intendente, agente, & prosequente, celerem ad effectum perveniant.* Hactenus promissio ab Egi-

Egicane Ervigio facta, ac juramento firmata. His addidit, Rex se etiam præstito juramento populo ex more promisisse, justitiam se absque personarum acceptione cuique redditurum, neque contra justitiam quemquam esse læsurum. Quare cum res deducta esset ad Synodale judicium, eamdem promissionem, vel juramentum, quo filiis Ervigii Regis pollicitus fuerat se adversus omnes protectionem, atque defensionem præstiturum fore, servandam esse; ex altera vero parte, qua consultum fuit justitiæ, & obstructus fuerat aditus iniquitati, omnimodo servanda esse decreverunt, utpote congrua iis, quæ ipse populo juramento promisisset. Atque his in hunc modum Synodali sententia definitis, Episcopi, Abbates, & viri illustres subscripserunt, ac tandem: *Si quis his ipsis definitionibus contraire voluerit decima suarum rerum parte mulctabitur, excommunicationis insuper sententia ferietur*. sicque finem hæc synodus habuit.

Rothomagense concilium.

4. Ad hunc quoque annum 688. revocandum esse Rothomagense concilium, de quo anno 682. agit Baronius, adnotat Pagius, & post eum Mansius, qui ejusdem concilii acta, hactenus desiderata, ex manuscripto Beccensi, inter concilia Normandiæ a Patre Ressin relata, in maximam Conciliorum recentiorem Venetam editionem transtulit, cujus concilii canones sexdecim ad disciplinam ecclesiasticam spectantes extant, atque generale Galliarum hoc concilium dicitur, ab Ansberto Rothomagensi Episcopo congregatum, qui etiam synodo præfuit, cui Episcopi sexdecim subscripsere cum quatuor Abbatibus, quorum nomina acta exhibent, eademque Ansgradus monachus auctor vitæ sancti Ansberti Rothomagensis; ex quibus septem, ut adnotat Pagius, in Diœcesibus, quas tenuerunt, anniversaria memoria celebrantur. Inter hujus concilii canones, duo monasticam disciplinam spectant, quorum primo statutum est, ut *secundum S. Patris Benedicti regulam, & ut praecedentium Regum, Clodovei videlicet, & Clotharii, simulque Childerici, & Theodorici privilegiorum auctoritates docent, ex semetipsis sibi perennibus temporibus Abbatem eligerent*. Canone altero cautum est, ut si aliquando a regula S. Benedicti monachi recessissent, ab Episcopis in pristinum statum, regularemque observantiam revocarentur. Sed de his hactenus.

Berthari di Regis obitus cui Cunibertus filius succedit.

5. De anno Berthari di Regis ultimo, cum variæ sint eruditorum opiniones, ita ut Muratorius etiam, in rebus Ita-

JESU CHR. AN. 688. Italicis diligentissimus, cum ejus obitum ad hunc annum alligaverit, id tamen sibi certo non constare aperte tradat, cum alii ad annum 686., vel 87. referant, tota tamen via Baronium cum Pagio errasse adnotat, dum Bertharidi obitum cum anno 691, alligarunt, at immerito Pagius vapulat, qui ad annum 691. hæc adnotat. *Quare cum Bertharidus anno 671. Regnum inierit, mors ejus contigit anno sexcentesimo octogesimo octavo*. In eo itaque tantum peccavit Pagius, quod ad hunc annum Bertharidi mortem accidisse non adnotaverit, id ad Baronii locum notasse contentus: Quare cum teste Paulo Diacono, *Cum decem & octo annis & primum solus, & post cum filio Regnum tenuisset, ab hac vita subtractus est*. Paulo tamen supra decem, & septem annos tantum eum regnasse innuit, his verbis. *Igitur Bertharidus cum solus annos septem regnasset, octavo jam anno Cunibertum filium suum in Regno consortem adscivit, cum quo pariter per decem annos regnavit*. Sive itaque annos, 17. aut 18. Bertharidus regnaverit, hoc, vel anno proximo eum obiisse constat, *corpusque illius juxta basilicam Domini Salvatoris, quam Aripertus ejus genitor construxerat, sepultum est*, subdit Paulus Diaconus; cujus Regnum longo tempore pacificum & tranquillum fuisse, capite præcedenti adnotat, usque dum Alachis Tridentinorum Dux, Longobardicum Regnum temeritate sua, & rebellione turbavit, cujus rebellio tunc præcipue exarsit, cum Cunibertus solus regnare cœpit, uti mox dicturi sumus. In Bertharidi autem laudem cedit, quod in Vilfridi vita narrat Eddius capite 27.; eum scilicet sanctum Episcopum e Brittannia exulem, usque ad Apostolicam sedem proficiscentem honorifice excepisse, sicuti supra anno 877. adnotavimus.

Bertharidi Regis pietas commendatur.

Alachis dux adversus Cunibertum rebellis.

6. Cunibertus, itaque qui in Regno Longobardico sociatus fuerat, quique nonum aut decimum regni sui annum numerabat (nos tamen primum Regni ejus diximus, cum solus regnare cœpit) cum, inquam, patri successisset, adversus eum Alachis Tridentinorum Dux aperto marte rebellavit. Is ut narrat Paulus Diaconus, vivente adhuc Bertharido, novis studens rebus, Longobardicum turbaverat Regnum, cui Cunibertus ipse ne captus occideretur, quin ut Brixianum Ducatum obtineret, apud patrem mediator fuerat. *Reclamante sæpius patre, quod in suam hoc Cunibertus perniciem faceret*, & sa-

& sane exitus patris prædictionem confirmavit, nam mortuo vix Bertharido, *conceptam jamdudum iniquitatem parturiens*, ait Paulus, *annitentibus Aldone, & Grausone Brexianis civibus, sed & aliis multis ex Longobardis, oblitus tantorum beneficiorum, quæ in eum Rex Cunibertus impenderat, oblitus etiam jurisjurandi, quo ei se fidelissimum esse spoponderat, cum Cunibertus abesset, Regnum ejus, & Palatium intra Ticinum positum invasit*. Quare cum in apertum bellum res deducta esset, cum maxima Longobardorum strage, Alachis ipse interiit, unde Cunibertus Regnum recuperavit, ut pluribus narrat Paulus Diaconus, qui inter cetera adnotat, Alachim virum fuisse, non solum perduellem & crudelem, sed etiam in sanctos Episcopos, omnesque ecclesiæ ministros contumeliosum, ita ut cum Zeuonem quemdam Ticinensis ecclesiæ Diaconum occidisset, qui zelo quidem justitiæ, sed malo consilio, pro aliorum salute sese devovens, in aciem Cuniberti armatus in castra prodiisset, cum, inquam, hunc Alachis interfecisset, ac Diaconum esse cognovisset, adversus clericos omnes magis exasperatus, nefarium hoc votum edidit. *Tale nunc facio votum, quod si mihi Deus iterum victoriam dederit, unum puteum de testiculis impleam clericorum.*

7. Ita barbarus, animo ferus, religionis expers, immanitate protervus: Verum obstitit Deus, qui eum in visione perterruit. Nam ait Paulus: *Cum prope essent exercitus ipsi invicem sibi contrarii, & se utræque acies ad pugnandum contingerent, Cunipertus Rex ad Alachim iterata hæc verba mandavit: Ecce quantus populus ex utraque parte consistit, quid opus est, ut tanta multitudo pereat? Conjungamus nos, & ego singulari certamine, & cui voluerit Dominus de nobis dare victoriam, omnem populum salvum & incolumem possideat. Cumque Alachim sui hortarentur, ut faceret quod Cunibertus expetierat, ipse respondit: Hoc facere ego non possum, quia inter contos suos Sancti Archangeli Michaelis, ubi ego illi juravi, imaginem conspicio. Tunc unus ex illis: Præ timore, inquit, cernis quod non est, & tibi jam tarde est modo ista meditari. Conserunt itaque acies, perstrepentibus buccinis, & neutra parte locum dante, maxima populorum facta est strages. Tandem crudelis tyrannus Alachis interiit, & Cunipertus, adjuvante Domino, victoriam cœpit*. Hæc Paulus Diaconus, quibus de gestis hoc anno finem facimus.

Alachis contumeliosus in clericos dat pœnas.

Jesu Chr. an. 689.

JESU CHRISTI annus 689. Sergii Papæ 3.
Justiniani Imp. 5. Cuniberti Italiæ Regis 2.

Ceadvalla Anglorum Rex Romam profectus baptizatur, ibique obiit.

1. Magnum sane de mundi contemptu exemplum orbi universo Ceadvalla Occidentalium Saxonum in Anglia Rex hoc anno reliquit, dum non solum Christo nomen dedit, sed etiam abdicato Regno, Romam profectus est, ibique a Sergio Pontifice baptizatus, diem ultimum dum adhuc in albis esset, clausit; ut his verbis narrat Beda: *Anno autem Regni Aldfridi tertio Ceadvalla Rex Occidentalium Saxonum, cum genti suæ duobus annis strenuissime præesset, relicto Imperio propter dominum, regnumque perpetuum venit Romam &c.* Iter agens Ceadvalla cathechumenus, ac minorem Brittanniam transiens, Vilmarum Abbatem adiit, *Anno Incarnationis dominicæ* 688. ait auctor vitæ Vilmaris ad diem 20. Julii a Surio, & Bollando relata; *ut ab eo in fide Jesu Christi magis instrueretur, & confirmaretur*; In Italiam advertens perhonorifice ab Cuniberto Rege exceptus est. *His diebus*; ait Paulus diaconus; *Cedoaldus Rex Anglorum Saxonum, qui multa in sua patria bella gesserat, ad Christum conversus, Romam properavit, qui ad Cunibertum Regem veniens ab eo mirifice susceptus est*; deinde eum Romam profectum, ac a Sergio Papa baptizatum, octava baptismatis nondum exacta, sanctissime obiisse addit; sed de his Bedam audire præstat, hæc narrans. *Venit Romam, hoc sibi gloriæ singularis desiderans adipisci, ut ad limina beatorum Apostolorum fonte baptismatis ablueretur, in quo solo didicerat generi humano patere vitæ cœlestis introitum; simul etiam sperans, quia mox baptizatus, carne solutus, ad æterna gaudia jam mundus transiret: quod utrumque, ut mente disposuerat, Domino adjuvante, completum est. Etenim illo perveniens, Pontificatum agente Sergio, baptizatus est die sancto sabbati Paschalis, anno ab incarnatione Domini sexcentesimooctogesimonono, & in albis adhuc positus, languore correptus, duodecimo Kalendarum Majarum die solutus est a carne, & beatorum est consortio sociatus in cœlis. Cui etiam tempore baptismatis Papa memoratus Petri nomen imposuerat, ut beatissimi Apostolorum Principis, ad cujus sacratissimum corpus per longa locorum intervalla pio ductus amore venerat, etiam san-*

ctis-

ctissimum nomen referret, qui in ejus quoque Ecclesia sepultus est. Et jubente Pontifice, epitaphium in ejus monumento scriptum est, ut & memoriam devotionis ipsius fixa per sæcula maneret, & legentes quoque, vel audientes exemplum facti ad studium religionis accenderet. Scriptum est ergo hoc modo: Jesu Chr. an. 689.

Culmen, opes, sobolem, pollentia regna, triumphos,
Exuvias, proceres, mœnia, castra, lares,
Quæque patrum virtus, & quæ congesserat ipse,
Ceadwal armipotens liquit amore Dei:
Ut Petrum, sedemque Petri Rex cerneret hospes,
Cujus fonte meras sumeret almus aquas,
Splendificumque jubar radianti carperet haustu,
Ex quo vivificus fulgor ubique fluit.
Percipiensque alacer redivivæ præmia vitæ,
Barbaricum nomen & inde suum,
Conversus convertis ovans, Petrumque vocari
Sergius Antistes jussit ut ipse pater,
Fonte renascentis quem Christi gratia purgans,
Protinus ablatum vexit in arce poli.
Mira fides Regis, clementia maxima Christi,
Cujus consilium nullus adire potest.
Sospes enim veniens supremo ex orbe Britanni,
Per varias gentes, per freta, perque vias,
Urbem Romuleam vidit, templumque vovendum
Aspexit Petri, mystica dona gerens.
Candidas inter oves Christi sociabilis ibit:
Corpore nam tumulum, mente superna tenet.
Commutasse magis sceptrorum insignia credas,
Quem regnum Christi promeruisse vides.

Post versus hæc sequebatur inscriptio, qua & nota temporis ponebatur his verbis:

Hic depositus est Ceadvalla, qui et Petrus rex Saxonum sub die duodecimo Kalendarum Majarum Indictione secunda, qui vixit annos plus minus triginta imperante Domino Justiniano piissimo augusto, anno ejus Consulatus quarto, pontificante apostolico viro Domino Sergio Papa anno secundo: Cur vero Occidentalium potius Saxonum Rex, quam Anglorum Ceadvalla a Beda dictus sit, post Baronium quæstionem

Jesu Chr. an 689. nem agunt Anglici scriptores, eamque paucis verbis solvit Pagius adnotans, Occidentalium Saxonum Regem dictum fuisse; tum eo quod Saxones debellaverat, cum etiam, quia de regio Saxonum genere genitus erat, eumque Sanctum, cum auctore martyrologii Anglicani Baronius appellat; quem sane felicissimo exitu, e vivis abiisse dubitari non potest.

Kiliani, & sociorum; martyrium. 2. Kilianum a Conone Papa Episcopum ordinatum, cum sociis aliquot in Franconiam ad prædicandum Jesu Christi Evangelium transiisse diximus, atque ibidem Virtburgensem, seu Herbipolentem fundasse ecclesiam ante biennium, ideft anno 686. adnotavimus; cumque eam gentem, cum duce Gosberto ad Christi fidem convertisset, eamdem Christi fidem effuso sanguine hoc anno obsignavit, quo Kilianus Episcopus, Colomannus Presbyter, & Totnanus Diaconus martyrii coronam adepti sunt eadem ex causa, qua præcursor domini S. Joannes Baptista ab Herode capite minutus fuerat; Cum etenim Cosbertum ducem jam Christianum redditum admoneret sanctus Kilianus, eidem non ultra licere frui conjugio uxoris fratris sui, quam ante susceptam Christi fidem sibi conjunxerat, acerbissimum impuræ feminæ odium in se concitavit, cujus jussu Kilianus cum sociis occisus est; ut rem pluribus narrant acta eorumdem sanctorum ubi hæc habentur. *Nefanda mulier, de qua nobis est sermo* (Geila nomen illi erat) *callida meditatione perquirebat, quemadmodum sine populari strepitu & vulgi cognitione sanctos viros posset tollere e medio. Armabatur enim iræ impatientia, & libidinis furore, & quia Diabolus iniquæ cupientibus fomenta malitiæ subministrat, inventi sunt duo ministri crudelitatis ejus, qui promitterent se satisfacturos Geilæ desideriis, si munera darentur ipsis pro tanti perpetratione sceleris. Ita factum est, ut accepto nefandi operis præmio, voto responderint fœminæ crudelitatis. Solebat beatissimus martyr Kilianus post parvam dormitionem necessitatis, vigilare ad studium propensæ orationis. Quadam vero nocte cum leves caperet somnos, ita ut nec dormiret integre, nec vigilaret aperte, apparuit ei vir habitu, formaque pulcherrimus, qui diceret: Amice Kiliane, surge, nolo te diutius laborare, dumtaxat certamine tangeris, & sic victor jugiter mecum eris. His dictis, abscessit. Evigilans autem egregius vir, intelligens divinam esse visitationem, convocatis fratribus, inquit:*

quit: Fratres, vigilemus: cito aderit Dominus, & pulsabit januam. Cavendum nobis est, ne nos somno torpentes inveniat. Addamus oleum lampadibus, dum tempus est, ne si forte defecerit, tunc incipiamus quærere, quando non poterimus invenire. Illis itaque circa medium noctis orationi vacantibus, carnifices strictis gladiis locum, in quo orabant, penetrarunt. Quos cum sacer vir intuitus esset, ait: Amici, ad quid venistis? Vos implebitis præceptum, nos cursum consummabimus. His dictis, interfecti sunt, ibique terræ mandati, ne quis rem gestam scire posset. Vestimenta quoque, cum quibus divina peragebant officia, sacrique libri cum illis defossa sunt, ne quod indicium necis eorum extaret, sed clam discessisse putarentur causa solitæ peregrinationis.

Geila auctrix necis S. Kiliani, & sociorum.

3. His addit auctor actorum, religiosam quemdam matronam Burgundam, quæ juxta oratorium, ubi martyres obierant, cellulam habebat, recedentibus carnificibus, fusum sanguinem linteolis collegisse, ac sanctis corporibus occulte, ne Geilam offenderet, venerationem exhibuisse. Sanctorum suorum gloriam latere, ac in obscuro esse, Deus non permisit; *Nam unus eorum, qui sanctos viros gladio peremerat, subito a Dæmone arreptus, ingenti voce clamare cœpit: Kiliande, acriter me persequeris, igne enim consumor: Quod feci, celare non possum: Video imminere mihi gladium, tuo sanguine respersum. Talia diu vociferans, & propriis se dentibus lanians, a præsenti seculo migravit ad pœnas æternas. De talibus quippe scriptum est: Duplici contritione contere eos Domine. Alter vero cædis sanctorum conscius, in rabiem versus, gladio se petit, effusisque visceribus, per tormenta præsentis temporis ad æterna pervenit. Quisnam, Geila, tibi cernenti talia sensus tunc erat infelix? cruciatibus aucta furebas. Non multo post & ipsa bellua, de qua loquimur, a Dæmonibus arrepta, quanta poterat voce clamabat: Juste torqueor, quæ sanctis viris tortores adhibui: Recte crucior, quæ cruciatus illi paravi. Acriter instas Kiliane: ignem accendis Colamanne: tomenta ministras Totbnane. Sufficiat vobis vicisse: nimis vestras ulciscimini injurias. A calice Kiliane diceris: sed valde amara mihi pocula infundis. His dictis, miserabiliter vexabatur, ita ut a multis teneri vix posset. Tandem cum magno cruciatu ad cruciatus Diabolo paratos migravit.* Post impiæ autem feminæ obitum, Gos-

Ultio divina in Geilam, & in sacrilegos homicidas.

Jesu Chr. an. 689.

Gosbertum quoque ducem a servis suis interemptum fuisse, ejusque filium a Principatu dejectum addit auctor: Utrum eo quod a suscepta fide, post obitum sanctorum martyrum recesserint Gosbertus, & filius ejus, *Viderit ille, quem nullum latet secretum*, ait auctor; Martyres interea die octavo idus Julii anniversaria memoria in martyrologio Romano celebrantur, quorum Epitaphium sepulchro appositum, post Serrarium refert Baronius, ceterique scriptores, qui sanctorum gesta collegerunt.

Justinianus Imp. pacem cum Bulgaris frangit.

4. Justinianus vero Imperator, cum omnia a patre suo Constantino bene ordinata pervertere conaretur, pacem quoque cum Bulgaris initam dissolvit, *eisque concurrens primo vicit, post ab eis exceptus vix evasit*, ait Sigebertus in chronico ad hunc annum; Eademque Theophanes fusiori stylo. *Pacem quoque cum Bulgaris*, inquit, *firmatam solvit, foederum conditiones a patre concessas ipse perturbans, & omnino solvens*, hæc anno elapso; ad hunc vero annum. *Hoc anno Justinianus in Bulgariam & Thraciam eduxit exercitum, Bulgarosque sibi obviam cum armis factos tum primum repulit*, & excursionibus subinde factis, Thessalonicam usque pervenerat: at in reditu inter montium angustias circumseptus, *multis ex exercitu cum cæsis tum vulneratis, vix periculum superare, & in oppositam partem transire valuit*; ait idem auctor.

JESU CHRISTI an. 690. Sergii Papæ 4. Justiniani Imp. 6. Cuniberti Italiæ Regis 3.

Ecgbertus & Vitbertus in Frisia evangelium frustra prædicant.

1. Hoc Christi anno 690, ad Germanorum conversionem novos Apostolos divina clementia destinavit, Villebrodum scilicet cum sociis duodecim. Etsi enim in Borealibus iis regionibus evangelium alias prædicatum fuisse vero propius sit, nihilhominus tot bellorum cladibus adeo eæ regiones temporis tractu desolatæ fuerant, ac barbarorum incursionibus afflictæ, ut evangelica messis penitus excidisset, in aliis vero provinciis Christi nomen nuspiam fortasse auditum fuerat. Unde paganicæ superstitioni, Dœmonumque cultui gentes illæ inserviebant. Tantæ molis præcipuus architectus S. Ecbertus natione Anglus fuit, qui monasticam disciplinam in Hibernia excoluerat, ubi & sacris litteris egregie edo-

edoctus fuerat. Is tamen, qui inter Evangelicos operarios primum tenere locum optaverat, divinis deterritus monitis, cum mari se commisisset, exorta tempestate rejectus in patriam, huic profectioni sese subtraxerat, sociisque suis & præcipue Vigberto viro, propter contemptum seculi, & doctrinæ scientiam, insigni, qui multos annos Anachoreticam vitam in Hibernia transferat, cessit. *Eo tempore*, idest anno 690. ait Beda, *venerabilis & cum omni honorificentia nominandus famulus Christi & Sacerdos Ecgbertus, quem in insula peregrinam ducere vitam pro adipiscenda in cœlis patria retulimus, proposuit animo pluribus prodesse, idest inito opere Apostolico, verbum Dei aliquibus earum, quæ nondum audierant, gentibus evagelizando committere, quarum in germania plurimas noverat esse nationes, a quibus Angli, vel Saxones, qui nunc Britanniam incolunt, genus & originem duxisse noscuntur: unde hactenus a vicina gente Britonum corrupte, Germani nuncupantur, sunt autem Fresones, Rugini, Dani, Hunni, antiqui Saxones Boruchtuarii, sunt etiam alii perplures iisdem in partibus populi, Paganis adhuc viribus servientes ad quos venire præfatus Christi miles circumnavigata Brittannia disposuit, si quos forte ex illis ereptos Satanæ ad CHRISTUM transferre valeret: vel si hoc fieri non posset, Romam venire ad videnda atque adoranda beatorum Apostolorum, ac martyrum Christi limina cogitavit. Sed ne aliquid horum perficeret, superna illi oracula, simul & opera restiterunt*; Siquidem, ut addit Beda, cum cuncta ad navigandum parata essent, in visione Boisilum quemdam monasterii Mailrosensis præpositum Deus admonuit, ut Egberto diceret Dei voluntatem esse, ut ad Colombæ monasterium regendum pergeret, quod cum semel & iterum factum esset, nihilominus Ecgbertus meditatum iter ingredi tentavit. *Cum jam navi imposuissent, quæ tanti itineris necessitas poscebat, atque opportunos aliquot diebus ventos expectarent, facta est nocte quadam tam sæva tempestas, quæ perditis nonnulla ex parte iis, quæ in navi erant rebus, ipsam in latus jacentem inter undas relinqueret. Salvata sunt tamen omnia, quæ erant Ecgberti, & sociorum ejus. Tunc ille quasi propheticum illud dicens, quia propter me est tempestas hæc; subtraxit se illi profectioni, & remanere domi passus est. At vero unus de sociis ejus vocabulo Vil-*

Jesu Chr. An. 690. *Vilbertus cum esset & ipse contemptu Mundi, ac doctrinæ scientia insignis ascendit navim, & in Frisiam perveniens; duobus annis continuis genti illi, ac Regi illius Radbedo,* sive Radbedo, *verbum salutis prædicabat, neque aliquem tanti laboris fructum apud barbaros invenit auditores. Tunc reversus ad dilectæ locum peregrinationis &c.* idest ad suum, unde venerat in Hibernia monasterium, *ut quoniam externis prodesse ad fidem non poterat, suis amplius ex virtutum exemplis prodesse curabat* ait Beda.

Vilebrordus cum sociis Evangelium in Frisiam prædicant.

2. Cum hæc hactenus tentasset Ecgbertus, nec votis suis favisset Deus, animo nihilominus nequaquam excidit, quin in Frisiam Evangelii præcones mittere iterum tentavit, nec frustra, subdit eodem loco Beda. *Ut autem vidit Ecgbertus quia nec ipse ad prædicandum gentibus venire permittebatur ... nec Vitbertus illas deveniens in partes quidquam proficiebat, tentavit adhuc in opus verbi mittere viros sanctos & industrios, in quibus eximius Vvibrordus presbiterii gradu & merito præfulgebat. Qui cum illo advenissent (erant autem numero duodecim) divertentes ad Pipinum Ducem Francorum, gratanter ab illo suscepti sunt, & quia nuper citeriorem Fresiam, expulso inde Radbedo Rege, ceperat, illos eos ad prædicandum misit, ipse quoque imperiali auctoritate juvans, ne quis prædicantibus quidquam molestiæ inferret, multisque eos, qui fidem suscipere vellent, beneficiis attollens. Unde factum est, opitulante gratia divina, ut multos in brevi ab idololatria ad fidem converterent Christi.*

Evaldi Presbyteri pro Christi fide martyres *Beda lib. 5. 11.*

3. Interea horum exemplo excitati duo presbyteri, ait Beda, natione Angli, qui in Hibernia diu commorati fuerant, ejusdem nominis, idest Evualdi, quorum unus albus, niger alter dicebatur, ex diversa capillorum specie, cum in veterem Saxoniam ad prædicandum Christi evangelium transiissent, ibique a villico quodam perhumaniter excepti essent, non multo post, cum alienæ religionis eos esse barbari cognovissent, eosque orationibus assidue vacare, & sacrificium offerre, in furorem acti, utrumque crudeliter enecarunt, & Album quidem gladio occiderunt, Nigrum vero membratim per frustra conciderunt; eorumque corpora in Rhenum projecerunt, quorum mortem ipsorum Princeps ultus est, occisis ejusdem vici incolis; *Nec martyrio eorum cœlestia defuere miracula*, adnotat Beda, passi sunt au-

autem quinto nonas octobris, qua die eorum memoria martyrologio Romano celebratur, eorumque corpora inventa condigno martyribus honore sepulta sunt; at ubi hæc *gloriosissimus dux Francorum Pippinus comperit, adducta ad se eorum corpora condidit cum multa gloria in ecclesia Coloniæ civitatis juxta Rhenum*: Hucusque de duobus martyribus Beda, quæ quidem non multis abhinc annis accidisse constat, ac anno 695. eorum martyrium refert Pagius nota 4. anni 693.

Theodori Cantuariensis Episc. obitus, gesta, & scripta.

3. Hoc quoque anno magnum Britanniæ lumen extinctum est, Theodorus scilicet Dorovernensis seu Cantuariensis Episcopus, quem Vitalianus Papa, ut suo loco diximus, in Brittanniam direxerat. 13. Kal. Octobris obiit, annorum octogintaocto, quorum vigintiduos in Episcopatu transegerat. *Anno autem post hunc, quo Ceadvalla Romæ defunctus est, proximo, id est, sexcentesimo nonagesimo incarnationis Dominicæ, Theodorus beatæ memoriæ Archiepiscopus, senex & plenus dierum, id est, annorum octoginta & octo, defunctus est quem se numerum annorum fuisse habiturum, ipse jamdudum somnii revelatione edoctus, suis prædicere solebat. Mansit autem in Episcopatu annis viginti duo, sepultusque est in Ecclesia S. Petri, in qua omnium Episcoporum Dorovernen. sunt corpora deposita. De quo una cum consortibus ejusdem sui gradus recte & veraciter dici potest, quia corpora ipsorum in pace sepulta sunt, & nomen eorum vivet in generatione & generationes. Ut enim breviter dicam tantum profectus spiritales tempore præsulatus illius Anglorum Ecclesiæ, quantum, numquam antea potuere, cœperunt. Cujus personam, vitam, ætatem, & obitum, epitaphium quoque monumenti ipsius versibus heroicis triginta & quatuor palam ac lucide cunctis illo venientibus pandit, quorum primi sunt:*

Hic sacer in tumba pausat cum corpore Præsul,
Quem Theodorum nunc lingua Pelasga vocat.
Princeps Pontificum, felix, summusque sacerdos
Limpida discipulis dogmata disseruit.

Ultimi autem

Namque diem nonam decimam September habebat,
Cum carnis claustra spiritus egreditur:
Alma novæ scandens felix consortia vitæ,
Civibus Angelicis junctus in arce poli.

JESU CHR. AN. 690. Hæc Beda. Theodori autem memoria die 19. Septemb. martyrologio Romano inserta est, ac Cantuariensis sedes per duos fere annos vacavit, cum Berchualdus in ejus locum suffectus, ac a Sergio Papa Romæ ordinatus est, ut ait Anastasius, ac ad annum 692. dicturi sumus.

De libro pœnitentiali Theodori Episc. Cantuariensis.

4. Librum pœnitentialem Theodorus ex latinæ, & Grecæ ecclesiæ canonibus scripsit, quo antiquum pœnitentiæ rigorem ea ætate laxatum fuisse constat, ejusque exemplo quamplurimi passim pœnitentiales libros vulgarunt, in quibus quisque pro arbitrio pœnitentiæ ordinem, rigoremque mitigavit. Nullibi tamen integer Theodori liber vulgatus est, sed fragmenta tantum a Dacherio, & Petito edita. In conciliorum quidem collectione Labbeana, capitula centum viginti sub Theodori Cantuariensis nomine edita sunt, quæ eadem fere continent, quæ liber Pœnitentialis exhibet; At hæc capitula, sive a Dacherio, sive a Labbeo edita, Theodoro Cantuariensi adscribi certo non possunt, cum plurima contineant, quæ ecclesiæ disciplinæ aperte adversentur, aut etiam ecclesiæ dogmatibus vix consona contineant, ut cum exempligratia occulta peccata Deo confiteri sat esse ait, aut viris alteram uxorem ducere permittit, si uxor non solum adulterium perpetraverit, sed etiam si a marito recesserit, aut in servitutem & captivitatem inciderit. Hinc etsi multa ex Theodori pœnitentiali libro eædem collectiones contineant, multa etiam Theodori decretis addita fuisse patet, ita ut quæ Theodoro adscribenda sint, quæve addita in obscuro sit. Multa tamen ad illustrandam ecclesiæ disciplinam iis in collectionibus contineri, negari non potest, quæ sane lector curiosus adire potest, cum nonnisi longa oratione, ea etiam in compendium exponi possint.

Dacher. spicileg. tom. 9.

Benedicti Biscopi Abbatis obitus, & gesta.

5. Sicuti inter Episcopos hujus ætatis in Anglia fulsit Theodorus, ita inter monachos Benedictus Biscopus dictus, Abbas monasterii Viremunthensis, & Girvensis, qui hoc anno e vivis excedens, pridie idus Januarii ab ecclesia catholica recolitur. Is porro etsi in Anglia nobili genere natus esset; Ecclesiæ tamen Romanæ alumnus fuit, ibique monachalem vitam amplexus, ex Biscopo vocatus est Benedictus, de quo hæc in homilia post ejus obitum recitata narrat Beda. *Derelictis enim omnibus, secutus est Christum, quando spretis eis, quæ in ministerio regali acquisierat, vel acqui-*

acquirere valebat, cum esset nobilis natu, ad beatorum Apostolorum limina peregrinaturus advolavit; ut quia rudis adhuc in gente Anglorum fides, & Ecclesiarum institutio florebat, ibi potius perfectam vivendi formam sumeret, ubi per summos Christi Apostolos totius Ecclesiæ caput eminet eximium. Ibi ergo eruditus in Christo, illis in partibus attonsus, ibi est monasterialibus imbutus institutis: ibidem totum vitæ tempus erat exacturus, si non Apostolica domini Papæ probiberet auctoritas, qui eum propter ducendum in Britanniam sanctæ recordationis Archiepiscopum Theodorum in patriam redire præcepit. Sed quomodo postquam extruxit monasterium sicuti Romæ viderat, Romam iterum ejus disciplinæ causa rediit, atque rursus in Angliam reversus est, idem paulo inferius narrat, atque hæc addit: *Adeo ut ipso Papa Apostolicus ad profectum monasterii bujus, quod illum nuper fundasse gaudebat, Joannem illi Abbatem atque Archicantorem Romanæ Ecclesiæ (sicut charitas vestra bene meminit) in Britanniam Romæ deducendum præstaret, per quem idem monasterium morem canendi, ac ministrandi canonicum juxta ritum S. Romanæ atque Apostolicæ Ecclesiæ perciperet*, nec semel, & iterum ex Anglia Romam peregrinatus est, sed quinquies, nec umquam vacuus redibat, sed ut paulopost subdit Beda. *Quamdiu sospes erat corpore, pro gloria sanctæ Dei Ecclesiæ, & maxime pro hujus monasterii pace, bonore, & quiete semper laborare perstabat. Toties mare transiit, numquam (ut est consuetudinis quibusdam) vacuus & inutilis rediit, sed nunc librorum copiam sanctorum, nunc reliquiarum beatorum martyrum Christi munus venerabile detulit, nunc architectos Ecclesiæ fabricandæ, nunc vitrifactores ad fenestras ejus decorandas, ac muniendas, nunc cantandi, & in Ecclesia per totum annum ministrandi secum magistros adduxit: nunc Epistolam privilegii a Domino Papa missam, qua nostra libertas ab omni extrinseca incursione tutaretur, apportavit: nunc picturas sanctarum bistoriarum, quæ non ad ornatum solummodo Ecclesiæ, verum etiam ad instructionem intuentium proponeretur, videlicet, ut qui litterarum lectione non possent scire opera Domini, & Salvatoris nostri, per ipsarum contuitum discerent imaginem*. Hæc aliaque plurima in tanti viri laudem ibidem Beda, qui etiam res ab eo, tribusque ejus coabbatibus, & ab Huverberto eorum successore gestas duobus libris prosequutus est, ut

Jesu Chr. an. 690.

JESU CHR. AN. 690. ut apud Mabillonium sæculo 2. Bened. videre est, ubi vitam ejus refert.

Juliani Episc. Toletani obitus.

Bolland. die 8. Martii.

6. Hoc etiam anno S. Julianus Toletanus Episcopus vivere desiit, cujus vitam a Felice Toletano Episcopo, post Sisebertum Juliani successorem triennio post scriptam exhibet Bollandus, eaque diem, & annum obitus, ac annos quibus Toletanæ ecclesiæ præfuit his verbis describit. *Præsulatus honorem, & Sacerdotii dignitatem annis decem obtinuit, mense uno, diebus septem, quique etiam inevitabilis mortis præventus occasu, anno tertio Eginaci Principis, pridie nonas Martii, æra 728. diem vitæ clausit extremum.* Ordinatus itaque Toletanus Episcopus in locum Quirici defuncti, die 29. mensis Januarii anni 680. quæ Dominica fuit, labenti anno 690. pridie nonas Martii, seu die sexta e vita excessit, cujus memoria die octava tum ab ecclesia Toletana, cum in Romano Martyrologio, celebratur, qua die in ecclesia S. Leocadiæ virginis sepultus est, ut adnotat Pagius. In Toletana cathedra Sisebertum, seu Sisbertum successorem habuit, qui non multo post, ob ejusdem in Regem conjurationem, & rebellionem, Episcopali dignitate & honore dejectus, ac anathemate perculsus, perpetuo exilio damnatus fuit, ut anno 693. dicturi sumus, cui Felix scriptor vitæ Juliani successor datus est.

Juliani Tolet. Episcopi scripta.

biblioth. SS. Patrum tom. 12.

7. Non solum rebus præclare gestis, sed scriptis quoque inclaruit Julianus Toletanus Episcopus, quorum catalogum post ejus vitam exhibet Felix ejusdem post Sisebertum, in Toletana sede successor, ac supra Apologeticum ab eo ad Benedictum Romanum Pontificem, misisse adnotavimus, atque tres adversus Judæos libros vulgasse diximus; his vero Prognosticorum libri tres Idacio Episcopo inscripti addendi sunt, quorum primo quærit unde mors in homines sæviat. Secundo de animarum statu post obitum, usque ad tempus resurrectionis. Tertio de corporum Resurrectione agit, libro altero ad eumdem Idacium canonum, & legum auctoritate probat, illicitum christianis esse, infidelibus inservire, liber alter Adriano Abbati inscriptus remedia adversus blasphemias exhibet; sequitur liber de sex mundi ætatibus, cui epistolam ad Regem Ervigium præfixit, eoque Messiam Judæis promissum advenisse probat, quem Jesum Christum fuisse demonstrat. Inde collectio hymnorum, Epigram-

grammatum, & Epitaphiorum, & Sermonum sequitur, his addendus liber de locis sacræ Scripturæ, qui inter se contrarii videntur, tum in veteri, cum in novo testamento; chronicon deinde seu historia gestorum Regis Vambæ, ac tractatus de divinis judiciis Regi Ervigio inscriptus, alius adversus eos, qui homines ad ecclesiam confugientes vexant. Nec prætermittenda est collectio Missarum totius anni, quatuor partibus distributa, cui collectionem addidit orationum pro festivitatibus ecclesiæ Toletanæ. Ejusdem etiam extant SS. Patrum excerptæ sententiæ, & præcipue sancti Augustini, cujus lectioni continuo eum vacasse patet: Ex tot libris Juliani Toletani Episcopi, ab Felice ejusdem successore recensitis vix pauci supersunt, in S. Patrum bibliothecam relati, ut ibidem videre est, aut apud Cellierium, Dupinium, Caveum. Novissime vero quotquot extant in collectione SS. Patrum Toletanæ ecclesiæ Martii vulgata, inserta sunt. Jesu Chr. an. 690.

8. Ut in deterius Orientalis Imperii res ruerent, Justiniani Imp. imprudentia effecit, qui hoc anno, ut narrat Theophanes: *Compositam cum Abimelech pacem ex animi dementia solvit*. Diffidii vero causam inde sumpsisse Justinianum addit, quod pecuniam a Seracenis tributi loco pendi solitam, absque Imperatoris effigie obtulissent, ob quam causam eam cum Abimelech imagine recipere recusavit. Unde expertus est Oriens, quod ecclesiastes minatur. *Væ tibi terra, cujus Rex est puer*. Hinc inter utramque gentem, Romanos scilicet, & Seracenos bellum exortum est, quod Romanis infaustum fuit, ut sequentibus annis dicturi sumus. Justinianus pacem cum Seracenis initam violat *Theoph. chron. p. 304.*

9. His alia stultitiæ suæ indicia addidit Justinianus, *Cypri quippe incolas in aliam regionem transportare stolide, nulloque sano consilio meditatus est*, ait idem Theophanes, *Cypriorum subinde multitudo ingens, cum mare trajiceret, submersa est, pars etiam ingruentibus morbis jactata periit, reliqui Cyprum redierunt*. Ad hos namque spectat canon 39. sextæ synodi, seu quinisextæ his verbis conceptus: *Cum frater & comminister noster Joannes Insulæ Cypri Præsul una cum suo populo in Hellesponticam provinciam, & propter barbaricas incursiones, & ut a Gentilium servitute liberarentur, & Christianissimæ potentiæ sceptris pure subjicerentur, a prædicta insula emigraverit, clementis Dei providentia, & pii Dei-* Cypri ex insula migrare coguntur. *Theoph. ut sup.*

JESU CHR. AN. 690. *Deique amantis Imperatoris nostri labore, constituimus, ut citra ullam innovationem serventur, quæ a divinis Patribus, qui Ephesi convenerunt, prædicti viri throno privilegia concessa sunt, ut nova Justinianopolis* (ita appellata ab ipso Imperatore civitas ipsis tradita incolenda) *Constantinopolis jus habeat, & qui in ea constituitur in primis pius, ac religiosissimus Episcopus, præsit omnibus Hellespontiorum provinciæ Episcopis, & a suis Episcopis eligatur ex antiqua consuetudine, mores enim, qui sunt in unaquaque Ecclesia, divini etiam nostri Patres servandos censuerunt. Cyzicenorum civitatis Episcopo, prædictæ Justiniani civitatis subjecto existente, ad imitationem reliquorum omnium Episcoporum, qui subsunt prædicto Dei amantissimo Præsuli Joanni, a quo, cum usus postulaverit, etiam ipsius Cyzicenorum civitatis Episcopus ordinabitur*. Hæc sexta Synodus. Canon vero alter de aliis omnibus Episcopis eadem ex causa transmigrantibus ita sancitus est: *Quoniam diversis temporibus barbaricæ incursiones fuere, & ex eo plurimæ civitates ab iniquis, & exlegibus subjugatæ fuere, ut ideo non possit ejus civitatis Præsul, postquam ordinatus fuerit, suum thronum apprehendere, & in eo sacerdotali constitutione collocari, & sic pro ea, quæ invaluit, consuetudine ordinationes, & omnia, quæ ad Episcopum pertinent, agere & tractare: Nos honorem ac venerationem sacerdotio servantes, & gentilem injuriam nequaquam ad Ecclesiasticorum jurium perniciem posse quicquam agere volentes, eis, qui sic ordinati sunt, & propter prædictam causam in suis thronis non sunt constituti, ut absque ullo ex ea re præjudicio conserventur, decrevimus, ut & diversorum clericorum ordinationes canonice faciant, & Pontificatus auctoritate in proprio termino utantur, & sit firma ac legitima quæcumque sub eo procedit administratio. Non enim a tempore necessitatis, exacta juris conservatione circumscripta, dispensationis terminus circumscribetur*: Hæc ibi.

Abimelech Templum Mechæ ædificat, Gethsemanis columnas asportari jubet

10. Rupti cum Seracenis fœderis damna expertus est Justinianus, nam hoc eodem anno Abimelech Seracenorum Calipha Meccam Arabiæ felicis urbem, ubi Mahometis impostoris sepulchrum erat, sibi subjecit mense Octobri, ut scribit Helmacinus, ac de occupanda Africa consilium iniit, uti anno sequenti dicturi sumus. Interea cum Templum in urbe Meccha ædificare statuisset Abimelech. *Jamque sanctæ Gethse-*

Gethsemanes columnas tollere paratum, Sergius vir Christiana pietate conspicuus Mansur Logotheta generalis, & ipsi Abimelech summa necessitudine conjunctus, & Patricius quidam ejus collega, cognomento Clæsus, christianorum in Palestina degentium præstantissimus, ambo ne id faceret, deprecati sunt, polliciti se potius precibus suis cum Justiniano acturos, ut alias in eorum locum transmitteret, quod ita postmodum actum est, ait Theophanes pag: 305.

JESU CHRISTI AN. 691. SERGII PAPÆ 5.
JUSTINIANI IMP. 7. CUNIBERTI ITALIÆ REGIS 4.

Concilium Cæsar A ugustanum Juss. Eginacis Regis celebratur.

1. Hoc Christi anno 691. Æræ Hispanicæ 729., Eginacis Regis Hispaniarum anno quarto, Cæsaraugustanum concilium celebratum est, quo canones quinque editi sunt, quorum primo cautum est, ut nonnisi die Dominico, ecclesiarum consecrationes ab Episcopis fierent. Secundo ut Episcopi a Primatibus suis diem Paschatis inquirerent, ut omnes simul una die festum celebrarent. Tertio ne monasteria secularium diversoria fierent, & ne passim ab Abbatibus licentia daretur secularibus commorandi intra monasterii septa, jubetur; salvo tamen hospitalitatis jure, ut ibidem Episcopi adnotant. Canon quartus Episcopos admonet, ne libertos a prædecessoribus manumissos, in servitutem iterum revocarent, etiamsi infra annum libertatis adeptæ testimonium non exhibuerint. Quinto capite, Toletani concilii 13. canonem confirmant, quo cautum fuerat, ut Regum viduas nemo uxorem ducere, aut sordidis contactibus maculare auderet; quin additum est, ut Regum viduæ, seculari deposito habitu, religionis vestem sumerent, ac in virginum monasterio inclusæ, sanctimonialem vitam peragerent, ut de regno temporali, ad eternum pervenire mererentur, ac tandem Deo primum, deinde Regi, cujus jussu congregati fuerant, gratias agunt, ob id etiam quod populum suum: *Ab impensione tributi reddidit absolutum*.

Africana Seraceni occupant.

2. Cum vero, ut anno superiori diximus, Justinianus Imp. pacem cum Seracenis a patre suo firmatam violasset, ac *ex deportatis ex Asia Sclavis*, viros bello idoneos armis instructos ad triginta millia collegisset, *Eorum robori confidens, Arabibus scripsit, se pacis a se scriptæ conditionibus non*

Jesu Chr. an 692. *Theoph. pag.* 505.

non amplius stare posse, ait Theophanes, ingentique ex Sclavis, aliisque gentibus collecto exercitu, tamquam de victoria securus adversus Arabes profectus est; At eum non armis, sed auro Abimelech fregit, nam Sclavorum partem maximam auro corruptam in suas partes traxit, ut idem Theophanes adnotat, ac de Africæ invasione subdit. *Arabes impressione in Africam facta, armorum vi eam cæperunt, & ex proprio sibi exercitu præsidiarios milites in ea constituerunt*, quos inde paulopost Leontius, cum exauctorato Justiniano, Imperium invasisset, ejecit, at in eam cum majori exercitu revertentes Arabes tandem potiti sunt, ut uno in loco, etsi diversis temporibus gesta, commemorat Theophanes, de quibus infra redibit sermo.

Obitus Theodorici Regis Francorum eique Clodoveus 3. succedit.

3. In Galliis hoc anno Theodoricus Rex cum annos decem & novem regnasset, obiit, ætatis suæ anno 39., filios vero tres ex Chrotilde susceptos reliquit, Clodoveum scilicet tertium, qui patri successit, & Childebertum tertium, & Clotarium quartum, qui etiam temporis tractu Regnum obtinuerunt, ut suo loco dicturi sumus, atque hæc de Theodorici obitu summatim ex Pagio adnotasse sufficiant, ne in chronologicis hisce quæstionibus a Pagio, aliisque summa cum diligentia discussis diu immoremur.

JESU CHRISTI AN. 692. SERGII PAPÆ 6. JUSTINIANI IMP. 8. CUNIBERTI ITALIÆ REGIS 5.

De anno synodi Quinisextæ, seu Trullanæ.

1. De synodo Trullana, seu Quinisexta hoc anno acturi, plurimas de eadem inter eruditos agitari quæstiones adnotamus. Quarum prima est de anno, quo ea CPoli celebrata fuit, cujus epocha, ob verba canonis tertii in controversiam venit, quo hæc leguntur: *Matura concilii discussione præhabita, eos qui duobus conjugiis implicati fuere, & ad præteriti mensis Januarii diem 15. præteritæ quartæ indictionis anni sexies millesimi centesimi noni, peccati servituti obnoxios se voluere, nec ullo pacto resipiscere, canonicæ depositioni subjacere decrevimus*. Quare si huic canoni sua stat fides, ac canonis retinetur lectio, eamdem synodum anno elapso incœptam fuisse, dum quarta indictio in cursu esset, ac labenti per indictionem quintam prorogatam, ac finem habuisse patet; at Tharasius CP. Patriarcha, qui seculo

culo vix elapso, eam obtinuit sedem, quique hujus concilii acta sincera præ manibus habuisse verosimile est, aliam omnino huic synodo epocham statuit, ac a synodo Oecumenica sexta sub Constantino Pogonato anno 680, & 681. celebrata, quatuor tantum, aut quinque annos effluxisse diserte tradit, in synodo septima actione 2., eamque idcirco synodum cum anno 685. aut sequenti 686. conjungit: *Quidam*, inquit, *ignoratione languentes, scandalizantur in hos canones asserentes, puta sextæ synodi sunt? cognoscunt autem, qui hujusmodi sunt, quod sancta, & magna sexta synodus sub Constantino fuerit celebrata contra illos, qui unam voluntatem, & unam operationem dicebant in Christo, in qua hæreticis anathematizatis, & explanata fide, domum reversi sunt, decimoquarto anno Constantini*. His subdit: *Ergo post annos quatuor, sive quinque annos, iidem ipsi Patres convenientes sub Justiniano filio Constantini, præsignatos canones exposuerunt, & nemo dubitat de illis. Illi enim, qui subscripserunt sub Constantino, ipsi & sub Justiniano præsenti chartæ subscripserunt, ita & hoc manifestum sit ex eorum propriæ manus scripturæ immutabili similitudine*. Hactenus Tharasius.

Theophanis de synodi anno sententia. *Theoph. pag. 301.*

2. Cujus sententiam apertis verbis tamquam omnino falsam redarguit Theophanes seculi noni scriptor, ac uti stultam confutat his verbis. *Observandum hominum delirium mentis passorum instar in vanum eos nugari, qui scriptis suis celebratos sexti concilii, capitulares typos exactis postmodum annis quatuor editos affirmant, ut enim in plerisque mendacia effutire deprehenduntur, ita & in istis nihil sani, verique asserere, &c.* ac juxta exactam computationem, a synodo sexta, usque ad editos canones ejus nomine promulgatos aperte colliguntur anni vigintiseptem, ac anno secundo Imperii Justiniani, cum post Leontium, & Tiberium Apsimarum, Imperium recuperavit, eos editos fuisse canones scribit, ac proinde eam synodum ad annum 700., aut 701. alligat. Dum autem de hujus synodi anno Tharasii sententiam confutat, in graviorem ipse errorem, ex falsa computandi annos mundi ratione lapsus est, ut pluribus demonstrat post Baronium Pagius, ac ne aut Tharasii, aut Theophanis de hujus synodi anno sententiæ subscribamus, obstat Anastasii bibliothecarii auctoritas, dum eam habitam

JESU CHR. AN. 692. fuiſſe narrat, eo tempore, quo Sergius Papa Romanam regebat eccleſiam, cujus in eam rem geſta commemorat, ac præcipue, cum ejuſdem ſynodi canones, etſi ſæpius rogatus, recipere aut confirmare recuſavit, ut anno ſequenti dicturi ſumus. Quamobrem hoc anno eam ſynodum finem habuiſſe compertum eſt, cum præſertim Paulus etiam CP. Epiſcopus, qui huic ſynodo præfuit, anno ſequenti, e vivis ereptus, Callinico eam ſedem reliquerit.

De nomine & loco quo ſynodus habita eſt.

3. Trullana autem hæc ſynodus dicta eſt ex loco quo celebrata fuit in Trullo ſcilicet, ſeu cubiculo rotundo & concamerato Palatii imperialis, Quiniſexta vero etiam dicta, quaſi hæc fuerit ſupplementum ſynodorum quintæ, & ſextæ, in quibus cum de fide actum tantummodo fuiſſet, nullos ad diſciplinæ reſtaurationem, morumque correctionem canones ediderant, quod damnum, ut compenſarent Epiſcopi Orientales, ultra centum canones in hac ſynodo vulgarunt, ut in oratione ad ipſum Juſtinianum Imp. directa, qua de cauſa cur conveniſſent rationem reddentes, teſtati ſunt. Quam ſynodum, etſi Oecumenicam Græcorum plurimi dixerint, Erratica tamen a latinis paſſim dicta eſt, tamquam nullius auctoritatis, aut roboris. Erratica etiam a latinis dicta, eo quod nonnulla eccleſiæ traditionibus adverſantia, ac latinæ eccleſiæ moribus contraria præſumpſerit, ut in canonum expoſitione videbimus.

Balſamonis de ſynodo quinta commentum.

4. De eadem ſynodo Theodorum Balſamonem ſchiſmaticum hominem, & Schiſmaticorum patronum audire præſtat, hæc effutientem. *Cum*, inquit, *duæ univerſales ſynodi, Quinta ſcilicet, quæ fuit regnante magno Juſtiniano, & Sexta, quæ fuit regnante Conſtantino Pogonato, non fecerint Canones ad Eccleſiarum conſtitutionem, hæc facta eſt ad ſupplementum duarum. Propterea enim nec Sexta proprie nominatur, ſed πενθέκτη, ideſt, Quinſexta: nam quod Quintæ & ſextæ Synodo deerat, replevit: eſt autem etiam univerſalis. Etſi enim Occidentales Epiſcopi, Itali ſcilicet & Latini, ab hujus Synodi canonibus opportune icti, eam non eſſe univerſalem inſtiterunt, nec Romani Papæ legatos in ea adfuiſſe, eo quod ſit alia Sexta Synodus, quæ regnante Conſtantino Pogonato facta eſt, ut diximus; hanc autem longo poſt tempore factam fuiſſe juſſu Juſtiniano* Ῥινοτμήτῳ, *ideſt, Truncato naſo: ego tamen eos audire non patiens, & hujus allocutio-*

tionis contextum potius respiciens & canones, qui sequuntur, dicentes: Definit hæc sancta & universalis Synodus hæc & hæc. Ac recens quidem scripta Nomocanona, ut quæ eorum Imperatorum & Patrum, qui Synodos exposuerunt, subscriptiones non haberent, prætercurri: antiquius autem Nomocanonum versavi, & ex subscriptionibus inveni, quod in hac Synodo, quæ in Trullo magni Palatii congregata est, aderant Basilius Gortynæ Cretæ insulæ Metropolis Episcopus, & quidam Ravennæ Episcopus, totius Synodi Romanæ Ecclesiæ vicem gerentes. Et sane aliqualem in ea synodo Romanæ sedis legationem adfuisse, Anastasius ipse in Sergio Papa his verbis testatur. *Hujus Pontificis temporibus Justinianus Imp. Concilium in regia urbe fieri jussit, quo & legati sedis Apostolicæ convenerant, & decepti subscripserunt*. Deinde. *Compellebatur & ipse* (idest Sergius Papa) *subscribere sed nullatenus acquievit*. Quænam autem hæc Apostolica legatio fuerit, aut quinam ad id delegati fuerint, non constat. Id unum constat, specialem ad eam synodum legationem a Sergio nequaquam destinatam fuisse, alioquin suo consensu gestis nequaquam restitisset, iisdemque subscribere non recusasset. Hinc, ut inter cæteros adnotat de Marcha, Sedis Apostolicæ legati, qui huic interfuere synodo, eique decepti, aut minis perterriti subscripserunt, non alii fuere, quam Romanæ sedis Apocrysarii, quos in urbe regia Romani Pontifices, ad suæ ecclesiæ negotia peragenda, & ad unionem concordiamque inter utramque ecclesiam fovendam mittere, ac retinere solebant, ut ex hujus temporis historia constat, & ex litteris Constantini Pogonati ad Leonem secundum Papam, & Leonis ad Imperatorem, de quibus suo loco superius egimus.

Jesu Chr. an. 692.

De legatione Rom. sedis ad synodum Trullanam. *Anast. to. 1. pag. 151.*

De Marcha de concordia ecclesiæ, & Imp, lib. 5. 18.

5. At quo jure, quave auctoritate Romanæ ecclesiæ Apocrysarii, seu Responsales, huic synodo subscripserint, non constat, cum certum sit, nullum ad id negotii a Sergio Pontifice speciale mandatum iis datum fuisse, quod sane ad auctoritatem eorum subscriptionibus conciliandam necessarium fuisset, sicuti in ceteris Oecumenicis conciliis, in quibus Romanæ sedis legati adfuerunt, factum, observatumque fuisse scimus. Huic quidem synodo tamquam Rom. sedis legatos, & Romanæ synodi vices gerentes, Basilium Cortinæ Cretæ insulæ Episcopum, & quemdam alium Ravennatem Episcopum adfuisse Theodorus Balsamon adnotat.

An Romani Pontificis legati Trullanæ synodo adfuerint.

At

JESU CHR. AN. 692. At cum Ravennatis Episcopi nomen reticeat, nec in Episcoporum subscriptionibus Ravennatis Episcopi nomen legatur, hinc Balsamonem mentitum fuisse patet, Basilius quidem Corthynorum insulæ Cretæ Metropolis Episcopus synodo subscribens hæc addidit: *Locum tenens totius synodi sanctæ Rom. ecclesiæ definiens subscripsi*. Immerito tamen ea formula eum subscripsisse scimus. Nam etsi in sexta synodo, tamquam unus ex Romanæ ecclesiæ legatis subscripserit, ut ex actione decimaoctava patet, nihilominus, qua ratione post synodum sextam eamdem dignitatem retinuerit, ac tamquam Rom. synodi legatus subscripserit, nullibi patet, nisi quod Græcus homo, ut Græcis gratificaretur, ac majorem synodo congregatæ auctoritatem conciliaret, eo titulo abusus est. Nec majorem synodo auctoritatem dabit Theodorus Balsamon adnotans, in Trullana synodo tamquam Romanæ ecclesiæ legatos adfuisse Thessalonicensem Episcopum, & nonnullos ex Sardinia, Heracleæ in Thracia, & Corinthi, qui tamquam vicarii Romanæ sedis, & legati suis in provinciis dignitate fulgebant; at hæc falsa esse omnino constat, nam etsi concedatur ex his Episcopis nonnullos Romanæ sedis legatos fuisse, ut de Thessalonicensi, & Corinthio præsertim constat, quid tamen commune hæc ipsorum legatio suis in provinciis exercenda, cum legatione ad synodum, ut in ea vices Rom. Pontificis agerent? Sed quid plura addere juvat, cum ex subscriptionibus evidentissimi mendacii Balsamon arguatur; ex iis etenim constat, nec Thessalonicensem Episcopum, nec Corinthium, aut quemquam ex Sardinia Trullanæ synodo adfuisse, quibus tamquam absentibus, locus vacuus relictus est, ut cum iis exhibita fuissent synodi acta subscribere, suo servato loco, & dignitate, possent, quod præsertim erga Romanum Pontificem observatum fuit, cui charta pura, primus post Imperatorem locus relictus est, ut actis subscriberet, uti eum facturum fuisse sperabant. Unde Anastasius de gestis in synodo ait. *Quæ quasi synodaliter definita, & in sex tomos descripta, a tribus Patriarchis, vel ceteris Præsulibus & consulibus, qui illic convenerant subscripta erant, manuque Imperiali confirmata, in hanc urbem ad confirmandum, vel in superiori loco subscribendum Sergio Pontifici, utpote capiti omnium Sacerdotum, direxit*. Ut sic Romano

mano Pontifici debitum servasse se ordinem viderentur, cui in subscriptione primum servaverant locum. His tamen subscribere renuit Sergius Papa, ceterique in Romana sede successores, ut ex dicendis infra constabit.

De Episcoporum Trullanæ synodi, & canonum numero.

6. Quot vero Episcopi in Trullana synodo adfuerint, incertum est, ducentorum numerum excessisse verosimile est, Balsamon, & Zonaras 227. auctor vero libelli synodici 240. huic synodo adfuisse adnotant. In synodi autem exemplaribus ducenti tantum, & undecim subscripti leguntur. Quorum primus, Paulus CP. Patriarcha, qui etiam synodo præfuit, deinde ceteri ducenti & decem, qui vero hunc numerum augent, eos etiam numerarunt, quibus etsi absentes essent, locus tamen ad subscribendum relictus fuerat. De canonum autem numero vix quæstio est, ac centum & duos in ea editos, vulgatosque fuisse testantur Sanctus Therasius, & septima synodus in refutatione conventus Iconoclastici, Photius in Nomocanone, & auctor libelli synodici.

Trullanæ synodi canones nullam apud Latinos auctoritatem obtinuerunt.

7. An autem in Ecclesia catholica auctoritatem, vigo[illegible]que obtinuerint Trullanæ synodi canones inquiri solet, ac nullam iis ex ipsa synodo accessisse, nullamque apud Occid[illegible]ales, & in Romana ecclesia vim firmitatemque habuisse patet; cum eos Sergius Papa, ejusque successor Joannes, ceterique passim Romani Pontifices rejecerint, iisque subscribere recusaverint, ea potissimum ratione ducti, quod eorum nonnulli, no[illegible] solum Romanæ, ac latinæ ecclesiæ disciplinam everterent, a[illegible] injuriam etiam latinorum moribus, facerent, cujusmodi sunt exempli gratia canon 2. quo octogintaquinque Apostolorum canones admittuntur, & ut omnibus venerationi essent, statutum est.

Quinam præcipue canones a Latinis improbati sint.

8. Gravius vero Latinorum, & Romanorum aures offendit canon 13., quo usus, & disciplina ecclesiæ ab Apostolorum ævo a Latinis æque, ac Græcis observata, de Presbyterorum, & Diaconorum cælibatu ev[illegible]itur, & castissima Romanæ ecclesiæ reprehenditur disciplina, qua sacris Ministris conjugalis copula interdicitur, eoque Trullani Patres, Diaconibus, & Presbyteris facultatem tribu[illegible]nt, ut procreandis liberis operam darent. Nec etiam latin[illegible] ecclesia canonem 67. admisit, quo abstinentia a sanguine & suffocato, sub pœna depositionis clericis, laicis vero excommunicationis, jubetur. Nec canonem 82. omni ex parte probare potuit

latina

JESU CHR. latina ecclesia, quo prohibetur, ne Christus sub Agni forma
AN. 692. pingeretur, uti a Joanne Baptista dictus fuerat, sed tantum in imagine hominis. Nec a temeritatis nota excusari potest canon 55. quo Romanorum disciplina de jejunio Sabbati expresse condemnatur, sub pœna depositionis clericis imposita laicis vero excommunicationis, ubi ait *Sanctæ synodo visum est, ut in Romanorum quoque ecclesia inconcusse vires habeat canon qui dicit*. (Apostolorum scilicet 67.) *Si quis clericus inventus fuerit in sancto die Dominico, vel Sabbato jejunare, præter unum & solum*, scilicet ante Paschatis festum Sabbatum Sanctum, *deponatur, sin autem laicus segregetur*. Quis vero ferat hanc Græcorum libertatem, ut legem Romanæ ecclesiæ dare voluerint, atque antiquissimum Romanæ ecclesiæ morem de Sabbati jejunio condemnare, cum econtra, ut cætera omittamus, Ambrosius, & Augustinus, de eodem Sabbati jejunio agentes, quemlibet ecclesiæ suæ morem servare debere, dixerint?

Qua ratione plures Trullani canones recepti fuerint aut admitti possint

9. Ceterum etsi, ut hactenus diximus, Trullanos canones Romana, & Occidentalis ecclesia non receperit, nonnullos tamen, quin eorum partem maximam, non omni auctoritate frustratos fuisse constat, cum sanctissimam ecclesiæ disciplinam iidem continerent, ac confirmarent, utpote ex præcedentibus Oecumenicis, aliisque conciliis desumpti; quare si quam iu ecclesia latina auctoritatem obtinuerunt, eam non ex Trullanis Patribus, sed ex veterum conciliorum decretis, sanctorumque Patrum sententiis habuerunt. Unde Anastasius bibliothecarius in præfatione septimæ synodi ad Joannem octavum Pontificem, qua ratione Trullani Canones, quos Græci sextæ synodo inscribebant, recepti essent, aut vim, auctoritatemque obtinuerent, hæc adnotat. *Ergo regulas, quas Græci a sexta synodo perhibent editas, ita in hac synodo principalis sedes admittit, ut nullatenus ex his illæ recipiantur, quæ prioribus canonibus, vel decretis sanctorum hujus sedis Pontificum, aut certe bonis moribus inveniuntur adversæ, quamvis omnes hactenus ex toto maneant apud latinos incognitæ, quia nec interpretata, sed nec in ceterarum Patriarchalium sedium, licet Græca utantur lingua reperiantur archiviis, mirum quia nulla earum cum ederentur, aut promulgans, aut consentiens, aut saltem præsens inventa est. Quamquam eosdem Patres illas Græci promulgasse perhibeant,* qui

qui in sexta synodo sunt inventi, sed hoc nullis probare certis possunt indiciis &c.. Hæc ibidem quibus sane patet, non sine diligenti adhibita cautione Trullanis canonibus suam tributam fuisse auctoritatem, cum scilicet, receptis ecclesiæ canonibus, vel decretis sanctorum Patrum, & Romanæ ecclesiæ convenirent, aut certe bonis moribus non adversarentur. Hinc non mirum, quod tum Gregorius secundus, cum Hadrianus primus, adversus Iconoclastas agentes, auctoritate Trullani canonis usi sint, quo cautum fuerat, ut Christus sub hominis tantum imagine pingeretur. Cum etenim quæstio tunc cum Iconoclastis ageretur, qui omnem imaginum usum ab ecclesia exterminandum esse contenderent, contra eosdem Iconoclastas, qui summam Trullanis canonibus venerationem profitebantur, optimo consilio, tum synodus septima, cum Romani Pontifices Gregorius 2., & Hadrianus primus eumdem Trullanæ synodi canonem iis objiciebant, ut eos ipsorum armis confoderent, ac confutarent.

Trullanorum canonum summa.

10. Quantum vero ad ecclesiæ disciplinam sarctam tectamque tuendam iidem canones apti sint, eorumdem summa probabit. Primus namque fidem a sex conciliis Oecumenicis confirmatam, & ab Apostolis traditam inviolabiliter servandam esse docet. Secundus, jubet observantiam canonum Nicænorum, Ancyranorum, Neocæsareensium, Gangrensium, Antiochenorum, Laodicinorum, Calcedonensium, Sardicensium, Carthaginensium. In hoc solum peccat, quod Canones Apostolorum LXXXV., eorumdem Constitutiones, & Canones Constantinopolitanæ Synodi a Romana Ecclesia reprobatos, pariter suscipiendos statuat. Tertius Presbyteros, Diaconos, aut Subdiaconos Bigamos vel deponit, vel in perpetuum suspendit a ministerio. IV. Clericos sacrarum Virginum stupratores deponit. V. Subintroductas mulieres vel ancillas arcet a domibus Clericorum. VI. Presbyteris, Diaconis, & Subdiaconis Matrimonium post Ordinationem inire vetat. VII. Coercet Diaconorum superbiam ante Presbyteros aliquibus in locis sedentium. VIII. Synodos provinciales quotannis congregari præcipit. IX. Cauponariam tabernam habere, aut tabernas alienas ingredi Clericis vetat. X. Clericos fœneratores e gradu dejicit. XI. Communionem & societatem cum Judæis. XII. Episcopos cum uxoribus eadem in domo manere vetat. XIV. Presbyteros ante annos 30. Dia-

Bigamorum irregularitas.

Tabernarum ingressus Clericis vetitus.

Ætas ordinandorum.

Jesu Chr. an. 692.

30. Diaconos ante 25. non esse ordinandos, Diaconissam vero ante annum 40. statuit. XV. Subdiaconos ante annum 20. ordinari prohibet, deponendos statuit, qui ante legitimam ætatem in quolibet Sacerdotii gradu fuerint ordinati. XVI. Diaconorum numerum septenario majorem Actibus Apostolorum non adversari probat. 18. Clericos, qui propter incursiones Barbarorum ex Ecclesiis suis migrarunt, pacatis rebus in eas redire compellit. 19. Statuit, ut *Qui Ecclesiis præsunt*, Episcopi scilicet ac Parochi, *Dominicis præcipue diebus omnem Clerum & Populum doceant pietatis, & recte Religionis eloquia*. 20. A ministerio Episcopali suspendit Episcopos, qui in aliena Diœcesi publice docere præsumpserint. 21. Graviorum criminum reos, clericalem habitum & Tonsuram deferre vetat. 22. Simoniace ordinatos, ab Ordine suscepto deponit. 23. Prohibet ne Sacerdotes, aut Diaconi Eucharistiam fidelibus distribuentes, pecuniam exigant: si quid exegerint, eos ut Simonianiacos & maleficii æmulatores deponit. 24. Clericos sub gradus sui & honoris periculo spectaculis scenicis, & agitationibus, aut cursibus equorum, adesse vetat. 25. Villarum Parochias iis Episcopis subjici decernit, qui triginta annorum spatio, eas sine vi possidentes administraverint. 26. Presbyterum per ignorantiam illicitis nuptiis implicatum cathedræ honore frui permittit ab omni tamen ministerio suspendit. 27. Clericos vestibus clericalibus sive in civitate, sive in itinere non indutos una hebdomada a Communione segregat. 28. Pessimam quorumdam locorum consuetudinem damnat, qua Sacerdotes uvam ad altare allatam incruento Sacrificio conjungentes, simul cum Eucharistia plebi Christianæ distribuebant. 29. Quadragesimale jejunium Feria V. in Cœna Domini non esse solvendum edicit, & Communionem a jejunis quovis tempore percipiendam. 31. Clericos in Oratoriis, seu Parochiis intra nobilium domos constitutis baptizantes, aut Sacrum facientes absque licentia Episcopi deponit. 32. Pravam Armenorum consuetudiuem emendat, qui aquam vino consecrando in Sacrificio Altaris non admiscebant. 33. Alium eorumdem pessimum corrigit morem, quo nullum ordinabant Clericum, nisi qui esset ex genere Sacerdotali. 34. Clericos reos conjurationis adversus Episcopos, e proprio gradu dejicit. 35. Bona defunctorum Episcoporum, vel Ecclesiæ

Prædicandi Verbum Dei Episcopis & Curatis incumbit onus.

Spectacula Clericis vetita.

Vestes Clericales.

Canones Monasticam disciplinam spectantes.

clesiæ viduatæ, invadi vetat a Metropolitano. 40. Pueros ante X. Puellas ante XVII. annum ætatis, ad Monasticam Professionem recipi vetat. 41. Anachoreticam vitam, & perpetuam clausuram in remotis ab hominum societate cellulis agere cupientes, trienni spatio prius in cellula probari, deinde altero anno extra clausuram decernit. 42. Vagos Eremitas coercet, ac in solitudines amandat, aut vitam Cœnobiticam amplecti & profiteri jubet. 43. Neminem Christianorum ob crimina ante conversionem admissa, ab ingressu Monasteriorum, & vitæ monasticæ professione arcendum esse statuit. 44. Monachos fornicationis, aut initi falsi nominis Matrimonii reos, canonicis fornicatorum pœnis addicit. 45. Consuetudinem in nonnullis monasteriis vigentem corrigit, qua mulieres habitu Religioso induendæ, sericis vestibus gemmis, & mundi muliebris apparatu ornatæ ad altare ducebantur, Benedictionem sacri habitus percepturæ. 45. Sanctimoniales, & Monachos ex Monasteriis egredi prohibet, nisi urgente necessitate, & cum præpositorum benedictione. 47. Viros in fœminarum monasteriis, Mulieres in Cœnobiis virorum pernoctare & dormire vetat, 48. Uxorem ejus, qui ad Episcopatum promovetur, Monasterium ingredi procul ab ædibus Episcopi, & ejus frui providentia statuit. 49. Monasteria in sæcularia habitacula converti prohibet. 50. Clericos, sive Laicos, aleæ ludis, aliisque similibus vacantes excommunicationis, vel depositionis pœna plectit. 51. Mimica spectacula, & scenicas saltationes. Clericis sub depositionis periculo, Laicis sub pœna excommunicationis vetitas declarat. 52. Omnibus Quadragesimalis jejunii diebus, præterquam Sabbatho & Dominica & Sancto Annuntiationis die, Missam ex Præsanctificatis celebrari statuit. 53. Affinitatem spiritualem a Susceptoribus ex sacro Fonte cum patre ac matre baptizati contractam, impedimentum esse matrimonium dirimens statuit. 54. Gradus consanguinitatis & affinitatis matrimonium impedientes & dirimentes exponit, & decernit irritum deinceps matrimonium fore, quod quis cum filia patrui contraxerit, vel quod inierint pater & filius cum matre, & filia, aut pater, & filius, vel duo fratres cum duabus sororibus, aut mater, & filia cum duobus fratribus. In his autem gradibus contrahentes, septenam Pænitentiam addicit. 56. Armenorum, & aliorum consuetudinem improbat,

Aleæ ludi prohibiti, necnon mimica spectacula.

Impedimenta Matrimonii ab Ecclesia constituta

JESU CHR. AN. 692. bat, qui Sabbatis & Dominicis Quadragesimæ ova, & caseum comedebant. 57. Lac & Mel in Altari offerri vetat. 58. Laicos sibi ipsis Eucharistiam, præsente Episcopo, Presbytero, vel Diacono, ministrare prohibet. 59. Baptismum in privatis Oratoriis extra mortis periculum conferri interdicit. 60. Eos qui se a Demone correptos mentiuntur, severe puniri statuit. 61. & 62. Varia superstitionum genera insectantur, statuuntque ut nec vir veste muliebri, nec virili veste mulier induatur aliquando. 63. Falso confictas Martyrum Historias igni tradi jubet, eos vero, qui eas confixerint, tamquam falsarios, anathemate ferit. 64. Laicum publice disputare de divinis dogmatibus, vel docere vetat. 65. Superstitionem eorum damnat, qui ignes in Noviluniis ante suas domos accendebant, & super eos saltabant. 66. Paschale Festum per octo dies continuos celebrari præcipit: Sacris vero hisce diebus equorum cursus, vel publicum aliquod fieri spectaculum prohibet. Canon 68. cavet ne Scripturæ Sacræ, vel SS. Patrum Codices corrumpantur, vel conscindantur, vel unguentariis, aliisque mercatoribus tradantur, nisi a tineis corrosi, vel aqua deleti, inutiles redditi fuerint. 69. Laicos intra septa altaris ingredi vetat: Imperatorem excipit dona offerentem, ex antiqua Ecclesiæ Constantinopolitanæ consuetudine. 70. Mulieres divini Sacrificii tempore silere jubet. 71. A Communione removet eos, qui Legum civilium studiis dant operam, si Gentilium moribus utantur. 72. Orthodoxorum cum Hæreticis connubia irrita declarat: Infidelium vero matrimonia dissolvenda non esse decernit, si alter conjugum ad fidem conversus voluerit cum infideli cohabitare, cum scilicet fidelis absque Creatoris injuria cohabitare consentit. 73. Signum Crucis in pavimentis construi, vel adumbrari prohibet, ne victoriæ Christi, ac nostræ salutis conculcetur tropheum. 74. Agapas, seu epulas charitatis nomine in Ecclesiis fieri solitas improbat. 75. Inordinatas vociferationes a cantu Ecclesiastico removeri statuit. 76. Ciborum species, aut quidvis aliud intra sanctorum locorum ambitum, puta in cœmeterio, aut in porticu Ecclesiæ, vendi vetat; negotiatores aut cauponarios cibaria ibidem vendentes a communione segregat. 77. Promiscua cum mulieribus balnea prohibet Clericis sub periculo depositionis, Laicis sub pœna excommunicationis. 78. Competen-

Conficta Martyrum Historia.

Signum Crucis.

petentes Symbolum reddere jubet, Quinta majoris hebdomadæ Feria. 79. Festum Secundinarum Deiparæ Virginis merito abrogat. Ceterum quod docet, ipsam absque ullis secundinis peperisse Christum, haud consonum est doctrinæ *Tertulliani lib. De Carne Christi, cap.* 4. *S. Hieronymi libro contra Helvidium cap.* 9. *&* *Epistola* 22. *ad Eustochium*, *&* *S. Augustini lib. Quæstionum octoginta trium*, *Quæstione* 56. Græcorum sententiæ affinis erat error in Germania exortus ætate *Ratramni Corbejensis*, quem ille impugnat Opusculo *De Nativitate Christi*, edito *Tom. I. Spicilegii*, quo nonnulli asserebant Christum ex vulva intemeratæ Virginis non esse natum hominum more, sed effusum. Legatur *Christianus Lupus* in Scholiis ad hunc Canonem. Nos vero ab hac abstinentes quæstione, satis sit Deiparam Virginem Mariam ante partum, in partu & post partum, semper Virginem cum Ecclesia profiteri, & Dei Filio concinere: *Tu ad liberandum suscepturus hominem, non horruisti Virginis uterum*. 80. Clericos, & Laicos gravi necessitate, aut negotio non præpeditos, si tribus Dominicis continuis a sua Ecclesia absfuerint, cum in civitate degunt, illos deponi, istos a communione segregari decernit. 81. *Petri Fullonis* impium additamentum ad Trisagium, *Qui crucifixus est pro nobis*, rejicit, illudque admittentes Clericos deponit, Monachos, vel Laicos a communione removet. 83. Mortuorum corporibus infundi vetat Eucharistiam. 84. Infantes quos fuisse baptizatos firmis testimoniis non probatur, baptizandos esse decernit. 85. Servos a Dominis, tribus testibus præsentibus manumissos, perpetua libertate frui statuit. 86. Lenones Clericos depositione, & excommunicatione, Laicos excommunicatione plectit. 87 Viros ab uxoribus, & uxores a viris recedentes, aliosque ducentes, adulterii reas pronuntiat, pœnisque adulterorum obnoxias statuit. 88. Jumentum intra ædem sacram introduci prohibet, nisi gravissima necessitate urgente. 89. Sabbatho Sancto jejunium ante mediam noctem solvi prohibet. 90. Traditionem antiquam conservari jubet de genu non flectendo diebus Dominicis. 91. Abortionem fœtus procurantes pœnis contra homicidas ab Ecclesia latis subjicit. Hunc laudavit Sixtus V. Constitutione 87. Canon 92. Raptores, adjutoresque ipsorum, Clericos exauctorat, Laicos anathemate ferit. 93. Uxores, quæ maritis peregre profectis,

Festum Secundinarum Deiparæ Virginis merito abrogatum in Oriente.

Missæ Parochialis audiendæ obligatio.

Abortum procurantium pœna

Jesu Chr. An. 692.

ctis, aliis ante nubunt, quam sint de morte illorum certiores, adulterii reas pronuntiat. 94. Eos excommunicatione plectit, qui per Deos Gentium jurant. 95. Præscribit modum recipiendi Hæreticos ad Ecclesiam redeuntes. 96. Fideles, *Qui capillos ad videntium detrimentum, scite excogitatis nexibus adornant, & componunt, & infirmis animis escam ea ratione objiciunt*, excomunicationis pœna decernit emendandos. 97. Conjugatos in Ecclesiis, aut vicinis Catechumenorum ædibus habitare vetat, ob reverentiam locis sacris debitam, in quibus continentes dumtaxat & impolluti versari debent. 98. Adulterii damnat eum, qui mulierem alteri desponsatam, eo cui desponsata est superstite, uxorem duxerit. 99. Damnat Judaicam Armenorum consuetudinem, qui carnes in sacris altaribus coquebant, & earum frusta dividebant Sacerdotibus. 100. Auferendas e medio picturas decernit, quæ oculos præstringunt, & mentem corrumpunt, & ad turpium voluptatum movent incendia. 101. Eucharistiam a Fidelibus, non in receptaculis ex auro, aut ex alia materia, sed manibus in crucis formam expansis accipi jubet. 102. Sacerdotis Officium in sacro Pœnitentiæ officio obeundo explicat, ne scilicet extremo rigore peccatores ad desperationem impellat, aut nimia facilitate peccantes foveat, ut ibidem videre est. Hactenus Trullanæ synodi summa canonum, quos notis & scholiis illustravit Christianus Lupus, ac multa de ejusdem synodi causa, & auctoritate disserit, ibidem videnda. Quanta autem animi constantia, Orientalium conatibus restiterit Sergius Papa anno sequenti videbimus.

Picturæ inhonestæ e medio auferendæ.

Villebrodus a Sergio Papa prædicandi evangelii licentiam obtinet.

11. Ecgbertum, & Vvitbertum cum duodecim sociis, quorum primus erat Villebrodus, Dei instinctu excitatos, ad prædicandum evangelium ex Anglia in Frigiam transiisse anno 690. adnotavimus, ac obtenta a Pipino potestate, eidem vineæ excolendæ manum imposuisse diximus. Cum tamen scirent ad prædicandum Christi evangelium opus esse, ut operarii a Domino vineæ, aut ab ejus procuratore mittantur, cum scriptum sit: *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur. Ne in vacuum*, ut dicit Apostolus, *currerent*; ut itaque sibi ad evangelium prædicandum viam patere agnovit Villebrodus, Romam continuo ad Sergium Pontificem profectus est, ut ab eo prædicandi evangelii licentiam obtineret; de quibus hæc Beda

Beda: *Mox ut a Pippino Majore Domus, licentiam ibidem prædicandi, acceleravit venire Romam, cujus sedis Apostolicæ tunc Sergius Papa preerat, ut cum ejus licentia & benedictione, desideratum evangelizandi gentibus opus iniret, simul & reliquias SS. Apostolorum, ac Martyrum Christi ab eo se sperans accipere, ut dum in gente cui prædicaret, destructis Idolis, ecclesias institueret, haberet in promptu reliquias Sanctorum, quas ibi introduceret, quibusque ibidem depositis, consequenter in eorum honorem, quorum essent illa singula, quæque loca dedicaret, sed & alia perplura, quæ tanti operis negotium quærebat, vel ibi discere, vel inde accipere cupiebat*. Eodemque tempore subdit Beda, quo Romanum iter Villebrodus susceperat, *Fratres qui erant in Frisia verbi ministerio mancipati, elegerunt ex suo numero, virum modestum moribus, & mansueto corde Svitbertum*, eumque in Insulam Britanniam direxerunt, Episcopum a Vilfrido consecrandum, qua accepta ordinatione, in Frigiam reversus, multa cum alacritate, nec sine ejusdem gentis utilitate Evangelium prædicavit, ut ibidem narrat Beda.

Svitbertus Episcopus ordinatur.

12. Hoc etiam anno Vilfridus Eboraceusis Episcopus, qui Suitbertum Episcopum ordinaverat, sua iterum sede exulare cogitur. *Post quinque annos*, ait Beda, ex quo in suam ecclesiam redierat, ut anno 687. diximus, *denuo accusatus ab eodem Rege*, Elfrido Merciorum Rege, *& plurimis Episcopis, Præsulatu pulsus est*. Vilfridi exilium, & dissensionis causas fusiori stylo in ejus vita narrat Eddius Stephanus, inter cetera. *Iterum in concordia, atque iterum in discordia alternatim per multos annos viventes manebant*, Alfridius scilicet Rex, & Vilfridus; *usque dum postremo maxima flamma inimicitiæ exardescente, de regione Ultra Umbrensium sanctus homo Dei a Rege Alfrido expulsus recessit. Nam prima causa est dissensionis eorum de antiqua origine descendens, quia Ecclesia, quæ Sancto Petro Apostolo dedicata est, territoriis & possessionibus suis injuste privatur* (Ecclesia scilicet Ripensis). *Secunda est, ut Monasterium supradictum, quod in Privilegium nobis donabatur* (ab Agathone Papa) *in Episcopalem Sedem transmutatur, ec. Tertia deinde est, ut jussionibus & decretis Theodori Archiepiscopi ab Apostolica sede missis obedire oportere cogebat* (Alfridus), *non illa si-*

Vilfridus Eboracensi sede iterum pulsus.

gni-

grificans canonica statuta, quæ in principio Episcopatus sui apud nos (Northumbros) *degens, aut in novissimis temporibus vitæ suæ constituit, quando omnes Ecclesias nostras ad canonicam pacem unanimiter vocavit, sed magis ea decreta, quæ mediis temporibus suis, quando discordia inter nos in Britannia exorta fuerat, statuit* (Alfridus). *Ideo Sanctus Pontifex noster hæc renuens, ad amicum fidelem Ethelredem Regem Merciorum accessit, eumque cum magno honore propter reverentiam Apostolicæ sedis suscepit*. Vilfrido autem expulso, Rosa qui ante quinquennium Eboracensi sede depositus fuerat, & Joannes Reverlacensis sede Hugustaldensi in easdem restituti sunt, ait Malesburiensis libro tertio de Pontificibus Angliæ pag. 269. His addit Eddius, quod cum injuriam acceptam Sergio Pontifici Vilfridus retulisset, is Vilfridi adversarios cum ipso Rege damnavit, ac Agathonis, & Benedicti secundi prædecessorum suorum sententiam confirmavit, qua jampridem ab injustis accusationibus Vilfridus fuerat absolutus, Vilfridus nihilominus sua sede pulsus apud Echelredum Northumbrorum Regem in multa æstimatione perseveravit, ut auctor vitæ ejus adnotat.

Beretualdus Cantuariensis Episcopus a Sergio Papa ordinatus.

13. Theodoro Cantuariensi Episcopo defuncto, ut anno 690. adnotavimus, successit Berctualdus, monasterii cujusdam Abbas. *Qui electus quidem est in Episcopatum anno Dominicæ Incarnationis 692., die primo mensis Julii regnantibus in Cantia Victredo, & Suabardo. Ordinatus est autem anno sequente, tertio die Kal. Juliarum, Dominica a Godvvino Metropolitano Episcopo Galliarum, & sedit in sede sua*. Pridie Kal. Septemb. Dominica inquit Beda lib. 5. cap. 9. Berthualdum tamen, quem a Godvvino Galliarum Episcopo ordinatum fuisse hoc loco scribit Beda, a Sergio Papa ordinationem accepisse narrat Anastasius bibliothecarius. *Hic ordinavit Damianum Archiepiscopum sanctæ ecclesiæ Ravennatis*, atque *Clementem Trisonorum*, quem nos supra Villebrodum cum Beda appellavimus, qui etiam Clemens dicebatur, demum subdit. *Hic ordinavit Berechyaldum Brittanniæ Archiepiscopum*, qui non alius sane est quam Berctualdus Cantuariensis Brittanniæ Primas. Cur autem tamdiu Cantuariensis Episcopi electio & ordinatio dilata fuerit, ita ut anno 690, defuncto Theodoro, hoc tantum anno ejusdem successor Berctualdus electus, & anno etiam sequenti ordinatus fuerit, nulla

nulla alia occurrit ratio, nisi quod dissidentibus Episcopis, ad Romanum Pontificem vel sponte ab electoribus, vel partium provocatione devoluta est electio; Unde anno tantum sequenti ejusdem ordinatio a Sergio Pontifice, vel si vera narrat Beda, Sergii Papæ nomine, a Godvvino Galliarum Episcopo peracta est, quem ideo a Sergio Papa ordinatum fuisse dixit Anastasius.

Synodus Occidentalium Saxonum sub Ina Rege in Anglia.

14 Dum in Britannia versamur, synodus se offert ibidem jussu Inæ Regis Occidentalium Saxonum, seu Gervisiorum congregata, ubi canones undecim ad ecclesiæ disciplinam restaurandam, moresque cleri, & populi corrigendos editi sunt, qui Inæ leges dicuntur, cum ipse Rex synodo præsens, eosdem auctoritate sua confirmaverit; Unde capite primo hæc habet. *Ego Ina Dei gratia Occiduorum Saxonum Rex, cum consilio, & cum doctrina Cenredæ patris mei, & Heddæ Episcopi mei, & cum omnibus meis Senatoribus, & senioribus sapientibus populi mei, & multa etiam societate ministrorum Dei consultabam de salute animæ nostræ, & de fundamento Regni nostri, ut justæ leges, & justa statuta per ditionem nostram stabilita, & constituta essent, ut nullus Senator, vel subditus noster post hæc, has nostras leges infringeret.* Deinde canones sequuntur, 1. de legibus ecclesiæ servandis, 2. de parvulis baptizandis, 3. de observantia diei Dominici, 4. de censibus ecclesiæ solvendis. 5. De ecclesiarum immunitate. 6. De contentionibus & rixis vitandis. 7. De mendaciis in judicio vitandis. 8. De primitiis in ecclesia offerendis, 9. ac de vitando homicidio. Hujus synodi Beda meminit, Sanctus vero Aldelmus in epistola ad Geruntium Regem, & ad Sacerdotes, qui per *Danmoniam* consistunt, Concilium Episcoporum ex tota pene Britannia nominat; de qua hæc ad rem nostram Beda refert. *Adhelm cum adhuc esset Presbyter, & Abbas monasterii, quod Maidulphi urbem nuncupant*, qui postea Episcopus Schireburnensis ordinatus fuit; *scripsit jubente synodo suæ gentis librum egregium adversus errorem Brittonum, quo vel Pascha non suo tempore celebrant, vel alia perplura ecclesiasticæ castitati, & paci contraria gerunt, multosque eorum, qui Occidentalibus Saxonibus subditi erant Brittones ad catholicam Dominici Paschatis celebrationem hujus lectione perduxit.* Ex his porro patet, hanc synodum eorum quoque sollicitudi-

 nem

nem gessisse, qui ultra Inæ confines degebant, & sub Geruntii Regis potestate erant, quos ad ecclesiæ catholicæ ritum & disciplinam revocare Adhelmi opera, synodus conata est. De quibus in vita Adhelmi plura videri possunt. Eodemque tempore synodum alteram Beccanuldensem dictam exhibent concilia Britanniæ, anno labente 692. celebratam, qua Vintredus Cantuariorum Rex præsens, coram Brintwaldo Cantuariensi Archiepiscopo, & Britanniæ Primate, & Thoma Roffensi Episcopo, aliisque, bona a se ipso, vel a præcessoribus suis, ecclesiis donata confirmavit, itaut nullus impofterum, ea occupare præsumat, nec in rebus ecclesiasticis se se inmiscere Nam subdit: *Regum est constituere Comites, Duces, Vicecomites & judices, & Archiepiscopi est Dei ecclesiam gubernare eique consulere, Episcopos, item & Abbates, & Abbatissas, & Presbyteros, & Diaconos eligere & constituere, consecrare etiam & confirmare bonis præceptis, & exemplo, ne ullus de Dei grege aberret & pereat.* Quæ utinam præ oculis nostri seculi Principes, seu potius eorum administri, & assentatores haberent.

JESU CHRISTI an. 693. Sergii Papæ 7. Justiniani Imp. 9. Cunibberti Italiæ Regis 6.

Sergius Papa Trullanos canones confirmare recusat

1. Trullana synodo absoluta, ut canonibus in ea editis vim auctoritatemque in tota ecclesia conciliaret Justinianus Imp. Orientalibus Episcopis ad id, ut verosimile est, impellentibus, eosdem Romam ad Sergium Pontificem misit, ut iis subscriberet, auctoritateque sua, confirmaret; at sanctus Pontifex, cum nonnulla in iis Romanæ ecclesiæ moribus, & disciplinæ adversa contineri sciret confirmare recusavit, quin potius eos abjiciendos decrevit. Quamobrem Justinianus Imp. ira percitus in spretum Pontificis. *Sergium Magistrianum Romam mittens, Joannem Deo amabilem Portuensem Episcopum, sive Bonifacium consiliarium Apostolicæ sedis in regiam abstulit urbem*, ait Anastasius.

Sergius Papa ab exercitu liberatur.

2. Cumque in sententia sua persisteret Sergius, graviora Justinianus minitans, ac pertentans, *Zachariam immanem suum Protospatarium cum jussione direxit, ut prædictum Pontificem similiter in regiam deportaret urbem. Sed misericordia Dei præveniente, beatoque Petro Apostolo & Apostolorum*

rum principe suffragante, suamque Ecclesiam immutilatam servante, excitatum est cor Ravennatis militiæ, Ducatus etiam Pentapolitani, & circumquaque partium, qui non permisere, Pontificem Apostolicæ Sedis in regiam ascendere urbem. Cumque ex omni parte multitudo militiæ conveniret, Zacharias Protospatarius perterritus & trepidans, ne a turba militiæ occideretur, portas quidem civitatis claudi, & teneri Pontificem postulabat, ipse vero in cubiculum Pontificis tremebundus refugit, deprecans lacrymabiliter, ut sui Pontifex misereretur, nec permitteret quempiam ejus animæ infestari. Exercitus autem Ravennatis urbis ingressus est per portam B. Petri Apostoli, & cum armis, & turba in Lateranense Episcopium venit, Pontificem videre æstuans, quem, fama vulgante per noctem sublatum, & in navigium missum fuisse cognoverat. Dumque fores Patriarchii tam inferiores, quam superiores essent clausæ, has in terram, nisi velocius aperirentur, mittere minabantur. Præ nimia timoris angustia & vitæ desperatione Zacharias Protospatarius sub lectum Pontificis ingressus, se abscondit, ita ut mente excideret & perderet sensum. Quem beatissimus Papa est confortatus, dicens, ut nullo modo timeret. Egressus vero idem beatissimus Pontifex foris basilicam domni Theodori Papæ, apertis januis, in sedem, quæ vulgo appellatur, sub Apostolis, generalitatem militiæ & populi, qui pro eo occurrebat, honorifice suscepit: datoque apto & suavi responso, eorum corda lenivit, quamquam illi zelo ducti, pro amore & reverentia tam Ecclesiæ Dei, quam sanctissimi Pontificis, jam a Patriarchii custodia non recesserunt, quousque denominatum Protospatarium cum injuriis & contumeliis a civitate Romana foras depellerent. Hæc Anastasius. Eademque Beda coevus auctor, & Paulus Diaconus, quorum textum exscribere superfluum judicamus. Hæc autem hoc potius anno, quam elapso, quo Baronius narrat, contigisse idem Anastasius indicat.; dum post hæc Justinianum sceleris, & temeritatis suæ pœnas dedisse his verbis refert. *Nam & is, qui illum miserat, ipso etiam tempore a Domino retribuente, Regno privatur. Sicque ecclesia Dei imperturbata cum suo Præsule, Christo favente servata est*, ut anno 695. dicturi sumus, quo Justinianus Imp. Leontii factione throno dejectus est.

Beda de sex ætatibus in Justiniano. *Paul. Diac. hist. Longob. lib. 6. 11.*

 3. Quan-

JESU CHR. AN. 695.

Quanta post hæc tentaverit Justinianus, pro canonum Trullanæ synodi confirmatione.

3. Quanta nihilominus post hæc, cum iterum Imperium recuperavit Justinianus, pro obtinenda a Romanis Pontificibus Sergii successoribus, Trullanorum canonum confirmatione egerit, ut totam rei gestæ seriem exploratam lector habeat, paucis verbis exponam; atque imprimis se Imperio dejectum fuisse sciens Justinianus ob scelus in Romanam ecclesiam admissum, postquam rediit, liberasque Imperii habenas nactus est, pristinum facinus detestatus, atque erga Romanam ecclesiam æquior factus, non amplius violentum Magistratum ad abstrahendum inde Romanum Pontificem captivumque CPolim ducendum misit, sed duos Metropolitanos Episcopos misit ad Joannem scilicet hujus nominis septimum Rom. Pontificem, eumdemque secundum post Sergium; eaque legatione rogavit, ut eosdem canones confirmaret, vel emendaret. Ea tamen legatione nihil factum est, eo quod idem Joannes Pontifex, nequaquam eos probare voluit (nec minas Imperatoris metuens) eos potius reprobavit, sicque re infecta duo Metropolitani Romam missi CPolim redierunt; unde de eodem Joanne septimo Anastasius: *Pro tomis*, inquit, *quos ante sub domno Sergio Apostolicæ memoriæ Pontifice Romam direxerat, in quibus diversa capitula Romanæ Ecclesiæ contraria scripta fuerant, per duos Metropolitanos Episcopos demandavit dirigens per eos & Sacram, per quam denominatum Pontificem*, Joannem scilicet, *obsecravit & exhortatus est, ut Apostolicæ Ecclesiæ Concilium aggregaret, & quæ ei visa essent, stabiliret, & quæ adversa, renuendo excluderet. Sed hic humana fragilitate timidus, hoc nequaquam emendans, per suprafatos Metropolitas direxit ad Principem*. At neque hic finem accepit ejusmodi susceptum semel ab Imperatore negotium, nam Joanne paulo post defuncto, & ejus successore Sisinnio post dies viginti ex hac vita sublato, cum Apostolicum thronum regeret Constantinus, vocatus est ipse ab eodem Justiniano Constantinopolim; quo cum pervenisset, susceptus est ab eo honorificentissime, nihil enim prætermissum esse venerationis & obsequii erga eum ab Imperatore, idem Anastasius pluribus scribit, sed causam, cur Constautinopolim vocatus fuerit, ex iis, quæ idem scribit, in Gregorio II., propter eosdem, scilicet, Canones sive Capitula vocatum fuisse,

satis

ſatis ſuperque intelligitur, nam eorumdem Canonum cauſa diſceptatum fuiſſe, idem Anaſtaſius adnotat, hæc de eodem Gregorio ſcribens: *Cum vero S. Conſtantino Pontifice in regiam profectus eſt urbem, atque a Juſtiniano Principe requiſitus de quibuſdam capitulis, optima reſponſione unamquamque ſolvit quæſtionem. Erat enim vir caſtus, divinæ Scripturæ eruditus, facundus loquela, & conſtans animo, Eccleſiaſticarum rerum defenſor, & contrariorum fortiſſimus impugnator.* Hactenus de his Anaſtaſius. Ex quibus ſatis poſſumus intelligere, diu multumque pugnatum inter Græcos atque Latinos horum canonum cauſa, illis conantibus eos comprobari a Romano Pontifice, iſtis ejuſdem auctoritate Pontificis penitus reluctantibus: verum nec Imperatoria quidem vi potuiſſe unquam Latinos adigi, ut quæ ab ipſis adverſus traditionem SS. Patrum, eorumdemque doctrinam ſtatuta fuiſſent, ullatenus firmarentur; præter ea, quæ dicta ſunt, etiam quæ dicturi ſumus, oſtendent. Jesu Chr. an. 693.

4. Hoc eodem anno 693. ſexto Egicanis Hiſpaniarum Regis, æræ Hiſpanicæ 631. ſub die ſexto nonis Maii Toletanum concilium 16. celebratum eſt, quo ex tota Hiſpania adſuerunt Epiſcopi 60. circiter, quorum tres per vicarios ſubſcripſerunt, cui etiam Abbates quinque, & viri illuſtres plurimi ſubſcripti leguntur, Regis juſſu & permiſſione ſe congregatos fuiſſe in præfatione teſtantur Patres, ac ipſe Rex Egica, qui ſynodo libellum obtulit, idem confirmat. Narbonenſis tamen provinciæ Epiſcopi, qui Hiſpaniæ Regibus ea ætate parebant, ob inguinalem morbum, quo eorum provincia vexabatur, ſynodo nequaquam adſuerunt, qua de cauſa canone 13. cautum eſt, ut quamprimum Narbone apud Metropolitanum convenientes, hujuſce Toletani canonibus ſubſcriberent. Toletanum concilium decimumſextum.

5. Graviſſimis autem de cauſis hanc ſynodum congregatam fuiſſe indicant duo libelli ab ipſo Egicace Rege oblati ſub die ſeptimo Kal. Maii, & ipſis Kalendis Maii, quorum primo poſtquam ſe, Regnumque ſuum Epiſcoporum orationibus commendavit, ut nonnulla, quæ mores ſubditorum, aut eccleſiæ diſciplinam ſpectabant, emendarent, corrigerentque congregatos Patres admonuit, & excitavit, ac primo, ut eccleſiis variis in locis diſperſis, quæ ſub unius Presbyteri Egicacis Regis libelli ſynodo oblati.

Jesu Chr. an. 693.

teri custodia erant, providerent, ut & quotidianum in iis sacrificium offerretur, & ne uti quamplurimis contingebat, semidirutæ, & sine tectis jacerent. *Quod non tantum Sacerdotibus Dei in culpa est,* inquit, *verumetiam & infidelibus Judæis ridiculum affert, qui dicunt nihil præstitisse interdictas sibi, ac destructas fuisse synagogas, cum cernant pejores christianorum effectas esse Basilicas*. Quare Episcopis suggerit, ut vel presbyterum cui ecclesia commissa est, ad restaurationem compellant, vel ipsi Episcopi ex aliarum parochiarum redditibus eas restaurarent. Deinde ut Episcopi ex suarum sedium redditibus tributa, vel servitia, quæ Regi exhibebantur, tribuerent, non vero ex parochiarum fructibus, quæ propria erant retinentes, tributa, vel evectiones ex patrociniis indebite exigerent: Episcopos postea monuit, ut Idolatriæ reliquias omni cura a toto Hispaniarum Regno exterminarent; & ut in Judæorum perfidia corrigenda, eosque ad fidem Christi convertendos intenti essent, ac ut nefandum Sodomiæ crimen omnino evellerent, tandem ut in Regem ejusque familiam, contumaces, atque rebelles debita pœna, gravique censura notarent, Episcopos admonuit.

Sisbertus Toletanus Episcopus læsæ majestatis reus damnatur.

6. His autem verbis conjurationem adversus Regem excitatam, cujus Sisbertus Toletanus Episcopus particeps, & incentor fuerat, indicasse Egicam dubitari vix potest, ac ex canone nono hujus concilii patet. Is quippe oblitus, quo fungebatur Sacerdotalis officii, oblitus juramenti, quo Regi fidelitatem promiserat, maligno quodam spiritu excitatus, adversus Regem Egicam conjurationem, & rebellionem fecerat, qua detecta sceleris sui meritas dedit pœnas, hoc eodem concilio, non solum Episcopatu dejectus, & Ecclesiastica communione privatus, sed etiam perpetuo ergastulo ad agendam pœnitentiam damnatus, ut in dicto canone his verbis statutum est. *Est enim quorumdam secularium, & quod pejus est Sacerdotum improbanda satis obstinatio animorum, & fidem suis Principibus sub juramento promissam observare contemnunt, & verborum fuco juramenti obnubilant promissionem, dum in arcano pectoris retinent infidelitatis perversitatem*. Et post alia adversus perjuros ingesta, ista subjiciunt: *Unde Sisbertus Toletanæ sedis Episcopus talibus machinationibus denotatus repertus est, pro eo quod serenissimum dominum nostrum Egicanem Regem, non tantum regno privare,*

re, sed & morte cum Flogello, Theodomiro, Liubilane, Liubigitione quoque, Tecla, & ceteris interimere definivit, atque genti ejus, vel patriæ inferre conturbium & excidium cogitavit: qui etiam per decreti nostri definitionem jam & loco & honore privatus extitit. Ideo nostrum in commune per hujus canonicæ sanctionis decernit collegium, ut hoc ipsum unionis nostræ decretum, quod etiam his Synodicis definitionibus innectendum decrevimus, omni subsistat valore subnixum. atque in perpetuum obtineat inconvulsibile robur. Ipse vero Sisbertus pro sui juramenti transgressione, facinorisque tanti machinatione, secundum antiquorum canonum institutionem, qua præcipitur, ut quisquis inventus fuerit talia fecisse, & vivente Principe in alium attendisse pro futura regni spe, a conventu Catholicorum excommunicationis sententia repellatur, honore simul & loco depulsus, omnibusque rebus exutus, quibusque in potestate prædicti Principis redactis, perpetui exilii ergastulo maneat relegatus: ita nempe, ut secundum eorumdem antiquorum canonum decreta, in fine vitæ suæ tantum communionem accipiat, excepto, si regia eum pietas ante absolvendum crediderit. Eamdemque severitatem in religiosos cujuslibet ordinis, & honoris sint, exercendam esse addunt.

JESU CHR. AN. 693.

7. Canone autem duodecimo ejusdem concilii, eamdem retractantes causam, cum Sisbertus publice crimen suum confessus fuisset, confirmarunt, quam antea in eumdem dixerant, sententiam, Felicem Hispalensem Episcopum, in Toletanam sedem transtulerunt. Unde subdunt. *Quia Sisbertus Toletanæ sedis Episcopus suo facinore denotatus, nostro ex corpore constat abscissus, ob id summopere numerositatem nostram convenit studere, ut in loco ejus alio subrogato perfectioni dubitæ corpus nostrum reddatur, sicut per Matthiam perfectus numerus noscitur fuisse completus*; & iterum. *Quia prædictus Sisbertus Toletanæ sedis Episcopus eorum salutaribus monitis, nequaquam maluit ex humilitate dependere obsequelam, quo ecclesiam Dei ordine debito regeret, humilitate instrueret, & exemplis salutaribus ad Regna siderea provocaret, sed bicipiti se percellens mucrone, superbiæ videlicet, atque perjurii, gloriosum Dominum nostrum Egicanem Regem, non solum regno voluit privare, sed & mortis impensione perimere.* Eaque de causa Sisbertum sua sede dejectum,

Felix Tolet. Episc. eligitur.

ac

JESU CHR. AN. 693. ac anathemate percussum, ad agendam in monasterio poenitentiam toto vitæ tempore relegarunt, ac instante tantum die ultimo pro Sacerdotali charitate, communione Eucharistica donarunt, atque Felicem ex Hispalensi sede ad Toletanam transtulerunt, ut ibidem Episcopi congregati pluribus narrant. *In Hispalensi autem ecclesia fratrem nostrum Faustinum Bracarensis sedis episcopum, nec non & Felicem Portucalensis ecclesiæ Antistitem in præfata Bracarensi sede, similiter pontifices subrogamus addunt*; hæc & alia ibidem, ex quibus patet Sisberti Episcopi Toletani rebellionem huic synodo causam dedisse.

Summa canonum hujusce Tolet. synodi.

8. Canone autem primo, & secundo ejusdem synodi, Judæorum, & Paganorum conversionem Episcopis, & Presbyteris commendatur, ita ut si, in id operis negligentes inventi fuerint, dignitate etiam priventur. Canon tertius gravissima censura Sodomitici criminis fontes perstringit, sive ex clero fuerint cujuscumque ordinis, sive laici. 4. Eorum peccatum damnat, qui aut laqueo, aut ferro, aliove modo sibi vim inferrent, ita ut si id tentaverint, si supravixerint; duorum mensium spatio a Christi corpore alieni haberentur. Quintus canon prohibet, ne Episcopi Parochias diversis exactionibus vexent, sed tertia fructuum parte contentos esse jubet, & ne plures ecclesias uno Sacerdoti commendentur, admonet. Sexto jubetur, ne communem panem pro Eucharistia offerenda Presbyteri adhibeant, sed nitido & integro pane ad id confecto utantur. Septimus jubet ut gesta synodalia, singulis annis non solum Presbyteris, Diaconibns, ceteroque clero, & Abbatibus monasteriorum intimentur, sed etiam in populorum cœtibus nota fierent. Canone octavo Toletani Patres, ut pro ipso Rege, ejusque filiis, quotidie Missas ubique locorum a Sacerdotibus celebrarentur jubent, ac post plurima in Egicæ Regis laudem adnotata, pro quibus se digna rependere nequaquam posse testantur, hæc subdunt. *Ob hoc nostram universitatem adjicere saluberrime convenit, ut tam per omnes civitates, vel loca, in quibus sedes Episcoporum esse noscuntur ad regni ejus ditionem pertinentes, quam etiam per eorumdem Episcoporum diœceses, excepto passionis Dominicæ die, quando altaria denudata persistunt, nec cuiquam in eodem die Missarum licet solemnia celebrare, cunctis aliis diebus, quibus, idem Dominus*

Ut quotidie pro Rege ejusque familia missa celebretur.

minus noster in hac vita superstes extiterit, pro eo, vel pro cunctis ejus filiis, vel filiabus, aut pro his qui jam matrimoniali sunt jure conjuncti, adbucque sunt conjugendi, seu pro nepotibus, vel suis omnibus sacrificiorum Domino libamina dedicentur. &c. Sunt & alia ibidem salubriter statuta, at hæc hactenus notata præcipua sunt, cetera legi ibidem possunt.

JESU CHRISTI AN. 694. SERGII PAPÆ 8. JUSTINIANI IMP. 10. CUNIBERTI ITALIÆ REGIS 7.

Concilium Toletanum decimum septimum.

1. Hoc anno Hispaniarum Episcopi, ceterique Narbonensis provinciæ, qui sub Egicani Regis potestate erant, in urbe Toletana iterum convenerunt. *Anno septimo Egicani Regis, sub die quinto idus Novembris, æra 732.* Cumque in unum convenissent Episcopi, Rex Egica, cujus jussu convenerant, libello oblato, nonnulla quæ emendatione indigebant, Episcopos admonuit, ac primum, ut Judæorum perfidiam coercerent. Cum etenim eorum plurimi, aut præmis illecti, aut perterriti minis, Judaicam religionem abjecissent, ac baptisma suscepissent, non solum in Judaica superstitione perseverabant, Judaicosque ritus observabant, sed etiam rebelles in Regem facti, cum exterarnm gentium Judæis, in christianorum perniciem, conspiraverant. Unde Rex Egica ad Episcopos ajebat. *Præsertim quia nuper manifestis confessionibus indubie cognovimus, hos in transmarinis partibus Hebreos alios consuluisse, ut unanimiter contra genus christianorum agerent, præstolantes perditionis suæ tempus, qualiter ipsius christianæ fidei regulam depravarent. Quod & per easdem professiones, quæ vestris auribus sunt referandæ patebit &c.*

Judæi in servitutem rediguntur.

2. Hac Regis expostulatione excitati Toletani Patres, gravissimam adversus Judæos censuram adhibendam esse censuerunt, quos proinde canone octavo perpetuæ servituti subdendos esse jusserunt, his verbis; *Ut ex jussione piissimi & religiosissimi Principis nostri Egicani, qui zelo Domini accensus, & sanctæ fidei ardore compulsus, non solum injuriam Crucis Christi vindicare vult, sed & gentis suæ ac patriæ exitium, quod fore illi inferendum sævius decrevere, acrius extirpare intendit, suis omnibus rebus nudati, & ipsæ re-*

Jesu Chr. an 694.

resculæ Fisci viribus sociatæ, tam eorumdem perfidorum, vel reliquæ posteritatis, a locis propriis exolutæ, per cunctas Hispaniæ provincias perpetuæ subjectæ servituti, his quibus eos jusserit servituros, largitæ, maneant usquequaque dispersæ &c.. In fine vero ita de eorum filiis: *Sed & filios eorum utriusque sexus decernimus, ut a septimo anno eorum nullam cum parentibus suis habitationem aut societatem habentes, ipsi eorum domini, qui eos acceperint, per fidelissimos Christianos eos nutriendos contradant: ea scilicet ratione, ut & masculos Christianis fœminis in conjugio copulent, & fœminas Christianis similiter viris maritali societate adjungant. Et neque parentibus (sicut diximus) neque filiis sit penitus licentia quoquo pacto Judaicæ superstitionis cæremonias custodire, neve infidelitatis suæ semitas quibuslibet occasionibus iterare*. Hucusque in tumultuantes Judæos Hispaniæ Episcopi.

Ne missæ defunctorum pro vivis celebrentur.

3. Canone autem quinto ejusdem synodi, gravissima in rebus divinis corruptela, sicuti etiam a Rege admoniti fuerant, excisa est, in eo posita, quod nonnulli, ut injuriam acceptam vindicarent, Sacrosanctum Missæ sacrificium, quod pro defunctis peculiari ritu offerebatur, pro inimico suo vel Sacerdos offerebat, vel offerre laicus curabat, quo fiebat, ut Sacrificium pro hominum salute a Christo Domino oblatum, pro eorumdem interitu, & perditione offerretur. Adversus immane facinus, atque omni execratione dignum, iidem Patres hanc pœnam statuerunt. *Missam pro requie defunctorum promulgatam fallaci voto pro vivis student celebrare hominibus, non ob aliud, nisi ut is, pro quo id ipsum offertur sacrificium, ipsius sacrosancti libaminis interventu, mortis ac perditionis incurrat periculum, & quod cunctis datum est in salutis remedium, illi hoc perverso instinctu quibusdam esse expetunt in interitum. Proinde nostræ elegit unanimitatis conventus, ut si quis sacerdotum deinceps talia perpetrasse fuerit detectus, a proprio deponatur gradu, & tam ipse sacerdos, quam etiam ille, qui ad talia peragenda incitasse perpenditur, exilii perpetui ergastulo relegati, excepto in supremo vitæ curriculo, cunctis vitæ suæ diebus sacræ communionis eis denegetur perceptio, quam Deo se crediderunt fraudulento delibasse studio*. Hæc Patres adversus sacrilegos incruenti sacrificii profanatores.

Ceteri Toletanæ synodi canones.

4. Post editam autem fidei confessionem, nonnulla alia laude

laude digna ab iisdem Patribus statuta sunt, atque imprimis, ut synodi initio tribus diebus Episcopi rebus spiritualibus tractandis intenti, jejunium servareut. Secundo, ut Quadragesimæ initio baptismatis fons annulo Episcopi clauderetur. *Ita ut nisi in Cœnæ Domini celebritate quando more solito Altaria debent devestiri, eadem debeant ostia reserari*. Tertio canone cautum est, ut in die cœnæ Domini omnes Episcopi, Christi exemplo, Sacerdotum pedes lavent. Quarto ne res sacræ, vel ecclesiæ, Altariumque suppellectiles in usus prophanos converterentur, cautum est. Quid contineat quintus jam supra diximus. Sextus autem jubet, ut singulis mensibus in omnibus Hispaniarum, & Galliarum ecclesiis, litaniæ, pro statu ecclesiæ, pro Regis incolumitate, & populi salute dicerentur. Canon septimus Regis incolumitati, ejusque filiis, filiabus consulendum censuit, gravissimam anathematis pœnam statuentes contra eos, qui quoquo modo in eos rebelles fuissent, aut eorum vitæ, vel honori insidiari præsumpsissent. Ultimus vero adversus Judæos totus est, uti supra adnotavimus, ac tandem Egicano Regi felicitatem augurantes, ac immensas agentes gratias, synodo finem imposuerunt, ut ibidem videre est.

Sebbi Orientalium Saxonum Regis obitus, ejusque elogium

5. Hoc interim anno Sebbi Orientalium Saxonum in Britannia Rex, cum annos triginta in Regno exegisset, ab anno 665. ad labentem, ut ait Beda, ex uxoris consensu monasticam vestem suscepit, ac paulo post ad Deum abiit, cujus laudes, & obitum his verbis Beda narrat. *Eo tempore præerat regno Orientalium Saxonum (ut idem etiam libellus docet) vir multum Deo devotus, nomine Sebbi, cujus supra meminimus. Erat enim religiosis actibus, crebris precibus, piis eleemosynarum fructibus plurimum intentus, vitam privatam, & monachicam cunctis divitiis & honoribus præferens: quam & olim jam, si non obstinatus conjugis animus divortium negaret, relicto regno subiisset. Unde & multis visum (ut sæpe dictum est) quia talis animi virum, Episcopum magis, quam Regem ordinari deceret. Cumque annos triginta in regno miles regni cælestis exegisset, correptus corporis infirmitate permaxima, qua & mortuus est, admonuitque conjugem, ut vel tunc divino se servitio pariter manciparent, cum amplius pariter mundum amplecti, vel potius mundo servire non possent. Quod dum ægre impetraret ab ea, venit ad*

 Anti-

 Antistitem Londoniæ civitatis, vocabulo Valdhere, qui Erconvaldo successerat, & per ejus benedictionem habitum religionis, quem diu desideraverat, accepit. Attulit autem eidem & summam pecuniæ non parvam pauperibus erogandam, nil omnimode sibi reservans, sed pauper spiritu magis propter regnum cælorum manere desiderans. Qui cum ingravescente præfata ægritudine diem sibi mortis imminere sensisset, timere cœpit homo animo regalis, ne ad mortem veniens tanto affectus dolore, aliquid indignum suæ personæ, vel ore proferret, vel aliorum motu gereret membrorum; Unde accito ad se præfatæ urbis Londoniæ, in qua tunc ipse manebat, Episcopo, rogavit, ne plures eo moriente, quam ipse Episcopus & duo sui ministri adessent. Quod dum Episcopus libentissime se facturum promitteret, non multo post idem vir Dei, cum membra sopori dedisset, vidit visionem consolatoriam, quæ omnem ei anxietatem memoratæ sollicitudinis auferret, insuper, & qua die esset hanc vitam terminaturus, ostenderet. Hæc Beda, quem cœlesti visione etiam recreatum tunc fuisse addit, ac sarcophagum condendo ejus corpori præparatum, cum brevius esset, ut corpus in eo extendi non posset, repente congruæ longitudinis inventum fuisse non sine admiratione subdit, ac tandem, *Conditus est in ecclesia Doctoris gentium, cujus edoctus monitis, cælestia spirare didicerat*; ejusque memoria die 29. Augusti Romano, & Anglicano Martyrologio recensetur; Peste quidem e vivis raptum fuisse ait Baronius, dum anno 672. eum obiisse tradit; at id incertum est, ac Bedæ ignotum, in Regno autem successores duos filios habuit Sigberdum, & Suefredum, ut eodem capite adnotat Beda.

De Bedæ initiis usque ad Diaconatum, & Presbyteratum.

5. Dum in hujus temporis historia illustranda Bedæ testimonium, & auctoritatem adhibemus, de celeberrimi viri initiis agendum est, quem hoc anno ætatis suæ decimonono ad Diaconatus ordinem ab Joanne Eboracensi, seu Hagulstandensi Episcopo, promotum fuisse scimus. Natus erat anno 673. ut ait Mabillonius, vel sequenti 674. ut ait Pagius, cum septimum attigisset annum Girversibus monachis erudiendus traditur, ac anno ætatis suæ 19. Diaconus, trigesimo autem Presbyter ordinatus est anno 701., totoque vitæ tempore sacris humanisque litteris, piisque exercitationibus intentus vixit. Non in Anglia solum, sed per orbem

bem

bem fere universum nomen suum verbo, exemplo, & scriptis celeberrimum reddidit. De initiis autem vitæ suæ ipsum Bedam audire præstat, qui cum anno 731. ultimam historiæ Anglorum manum admovisset, eique epitomen addidisset, hæc in fine de rebus suis adnotavit. *Hæc de historia ecclesiastica Britannorum, & maxime gentis Anglorum, prout ex libris antiquis, vel ex traditione majorum, vel ex mea cognitione scire potui, Domino adjuvante digessi Beda Dei famulus, & Presbyter monasterii beatorum Petri & Pauli, quod est ad Virimundam & Ingimam. Qui natus in territorio ejusdem monasterii, cum essem annorum septem, cura propinquorum datus sum educandus reverendissimo Abbati Benedicto, ac deinde Ceolfrido, cunctumque ex eo tempus vitæ in ejusdem monasterii habitatione peragens, omnem meditandis scripturis operam dedi, atque inter observantiam disciplinæ regularis, & quotidianam cantandi in ecclesia curam, semper aut discere, aut docere, aut scribere dulce habui. Decimonono autem vitæ meæ anno Diaconatum, trigesimo gradum Presbyteratus, utrumque per ministerium Episcopi Joannis, jubente Ceolfrido Abbate, suscepi, ex quo tempore accepti Presbyteratus, usque ad annum ætatis meæ 59., hæc in scripturam sanctam, meæ, meorumque necessitati ex opusculis venerabilium Patrum breviter andotare, sive etiam ad formam sensus, & interpretationis eorum supradicere curavi.* Sed de Bedæ operibus, sicuti de gestis ab eo alibi sermo fiet, nunc vero de ejusdem initiis, usque ad annum 701. quo Presbyter ordinatus est, hæc adnotasse sufficiet.

JESU CHR. AN. 695.

JESU CHRISTI AN. 695. SERGII PAPÆ 9.
LEONTII IMP. AN. 1. CUNIBERTI ITALIÆ REGIS 8.

1. Sacrilegas in Christum Domini, seu in Sergium Romanum Pontificem, aliosque Romani cleri administros, manus misisse Justinianum anno 693. diximus, dum Joannem Portuensem Episcopum, & Bonifacium consiliarium Apostolicæ sedis, Sergii Magistriani opera, in regiam urbem transtulit, ac misso Romam Zacharia Spathario suo, Sergium quoque Pontificem illuc transferri eo fine jusserat, ut canonibus in Trullo editis, vel invitum subscribere cogeret. At vindex tot scelerum Deus adfuit, ac adversus eum tyran-

Justinianus Imperio dejicitur.

JESU CHR. AN. 695. rannum excitavit, ideſt Leontium Patricium, qui eum Imperiali throno dejectum, ac lingua ac naribus truncatum, & auribus, in Cherſoneſum relegavit, eamdemque quodammodo cum Nabuchodonoſor ſortem expertus, adverſus quem Deus dixit, *Succidite arborem, & præcidite ramos ejus, excutite folia ejus, & diſpergite fructus ejus, fugiant beſtiæ, quæ ſubter eam ſunt, & volucres de ramis ejus, verumtamen germen radicum ejus in terra ſinite*; ita quidem Juſtiniano accidit, cujus radicem haudquaquam evelli Deus permiſit, dum ſcilicet decennio evoluto in Regnum iterum remeare permiſit, ut conſcius, unde tam gravis ei calamitas adveniſſet, non ceſſaret, quouſque viveret Romanis Pontificibus benemereri, ac debito honore proſequi.

Sævitia miniſtrorum Juſtiniani Imp.

Theoph. pag. 306.

2. Luctuoſam narraturi tragœdiam, quæ Juſtiniani exauctorationem præceſſerint, aut etiam cauſam dederint, præmittenda ſunt, de quibus hæc Græcorum annales, atque ex his Theophanes. *Porro Juſtinianus erigendis Palatii ædificiis ſtudium adhibuit: Triclinium Juſtiniani nomine deinceps vocatum, & Palatii mœnia condidit. Huic operi præpoſitum, & cum plena poteſtate dominantem Stephanum Perſam Sacellarium ſuum, & Eunuchorum anteſignanum præfecit. Is vir ſanguinarius, & ſumme crudelis erat, cui non ſatis fuit operarios ſive manuarios injuriis ac verberibus afficere, ſed ipſos, etiam qui operarum duces erant, lapidabat. Quinetiam cum aliquando Imperator peregre profectus eſſet, agreſtis illa fera Anaſtaſiam Imperatricem Auguſtam matrem loris puerorum more flagellare auſa eſt. Idem cum multa majoraque mala in univerſam Remp. admiſiſſet, civium odia in Imperatorem ſuſcitavit. Similiter & Generalis Logothetæ muneri præfecit Monachum quemdam cognomento Theodorum, qui prius in Thraciæ finibus ad Freti anguſtias incluſus vixerat, homo pariter ferox & immitis, qui in multos Imperii Rom. primores, viroſque ſpectatiſſimos, non qui ærarium modo adminiſtrarent, ſed ex urbis incolis tributa, impoſitiones, atque proſcriptiones, temere, ſine ulla juſta cauſa, vel ſaltem prætextu exigebat, adeo ut etiam funibus ſuſpenſos palearum inferius accenſarum fumo vexare auderet: Præterea Urbis Præfectus plurimos Imperatoris mandato in carceres compulſos etiam per multos annos vinculis detinuit. Quibus omnibus populi odia in Imperatorem excrevere. Ad hæc Imperator a Callinico Patriarcha contende-*

debat, ut preces conciperet, ad Ecclesiam sanctæ Dei Genitricis, cui Metropolite nomen, juxta Palatium situm destruendam: in ejus quippe solo fontis machinam, & Venetæ factionis Imperatorem illic excepturæ sedilia extruere annitebatur: Respondit Patriarcha; Preces in templi conditum conceptas habemus: subruendo templo nullas a majoribus accepi. Imperatore ardentius instante, & preces fieri etiam vi expetente: dixit Patriarcha: Gloria Deo qui etiam hæc patitur, jugiter nunc & semper & in sæcula sæculorum, Amen. Eo audito subverterunt Ecclesiam, & fontem excitaverunt, istamque Metropolitæ Ecclesiam ad Petrium transtulerunt. Hæc ibi.

3. Cum itaque crudelitate sua CPolitanam plebem exacerbasset Justinianus, contigit quadam die, ut juberet Stephano Patricio, & Rufio Duci, ut noctu populum CP. necarent, cœdis initio a Patriarcha facto. Eoque ipso tempore factum est, ut Leontius patricius, qui olim Dux Orientalium fuerat, ac per calumniam delatus, cum annos tres in vinculis exegisset, repente dimissus eadem die urbe excedere juberetur. Quare nocte in Sophiæ portu, navigandi tempus expectans Leontius, dum cum amicis, qui ad eum salutem dicturi venerant, loqueretur, ac inter eos cum Paulo Callistrati monasterii cœnobita, & astrologiæ perito, & Gregorio Cappadoce monacho, & Florio cœnobii præposito, qui Leontio, dum in carcere esset Imperatorem futurum prædixerant. Ad eos Leontius dixit. *Vos in carcere adhuc positum de Imperio consequendo certiorem me semper fecistis, nunc autem inter ærumnarum angustias vita mihi transfigitur, retro quippe insequentem me mortem propediem expecto.* Amici autem ejus ut bono animo esset, hortati sunt, addentes. *Dictis tantum attende & sequere nos. Eductis itaque domesticis, & armis, quæ præ manibus habuit, sumptis, in prætorium silentio Leontius perrexit, pulsatisque foribus, simulat eo Imperatorem accedere, ut de quibusdam in carcere detentis sententiam ferret. Re ad Præfectum delata, ipse festinus accedit, ac ubi fores reserat; mox a Leontio comprehenditur, ac deinde frequentibus alapis cæsus manus ac pedes devincitur. Leontius intus penetrans, carceribus reclusis, præclaros sane, ac fortunæ non contemnendæ viros plerosque vinculis compeditos, & carceris horrore a sex, vel etiam ab annis octo conclusos, quorum plerique militiam sequebantur, liberat: Ubi armorum facta*

Leontius Imperium occupat,

Jesu Chr. an. 695. *facta copia, cum illis in forum excurrit, ac vociferatur. Cuncti Christiani ad sanctam Sophiam convenite: Ac simul summisit, qui per Urbis singulas regiones voces easdem cum clamore spargerent. Conferta plebs hoc tumultu excitata, ad Ecclesiæ lavacrum accelerans congregatur. Leontius cum Monachis duobus, & amicis suis, nec non aliis quibusdam ex illustrioribus viris, qui ex carceribus prodierant, Pontificem ad Patriarchalem suam ædem convenit. Cumque ipsum etiam Patriarcham conturbatum, ob ea nimirum quæ ipsi a Patricio Stephano Rusio jussa fuerant, comperisset, hortatur, ut ad baptisterii lavacrum descendat, & voce magna exclamet: Hæc dies, quam fecit Dominus. Tum Populus clamore sublato vociferatur. Effodiantur Justiniani ossa. His vocibus auditis, in Circum plebs universa tumultuans concurrit: Mox adventata die Justinianum per metam in Circum producunt, & naso, linguaque truncatum Chersonam relegari decernunt. Post hæc plebs Theodorum Monachum, Generalemque Logothetam, & Stephanum Sacellarium origine Persam comprehendit, eosque funibus ad pedes alligatis per viam publicam ad Bovem locum ita dictum pertractos igne damnavit.* Hæc Theophanes, ceterique Græci historici, atque ita Leontius summa totius populi exultatione Imperator salutatus est, de cujus gestis infra sermo fiet. An autem lingua, & naribus truncatus fuerit Justinianus, ut narrat Theophanes, non constat, quin naribus tantum, aut etiam auribus, ut habet Agnellus in vitis Pontificum Ravennatium in Felice, alioquin vix Imperio regendo aptus fuisset, cum post decennium restitutus est, nec cognomen obtinuisset Rhinotmeti, sed potius Glonomenti, uti in hanc rem adnotant Pagius, & Mansius.

Justinianus auribus, & naribus obtruncatur.

Ausberti Rothomag. Episc. obitus.

4. Hoc Christi anno 695. die nona Februarii S. Ansbertus Rothomagensis Episcopus, vir sanctitate præclarus ad Deum migravit, cum ante calumniam passus, jussu Pippini Majoris Domus in exilium migrare coactus fuisset, ut in ejus vita narrat Ansgradus monachus fere æqualis his verbis. *Cum inter principes Francorum sæva esset exorta discordia ob multiformem regni divisionem, callidus humani generis hostis, malignorum contra Dei famulum sævire fecit invidiam, qui Pipino principi fraudulenter suggererent, præfatum virum sanctum*

Mabill. secul. 2. Benedict. Bolland. 9. Febr.

ctum adversus eum contraria retractasse consilia. Decedente enim de ordine principatus Vvarratone illustri, & ejus filio ac supplantatore nefando Gislemaro, Pipinus praefectoriam administrationem, Domino largiente, adeptus est: quo tempore incusatus apud ipsum principem praefatus Pontifex sanctus, jussu ejusdem exilio deportatur in Altummontem monasterium, quod est suum in territorio Hannoniensi super Sambre fluvio, cui tempore illo praeerat venerabilis Halidulphus Abbas. Nullo extante crimine, humiliter exilii subiit aerumnam. Quomodo autem inde liberatus reversus in patriam, responsum mortis accipiens, sacrificio Missae praevio se paravit, & sic feliciter Deo spiritum reddidit, ipse auctor testatur, simulque subsecuta post obitum miracula narrat, quem lector consulere poterit.

JESU CHR. AN. 696.

5. Hoc anno Clodoveus tertius Francorum Rex vivere desiit, eique Childebertus tertius successit, nam anno 704., cum translatio Sancti Ansberti Episcopi peracta est mense Martio, annum Regni decimum Childebertus agebat, qui ideo hoc anno ante diem ultimam Martii Regnum injerat, ait Pagius nota 6. labentis anni. De gestis Childeberti nil addimus, cum vix ad ecclesiae historiam illustrandam Francorum annales referant, ac eum Regio quidem nomine auctum, nil regio nomine dignum gessisse scimus, cum Regni potestas omnis apud Pippinum Majorem Domus esset, sicuti in ceteris successoribus, usquedum sequenti seculo, cum potestate Regia, nomen quoque Regium Pippini successores, jure, vel injuria alii videant, obtinuerunt.

Clodovei tertii Regis obitus, cui Childebertus succedit.

JESU CHRISTI AN. 696. SERGII PAPAE 10.
LEONTII IMP. 2. CUNIBERTI ITALIAE REGIS 9.

1. Hoc anno Villebrodus Frisonum Apostolus, quem anno 691. Romam advenisse diximus, ut a Sergio Papa praedicandi Evangelii potestatem acciperet, ac illuc eodem anno reversus, cum uberes ex praedicatione sua fructus collegisset; hoc, inquam, anno iterum Romam rediit, ut ab eodem Sergio Papa Episcopalem ordinationem acciperet, ut qui vineam plantaverat, & gregem iis in regionibus congregaverat, tamquam pastor & villicus, potestate accepta regeret. De quibus haec Beda dum adhuc Villebrodus viveret, vi-

Villebrodus a Sergio Papa Episcopus consecratur.

Jesu Chr. an. 696. neæque excolendæ vacaret. *Postquam per annos aliquot in Fresia, qui advenerant, docuerunt, misit Pippinus favente omnium consensu, virum Vvlobrodum Romam, cujus adhuc Pontificatum Sergius habebat, postulans, ut idem Frisonum genti Archiepiscopus ordinaretur: quod ita ut petieras impletum est anno ab incarnatione Domini sexcentesimo nonagesimo sexto. Ordinatus est autem in Ecclesia sanctæ martyris Cæciliæ die natalis ejus, imposito sibi a Papa memorato nomine Clementis, ac mox remissus ad sedem Episcopatus sui, idest post dies quatuordecim, ex quo in Urbem venerat. Donavit autem ei Pippinus locum cathedræ Episcopalis in castello suo illustri, quod antiquo gentium illarum vocabulo Vviltaburg. idest, oppidum Vviltorum, lingua autem Gallica Trajactam vocatur: in quo ædificata Ecclesia, reverendissimus Pontifex longe lateque verbum fidei prædicans, multosque ab errore revocans, plures per illas regiones ecclesias, & monasteria nonnulla construxit. Nam non multo post alios quoque illis in regionibus construxit, constituit ipse Antistites ex eorum numero fratrum, qui vel secum, vel post se illo ad prædicaudum venerant: ex quibus aliquanti jam dormierunt in Domino: ipse autem Vvilbrordus cognomento Clemens, adhuc superest, longa jam venerabilis ætate, utpote trigesimum & sextum in Episcopatu habens annum, & post multiplices militiæ cœlestis agones, ad præmia remunerationis supernæ tota mente suspirans:* Hæc Beda, declarans his verbis tempus, quo ista scribebat, anno, videlicet, Domini septingentesimo trigesimo primo. Alcuinus quidem in vita Vilebrodi capite septimo & octavo, eum in Ecclesia Sancti Petri ordinatum fuisse scribit. At major in his Cedæ cœvi auctoris fides est, dum in Ecclesia Sanctæ Ceciliæ, ac die ejusdem Virginis & martyris festo, id contigisse narrat. *Accepta Apostolicæ auctoritatis benedictione*, addit Alcuinus, *cum majori fiducia devotus verbi prædicator ad præfatum Francorum Ducem*, idest Pippinum; *regressus est, qui per eum cum summa honoris magnificentia receptum, cum suæ potestatis jussione in opus Evangelii direxit, maxima autem in Borealibus Regni sui partibus, quo eatenus ob raritatem Doctorum, vel duritiam habitatorum, fidei flamma minus relucebat.* Quo in opere cum diu, multisque annis insudasset, ita ut, anno 731., annum Episcopatus

patus sui 36, agens, in iis adhuc intentus esset, ut ait Beda, gentis ejusdem partem maximam ad Dei cognitionem vocavit, ut in epistola ad Stephanum Papam narrat Sanctus Bonifacius Mogontinus Episcopus, Villebrodus vero primus Trajectensium Episcopus per eas regiones, alios ejusdem vineæ operarios, seu Episcopos ordinavit, ut in loco supracitato narrat Beda, atque hæc de gestis hoc anno adnotasse sufficiat.

JESU CHR. AN. 697.

JESU CHRISTI ANNUS 697. SERGII PAPÆ II. LEONTII IMP. 3. CUNIBERTI ITALIÆ REGIS 10.

1. Hoc Christi anno 697, Arabes seu Seraceni, qui jamdiu, ut supra diximus, in Ægypto sedes fixerunt, quique Africam proprie dictam, Numidias, scilicet, & Mauritaniam invadere tentaverant, hoc anno, Leontii Imp. tertio, in ea iterum irruptione facta, integram pene occuparunt, quam tamen diu non retinuerunt, ut Theophanes, aliique Græci scriptores narrant. *Hoc anno Arabes impressione in Africam facta, vi eam cœperant, & ex proprio sibi exercitu præsidiarios milites in ea constituerunt*. At Leontius Imp. Joannem cum classe virum in eos immisit, *qui cum Carthaginem appulisset, & bellica virtute catenam portum occludentem perrupisset, hostibus demum in fugam versis, & ejectis, omnes Africæ munitas urbes in libertatem restituit, & præsidio ex suis militibus relicto, Imperatorem de iis, quæ acciderant certiorem fecit, ibique hyemavit mandata Imperatoris expectans*. Hæc de gestis hoc anno in Africa, cetera, quæ ibidem addit, ad sequentem annum pertinent, quo Seraceni cum validiori exercitu in Africam reversi, eadem potiti sunt, non tam propria virtute, quam Græcorum dissentionibus, & rebellione adversus Leontium excitata, qua Imperio dejectus, locum Tiberio Apsimaro cessit, ut ibidem dicturi sumus.

Seraceni Africam occupant, paulo post inde ejiciuntur.

2. Villebrodus interea, qui anno elapso Romam profectus, ac a Sergio Pontifice Episcopus ordinatus, ad prædicandum Jesu Christi Evangelium in Frisia, finitimisque gentibus, missus fuerat, postquam Frisonibus Francorum Regno subditis Jesu Christi Evangelium prædicasset. *Tentavit quoque idem vir Dei*, ait Alcuinus in ejus vita, *ultra*

Villebrodus Germaniæ gentibus evangelium prædicat.

 Fran-

JESU CHR. AN. 698. *Francorum Regni fines cœlestis vitæ flumina derivare*. Ac Radbordum Frisonum Regem adiit, apud quem cum nil proficeret, ad ferocissimam Danorum gentem iter suscepit. Sed cum Ungendus Danorum Rex, nullam melioris spei viam offerret, rediit in Franciam, ideſt in Frisiæ partem, quæ Francis parebat, & dum iter ageret, *pervenit in confinio Frisonum, & Danorum ad quamdam insulam, quæ a quodam Deo suo Fosite, ab accolis terræ Fosisterland appellatur, quia in ea ejusdem Dei fana fuere constructa*, ibique plures viros baptizavit, quod cum Rex Radbodus accepisset, Deorum suorum injurias ulcisci volens, unum ex sociis Villebrodi martyrem effecit; Villebrodum vero *ad Pippinum Regem Francorum*, ideſt Majorem-domus, qui tamquam regiam poteſtatem haberet, apud Francos dominabatur, *cum honore remisit*. Hæc Alcuinus de Villebrodi geſtis poſt reditum in Frisiam, quæ suis annis alligari non possunt, plura quidem de ejusdem Villebrodi, & sociorum geſtis, prædicatione, & miraculis refert ad hæc tempora Baronius, at cum ea ex apocryphis actis Marcellini cujusdam presbyteri sumta sint, ſtilo parcentes, consulto præterimus.

JESU CHRISTI AN. 698. SERGII PAPÆ 12.
TIBERII APSIMARI IMP. 1.
GUNIBERTI ITALIÆ REGIS 11.

Seraceni Africam occupant, eamque retinent.

1. Cum Seraceni ex Ægypto profecti, Africam sæpe invasissent, ex eaque repulsi essent, ut anno proximo adnotavimus, hoc Christi anno 698., validiori cum exercitu in eam irruentes fixas ibidem sedes adeo fixerunt, ut inde nuspiam ejici potuerint. Eosquidem Joannes a Leontio Imperatore missus, anno proximo inde ejecerat, at hoc anno mutata belli fortuna, ait Theophanes, enm Protosymbolus Arabum dux e Carthaginensi portu, totaque provincia ejecit, ita ut vix in Romaniam salvus migrare potuerit, ut in Cretam transiret, majores, robuſtioresque copias ab Imperatore sibi mitti expectans, fruſtra tamen, nam facta hoc eodem anno adversus Leontium Imperatorem ab exercitu rebellione, qua Imperio dejectus, Tiberio Apsimaro locum cedere coactus fuit, Africæ recuperandæ spes decidit, ut mox dicturi sumus. Hinc factum, ut ex Romanorum dissidiis, arri-

arridente sibi fortuna, non solum Carthaginem Seraceni occupaverint, sed etiam ceteras hinc inde Africanas provincias; Sicque ea ecclesia, quæ antiquis temporibus, Cypriani scilicet, aut Augustini ætate, Episcoporum sanctitate, & doctrina per orbem inclaruerat, quæque etiam medio fere sæculo elapso, ab Vandalorum iugo & servitute Justinianus Imp. vindicaverat, cum vix respirare, ac reflorescere cœpisset, in eam incidit desolationem, quam iu finem sæculorum futuram esse, Hierosolymis Daniel prædixerat, *Et erit desolatio usque in finem*, nam etsi per secula aliquot christiana in iis provinciis religio perseveraverit, adeo tamen attrita & conculcata fuit, ut temporis tractu pene exciderit, & ea, quæ omni virtutum genera florens vinea aliquando fuerat, eam *singularis ferus adeo depastus est*, idest Maumethana perfidia, ut christianitatis vestigia vix reliquerit, sicque nec Episcopi in ea, nec christianorum cœtus, a longo jam tempore ibidem inveniantur, nam si qui christianæ religionis iis in locis sunt, aut mercatores sunt, ad ea littora negotiationis causa appulsi, aut viri religiosi ad redimendos ibidem captivos missi, aut infelices christiani, qui sub durissimo Mauhumetarum jugo & servitute, non sine christianæ fidei periculo, miserrimam ibidem vitam ducunt.

Africana ecclesia in desolationem redacta.

2. Corruptos autem hac etiam ætate Africanorum mores fuisse, relaxatamque ejusdem ecclesiæ disciplinam, Ita ut ex Vandalorum tyrannide erepti Africani, vix in melius mores mutaverint, conjici potest, ex iis, quæ Sanctus Gregorius seculi hujus initio, ad Joannem Squillacinum Episcopum scribit, ne scilicet Afros passim, vel incognitos peregrinos susciperet, quia Afri quidem, aliqui Manichæi, aliqui *rebaptizati*, seu aut *Donatistæ*, aut Ariani, quos baptismum passim reiterasse scimus; ecclesiasticam vero disciplinam in Africanis Ecclesiis prolapsam pene jacuisse, indicat sextæ synodi, haud pridem habitæ canon duodecimus, quo hæc leguntur. *Porro hoc quoque ad nostram cognitionem pervenit, quod in Africa, & Lybia, & aliis locis, quidam ex iis, qui illic sunt religiosissimi Præsules, cum propriis uxoribus etiam postquam ad eos processit ordinatio, una habitare non recusant, ex eo potissimum offendiculum & scandalum afferentes*. Si hæc ipsi populorum duces seu Episcopi perpetrabant, adnotat merito Baronius, quid populus sequens?

Quales essent Africanorum mores.

Greg. lib. 2. epist. 37.

Ex

Jesu Chr. an. 698.

Atque ex his, reliqua, quæ ista sequuntur, facile conjicere quisque potest, quorum causa, quemadmodum olim eisdem ex causis, ut vidimus ex Salviano, Deus ad eos puniendos immisit Vandalos, modo ad eosdem penitus perdendos, in manibus tradidit Serracenis.

Leontius Imperio dejicitur, eique Tiberius Apsimarus succedit.

3. Cum itaque Carthaginem, totamque Africam Seraceni hoc anno obtinuissent, quominus inde exturbarentur, sicuti alias acciderat, graves in Imperio excitatæ rebelliones obstiterunt, quibus Leontius Imperator Imperio dejectus est, eique Tiberius Apsimarus successit, nam exercitus, cui Joannes præerat, ex Africa secedere coactus, metu & pudore correptus, ad Imperatorem redire recusans, adversus Leontium rebellans Apsimarum quemdam *Cybircotarium Drungarium, apud Curiciotas tunc agentem, Tiberii nomine ei imposito Imperatorem renunciat*. Qui statim CPolim versus cum classe, & exercitu profectus, post multas hinc inde datas, & acceptas clades, tandem civium quorumdam perduellium industria in regiam urbem admissus, Leontium Imperatorem naribus mutilatum, in Dalmatæ monasterio sub custodia servandum jussit: Aulæ vero optimates, partim verberibus, partim proscriptionibus multatos, in exilium Apsimarus egit, ait Theophanes, qui addit, statim ac Imperiale thronum occupavit Apsimarus, Heraclium fratrem suum equestribus copiis ab eo præfectum fuisse, ac in Cappadociam missum, ut hostium molimina observaret, & Seracenos excursionibus, jam assuetos in officio contineret.

Aquilejensis synodus celebratur, schisma ob tria capitula extinguitur.

4. De Aquilejensi Schismate ob tria capitula, excitato supra non semel verba fecimus, cui cum Venetiarum, & Istriæ Episcopi accessissent, non solum in trium capitulorum condemnationem subscribere recusabant, sed etiam ab eorum communione recesserant, qui in eorum condemnatione subscribebant, aut consensum præbebant: Hinc cum tot ecclesiæ, ac Italiæ Episcopi a suo capite, Romano scilicet Pontifice, totaque ecclesia diro schismate divulsæ perseverarent, ut eas ab interitu, quo præcipites ibant, revocarent, omnem sollicitudinem Romani Pontifices adhibuerant, quibus aliqualem etiam medelam Sanctum Gregorium seculi hujus initio adhibuisse scimus, ac ejusdem epistolæ testantnr, cumque extinctum, vel saltem sopitum schisma non semel revixisset, Gregorii exemplum, in iis ad catholicam unitatem

tem revocandis, secuti sunt sancti Gregorii successores, nec frustra eos tantam sollicitudinem gessisse, tum seculi elapsi, cum labentis gesta probant, nam non semel Aquilejenses æque, ac Gradenses Episcopos, cum Romana ecclesia reconciliatos fuisse vidimus, eosque synodis Romanis adesse perspeximus. Hinc Agatho Aquilejensis, seu potius Gradensis Episcopus, synodo ab Agathone Papa Romæ celebratæ adfuit, ut ejusdem synodi acta testantur, sic etiam Maximus Aquilejensis alter, seu Gradensis Episcopus anno 649. synodo Lateranensi interfuit. At etsi eorum plures ante hæc tempora ad ecclesiæ unitatem rediisse sciamus, sub Sergio tamen Pontifice, hocque tantum tempore, funestum schisma penitus extinctum fuisse constat.

5. Hinc Beda Tiberio Apsimaro Imperante, Sergioque Papa sedente, concilium Aquilejæ celebratum fuisse testatur, adversus eos, qui tria capitula tuebantur. *Synodus*, inquit, *Aquilejæ facta, ob imperitiam fidei quintum universale concilium suscipere diffidit, donec salutaribus B. Papæ Sergij monitis instructa, & ipsa huic cum ceteris Christi ecclesiis annuere consentit*. Eademque Paulus Diaconus, & Anastasius in Sergio his verbis confirmat: *Hujus temporibus Aquilejensis Ecclesiæ Archiepiscopus, & synodus, quæ sub eo congregata est, qui sanctum quintum universale concilium, utpote errantes suscipere diffidebant, ejusdem beatissimi Papæ monitis atque doctrinis instructi, conversi sunt, iidemque venerabile concilium cum satisfactione susceperunt, & qui prius sub erroris vitio tenebantur, doctrina Apostolica Apostolicæ sedis illuminat, cum pace consonantes veritati ad propria relaxati sunt*. Hactenus de his Anastasius, quibus etiam de gestis hujus anni finem facimus.

Beda lib. de sex ætatibus

Paul. Diac. hist. Longob. lib. 6. 24.

JESU CHRISTI AN. 699. SERGII PAPÆ 13.
TIBERII APSIMARI IMP. 2.
CUNIBERTI ITALIÆ REGIS 12.

1. Ut Africæ jacturam, quam Arabes anno proximo invaserant, compensarent Romani, hoc anno, ut auctor est Theophanes, *Impressione in Syriam facta, Samosatum usque penetrant, vicinasque regiones populati, Arabum ad ducenta, ut narrant, millia trucidant, spoliaque optima, innumerosque capti-*

Saracenorum strages a Romanis facta.

Jesu Chr. an. 699. *captivos abducentes, valido metu Arabum animis incusso, domum reversi sunt*. Occisorum tamen numerum ex fama accepta, (*ut narrant*) exageraffe adnotat hoc anno Muratorius cum vix credibile sit, armatorum ducenta millia, se Romanis jugulandos tradidisse.

De Althelmi gestis, & scriptis.

2. Cum libenter hac ætate ex Anglia Romam viri doctrina, & pietate celebres peregrinarentur, inter eos Althelmus, seu Aldhelmus Abbas Maldunensis, vulgo Maldeburiensis, a Sergio Papa invitatus Romam profectus est, ut vitæ ejusdem narrat auctor. *Interim crevit fama ejus multis præconiis illustrata, ultraque mare se transferens, & ipsas etiam Alpes excedens, Romam usque perlata est, ea vero incitatus Sergius Romanus Pontifex, scriptis eum ad se accivit, venientemque honorifice suscepit*. Anthelmi vitam scripsit Malesburiensis, cujus epitomen tantum apud Surium viderat Baronius; emendatiorem vero & integram Mabillonius, & Henschenius ediderunt, hunc porro Anthelmum, synodi Anglicanæ jussu, quæ sub Ina Rege celebrata fuit, ad Brittones egregiam epistolam scripsisse de Paschate catholico ritu celebrando, & de tonsura Romano more ferenda, anno 692. diximus. Is porro cum Romæ esset, gravem adversus Sergium Pontificem sparsam calumniam, quasi recens nati infantis pater esset, miraculo diluisse narrat auctor vitæ ejus, cum etenim Anthelmo oblatus esset puer, ut eum baptizaret, coram adstantibus Anthelmus edicere præcepit, si pater ejus esset is, qui vulgo dicebatur; Puer vero statim respondit. *Non se esse genitum illius opere, quem vanus in hoc referebat Populus*, sicque sanctissimi Pontificis fama vindicata est. At cum hæc ex ignoto auctore vitæ ejus, diverso a Malesburiensi narrentur, *haud satis tuta est fides Auctoris*, ait Baronius: quare his prætermissis eumdem pietate, & doctrina inclaruisse addimus, ac præter epistolam ad Britannos jussu synodi scriptam, de virginitate quoque egregium edidisse librum adnotat Beda, utpote vir *& sermone nitidus, & scripturarum, tam liberalium, quam ecclesiasticarum erat eruditione mirandus*, quem postea anno 807: Episcopum ordinatum fuisse scimus, ut ibidem dicturi sumus.

De Aidani gestis, & scriptis.

2. Ad revocandos ex errore in Paschatis celebratione Scotos, & Britannos, egregiam quoque hoc tempore operam nava-

navavit, Aidamnus monachus & Abbas monasterii Hiensis, Colombæ dicti in Scotia seu Hibernia, qui cum hactenus in ejusdem festi celebratione, suæ gentis morem sequutus, aberrasset; A gente sua, ut ait Beda, missus ad Alfridum Regem Anglorum, *& aliquamdiu in ea provincia moratus videret ritus Ecclesiæ canonicos, & a pluribus, qui erant eruditiores, esset solerter admonitus, ne contra universalem Ecclesiæ morem, vel in observantia Paschali, vel in aliis quibusque decretis cum suis paucissimis, & in extremo mundi angulo positis vivere præsumeret, mutatus mente est; ita ut ea quæ viderat, & audierat in Ecclesiis Anglorum, suæ suorumque consuetudini libentissime præferret. Erat enim vir bonus & sapiens, & scientia scripturarum nobilissime instructus, sicque domum reversus, ut eadem Britanni servarent, effecit.* Idem vero Adamnanus libros tres composnit *de locis sacris, ex relatione Arulphi Episcopi Galli*, opus vero utilissimum esse legentibus, ait Beda, loco supracitato. Opusculum Adamnani, post Gretzerum edidit Mabillonius, cui adjecit itinerarium cujusdam Franci in loca sancta, seculo nono labente editum. Ex Adamnani libro, quem Alfrido Anglorum Regi obtulisse ait Beda, idem auctor plura historiæ suæ inseruit, ac monachos Jienses ad ritum Paschatis more Romano celebrandum ab Egberto Sacerdote didicisse adnotat cum anno 716. ad ea loca transiisset, ut suo loco dicturi sumus. Quamplurimos tamen Brittones in suo errore perseverasse, hæc alia Bedæ verba testantur, quibus anno 731. historiæ suæ finem imposuit. *Brittones quamvis & maxima ex parte domestico sibi odio gentem Anglorum, & totius catholicæ ecclesiæ statutum Pascha minus recte, moribusque improbis impugnent; tamen & divina sibi, & humana prorsus resistente virtute, in neutro cupitum possunt obtinere propositum, quippe qui quamvis ex parte Anglorum sunt servitio mancipati.* Alterum quoque Adamnanum Scotum, cœnobii Colueiensis monachum hac ætate floruisse adnotat Mabillonius Annal. Ord. Bened. lib. 18. pag. 618. Pictos autem hoc eodem tempore ad Romanæ Ecclesiæ morem circa clericorum tonsuram, & Paschalis festi celebrationem Coedfridi Abbatis opera perductos fuisse idem testatur Beda, ut ibidem videre est.

Vilfrandi Episc. Senon. obitus, & gesta.

4. Inter plurimos, qui hoc tempore fidei zelo æstuantes,

JESU CHR. AN. 700. tes, Christi fidem barbaris gentibus intulerunt, Vilfrandus Senonensis Episcopus recensetur, cujus vitam Jonas Fontanellensis monachus conscripsit, quam tamen interpolatam tractu temporis fuisse adnotat Pagius, cujus Episcopatus, & Apostolatus in Frisiam, sicuti & annus, quo obiit, in incerto est; hoc unum constat, eumdem aut sub labenti sæculi fine, aut proximi initio sanctissime obiisse, cujus res gestas, & miracula anno 700. numero 2. 3. 4. & 5. Baronins recitat. Militavit porro Vvilfrandus in aula Clotharii 3., Childeberti 2. & Theodorici 3. Postea in Episcopatum Senonensem Landeberto successit, & post paucos annos abdicato Episcopatu in Fontanellensi monasterio monachum egit, sub Ausberto illius loci Abbate, quo hortante, profectus est in Frisiam, ubi Evangelium per annos quinque prædicavit, pulsus e Frisia anno 689., ad Fontanellense monasterium rediit, ubi Hildebertus Abbas præerat, ibidemque reliquos vitæ suæ dies duxit, usque ad annum circiter septingentesimum, sepultusque est in ecclesia S. Pauli a Baino Fontanellensi Abbate Hildeberti successore.

JESU CHRISTI ANNUS 700. SERGII PAPÆ 14.
TIBERII APSIMARI IMP. 3.
LIUTBERTI ITALIÆ REGIS 1.

Cuniberti Longob. Regis obitus.

1. Hoc Christi anno 700. Postquam Cunibertus per annos duodecim Longobardorum Regnum, post patris obitum solus obtinuisset, ex hac vita subtractus est, ait Paulus Diaconus, cujus laudes ibidem celebrat, utpote *Princeps cunctis amabilis, vir elegans, & omni bonitate conspicuus, audaxque bellator*, ac cum multis lacrymis sepultus est juxta basilicam Salvatoris, quam avus ejus Aribertus construxerat, *In campo Coronate ubi bellum contra Alachos gessit, in honorem Beati Gregorii martyris*, seu potius Georgii, ut adnotat Muratorius. Cujus epitaphium extans adhuc Ticini, in ecclesia monachorum Cassinensium his versibus exhibet Muratorius

Aureo ex fonte quiescunt in ordine Reges
Avus, Pater, Hic filius Hejulandus tenetur
Cunibert Florentissimus & robustissimus Rex.

Quem

Quem Dominum Italia patrem atque pastorem;
Inde flebile maritum jam viduata gemet.
Alia ex parte si originem quæras
Rex fuit avus, mater gubernacula tenuit Regni
Mirandus erat forma, pius, mens, si requiras
Miranda &c.

Regnumque Longobardorum Luitperto filio adhuc puerilis ætatis reliquit, cui tutorem Ansprandum virum sapientem, & illustrem contribuit, ait Paulus Diaconus. De Luitperto Cuniberti filio & successore in Regno Longobardorum, deque varia fortuna, quam expertus est, anno proximo, & sequentibus dicturi sumus.

Seracenorum irruptio in Italiam.

2. Hoc anno Seraceni Romanis semper infesti, Abdala Duce, copiis in Romaniam eductis, obsessa Taranto, re infecta discedere coacti sunt, ac Mopsuestiam Abdalas rediit, & præsidium in ea constituit, ait Theophanes, & Miscellæ auctor. Cum tamen Tarantum in Italia Neapolitani Regni oppidum longe a Seracenorum finibus esset, loco Taranti, Antaradum in Cappadocia legendum esse admonet Muratorius, quod etiam Cedreni auctoritate confirmat. Ex Syria tamen, vel ex Ægypto, Italiæ littora Seracenos tentasse, ac Tarantum usque pervenisse inverisimile non est, cum facilis ex Mediterraneo, & Jonio mari ad Adriaticum transitus sit, atque his tum seculo septimo, cum decimoquarto historiæ nostræ volumini, finem imponimus.



INDEX
RERUM PRÆCIPUARUM,

QUÆ IN HOC TOMO XIV. CONTINENTUR.

Numerus primus paginam, secundus paragraphum indicat.

A

Ana-

Bi-

D

E

Ecgber-

F

De

G

H

I

K

L

Leo

Pau-

R

S

Spe-

V

ERRA-

ERRATA.	CORRIGE.
Pag. 9. foviſſe	faviſſe
31. Referri	Referre
44. Se ea	Se eam
44. Gundebergæ	Gundeberga
44. Longobardicorum	Longobardicarum
65. Occultatam	Occultatum
89. Firmatam	Firmata
97. Duos	Duas
98. Tardos	Tardas
125. Quæ	Qua
146. In eam	In ejus
150. Anno ſequenti 850.	Anno ſeqq. 650.
154. Cui iterum	Qui iterum
170. Religiouis contemtus ... & avaritia.	Religionis contemtum & avaritiam
186. Indiumini.	Induimini



